Suffr. Petri
1) De Frisior.
antiquitate
2) De Scripto-
ribus Frisiae.
1590.
1593.

59568

1538c

99

1969

D. 308 / Chitty

DE FRISIORVM ANTIQVITATE ET ORIGINE LIBRI TRES:

IN QVIBVS NON MODO EIVS gentis propriæ, ſed & communes Germaniæ totius Antiquitates multæ, hactenus incognitæ, produntur; & obſcuri veterum ſcriptorum loci plurimi illuſtrantur:

Auctore SVFFRIDO PETRO *Leouardienſi Friſio V. I. C.*



COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, ſumptibus Arnoldi Mylij
Anno M. D. XC.
Cum gratia & Priuilegio Sacræ Cæſareæ Maieſtatis.

E9490133
B.F.
L
18
P1
1590

AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMISQVE VIRIS, AC DOMINIS Ordinibus Friſiæ, Dominis ſuis vnicè colendis.

S. P. D.

ANNI ſunt iam fere triginta elapſi, Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimique Viri, ex quo relicta Erphordia in Belgium reuerſus, Bruxellæ coram ſatis comperi, neque à Viglio Zuichemo, neq; ab Ioachimo Hoppero in conſcribendis patriæ noſtræ hiſtorijs effectum iri, quod magno omnium deſiderio expectabatur: Illi enim, ex quo politicis negotijs implicit ſunt, minus hiſce literarijs vacare potuerunt; Quocirca, cùm genius meus ab iſto genere vitæ abhorreret, planeque ad literariam hanc profeſſionem, quam hactenus ſectatus ſum, propenderet, hortantibus quibuſdam amicis, quorum literæ apud me conſeruatæ teſtimonio ſunt, nō grauatim in hoc ſtudium induci me duabus potiſſimum de cauſis paſſus ſum. Primùm, quod hiſtoriarū cognitio cùm omnibus diſciplinis, tum inprimis Iuriſprudentiæ, ob diuerſorum facto-

rum exempla plurimum conduceret: Deinde, quod me ſtimularet amor patriæ, vt maiorum noſtrorũ res præclarè geſtas, quę ſcriptorum defectu hactenus in obſcuro latebãt, in lucem eruerem; præſertim cùm eius eſſent generis, vt ſcriptoris diligentiam ſui dignitãte librare, & lectori etiam extraneo, nedum patriotæ, commẽdare poſſent. Primùm enim cùm Friſij olim habuerint Regnum ampliſſimum, & in eo Reipub. formam aliquoties mutatam, ex eorum hiſtorijs non modò inſtituta præclara, ſed & exempla illuſtria ſuppetunt: Deinde, cùm ſedes incolãt in Germania ad Septẽtrionem vltimas, & proinde fluuij omnes, qui ex Auſtro Septentrionẽ verſus in mare ſe exonerant, per eorum terram decurrant; hinc Schaldis, Moſæ, Rheni, Amiſis, Viſurgis, Albis, Iaduæ, Eidoræ, & reliquorum brachia, veteres ac noui exitus ac decurſus certius cognoſci quàm aliunde poſſunt: & quia ſedes ſuas nunquam mutauerunt, & interim temporum rationem integris mille nongentis annis continuarunt, exactiorem quandam certitudinem ſuppeditant, ad veras gentium Germanicarũ origines, emigrationes, & ſucceſſiones ſolidè cognoſcendas. Ex eo igitur tempore totus huc incubui; & tum per me ipſum, tum etiam per alios diuerſis in locis Bibliothecas celebres excuſſi, vnde aliquid ſubſidij ad inſtitutum hoc ſperandum videbatur: Scripſi etiam ad diuerſos eruditos, aut alioqui antiquitatum ſtudioſos
non

non modò quos in Friſia, aut in Belgio; ſed etiam in Germania & in Gallia noram, quorũ auxilio me adiuuari poſſe arbitrabar: Nullis laboribus, ſumptibus nullis peperci, vt idoneam ſtudio meo ſuppellectilem corraderem: Nullum nõ moui lapidem; promoui autem non quãtum volui, ſed quantum potui; promoturus haud dubiè plus ſtudio tam pertinaci, niſi me retardaſſet huius ſæculi noſtri infœlicitas, obiectis impedimentis nimis & multis & magnis. Vt enim apud quoſdam candor ille remanſerit, qui mutuus inter amicos (præſertim eruditos) eſſe ſolet; tamen tutum non fuit vltrò citroque aliquid ex loco in locum tranſmittere, quod perire nolles, cùm itinera omnia diu tam infeſta fuerint. Et vtcunque libenter aliquid tranſmiſiſſes; captanda tamen occaſio fuit, quæ moram expectanti ſemper attulit. Comitata fuit hanc difficultatem difficultas altera, quæ remoram non leuiorem iniecit: Comparandi fuerunt & euoluendi Geographi & Hiſtorici tùm veteres, tum recentes, quorum lucubrationes quoquo modo ad cauſam Friſiæ noſtræ facere viderentur. Quanquam enim indigenis ſcriptoribus in hiſtorica fide debeatur prærogatiua, tamen & externi cognoſcẽdi ſunt; vel vt ſuffragio ſuo nobis proſint, ſi conſentiunt; vel vt refellantur, ne noceant, ſi diſſentiunt. Itaque facilè æſtimet æquus iudex, nullum vaſtius eſſe ſtudium quàm hiſtoricum; cùm maximi vtique negocij ſit,

vel euoluere ſolùm libros tam multos, tam diuerſos, & ex his in propoſito tuo vel confirmare quod probas, vel confutare quod improbas. In cæteris enim ſtudijs ratio & coniectura probabilis argumenta præbent; in hoc veritatis criterium ſcribentium authoritas maximè ſtatuit: quæ proinde in diſcrepantium multitudine iudicanti nō exiguam perplexitatē parit. Hanc ego tertiā præ cæteris iſtic difficultatibus reipſa grauiſſimam expertus ſum: Nam cùm veteres authores tum Græci, tum Latini, qui in medio ſunt, de Friſia præclarè multa ſcripſerint, non paucos vi deas inter recentes, quorum alij iſta prorſus diſsimulant; alij etiam de induſtria peruertunt; quo affectu id faciāt, vt mihi quidem dictu difficile ſit, ita indiſcuſsū & inconfutatū relinquere integrum non fuit; cùm ad veritatem aditus non pateat, niſi remota falſitate. Quid enim proficerem apud lectorem cordatum, ſi meam tātùm ſententiam probarē, ſententiā aduerſarij contrarium aſſerentis diſſimularē; nihil ſanè aliud, quàm quod veritatē ſilentio meo proderem. Quocirca cùm de rebus Friſiorū preiudicia multa lata ſint à ſcriptoribus iſtis, & proinde multi errores inueterati, & diuerſorū teſtimonijs roborati ſint, quàm facilè mihi fuerit iſtos conuellere, iudicabit, quiſquis rē æqua bilance pōderauerit: Adeo enim res redijt, vt quoniā nulli idonei ſcriptores rerum Friſicarū hactenus extant, plerique nihil egregiū aut laude dignū à Friſijs

ſijs vnquã actum eſſe arbitrentur. Itaque non deſunt, qui gentium Germanicarum exegeſin profeſſi, Friſios in nullo numero poſuerint: Sunt, qui de Friſiorũ origine pro opinione ſua neſcio quæ figmenta cõminiſcuntur: Sunt, qui ea, quę de Friſiorũ Regibus memorię prodita ſunt, fabulas meras eſſe dictitent: Sũt, qui fines terræ Friſonicæ, multis prouincijs amputatis, in anguſtũ cogunt: Sũt, qui Friſiorum acta alijs gentibus applicent: Sunt, qui decantatam iſtam apud omnes Friſiorum libertatem ac nobilitatem à Friſijs ipſis confictam, & non Principum authoritate aliqua donatam & conſtitutam eſſe aſſerunt: Sunt denique alia his vel ſimilia, vel etiam grauiora: quæ alij ex ſimplici rerum Friſicarum ignorantia; alij fortè ex affectu quodam ſuo imperitis hactenus perſuadent. Quibus omnibus ac ſingulis diſcutiẽdis dum incumbo, ſudaui ſatis; hoc tamen aſſecutus ſum, vt hiſtoriæ materiam congeſſerim, quæ non modò nationi noſtræ, (vt equidem puto) ſed etiam ęxteris placere queat, modò abſoluere cũ gratia diuina poſſim, quod incepi, & aliquo vſque iam produxi. Totius operis inſtituti œconomiam, analytica methodo delineatam, aliquãdo me amicis quibusdam priuatis iſtuc tranſmiſiſſe commemini, ad hunc fere modum. In abſoluta enim cuiuſuis regionis deſcriptione declarandum eſt, quæ ſit in ea cæli ſolique natura; id quod libro vno Coſmographiæ, Aſtrono-

miæ, Topographiæ, Chorographiæ, Geo-
graphiæque munere explicari poteſt. Cæte-
rùm,quia coniuncta horum vis inefficax eſſe
non poteſt,ſed pro influentia ſua generat ea,
quæ natura cælo,terra, marique producit, v-
2. nus etiam liber Meteorologicis & Minerali-
3. 4. bus,vnus plantis, vnus animalibus terreſtri-
bus,vnus aquatilibus, vnus volatilibus depu
5. 6. tatur;non quidem Phyſica,ſed Hiſtorica de-
ſcriptione. Et quoniam præter communem
mediocritatis curſum interdum vel proſpe-
7. ra eueniunt, vel aduerſa,vnus etiam de com-
modis vel incommodis Friſiæ parandus eſt.
Demum verò, quia hæc omnia incolarum
gratia fiunt, ad ipſam gentem, cui ea deſti-
8. nantur, dirigenda eſt deſcriptio; in qua Pri-
ma tractatio erit, de antiquitate & origine
9. Friſiorum:Secũda erit,de natura Friſiorum,
qua & forma & indoles eorum continetur:
10. Tertia erit, de nominibus & lingua Friſiorũ:
11. Quarta erit, de virtutibus ac vitijs Friſiorũ:
12. Quinta,de victu Friſiorum ac veſtitu. Atque
ita duodecim conceperam rerum Friſica-
rum libros, quibus ea tractarentur, quæ ad
huius gentis generalem deſcriptionem perti
nerent.Iam verò vt appareat, qua prudentia,
qua ſtrenuitate Friſij fuerint, acta eorum de-
claranda ſunt; quæ bifariam conſiderantur:
Aut enim inſtituta ſunt, quibus Reſpub.con-
formatur; aut ſunt res geſtæ, quibus eadem
cõſtruatur.Inſtitutis debẽtur libri ſedecim,
qui de antiqua ac noua Friſiorum Repub.
inſcri-

inſcribēdi ſunt. Horum primus, de veterum 1.
Dijs,& eorum ſacrificijs, Idolis, phanis, ac ſacerdotibus, & ſacerdotum doctrina tractabit: Secundus de religione Chriſtiana, de cul 2.
tu diuino, de Sanctis, de tota Hierarchia Eccleſiaſtica, de Doctoribus Orthodoxis & Hęreticis docebit: Tertius de Iudicijs Eccleſia- 3.
ſticis, de legibus, & legũ adminiſtris, & Eccleſiaſtica cēſura aget: Quartus aget de frequēti 4.
mutatione Reip. & legũ: Quintus declarabit 5.
inſtituta belli; vbi ordines militares, arma, exercitia, præmia & pœnæ conſiderantur: Sex- 6.
tus continebit inſtituta pacis; de his quæ fiũt ante natiuitatem, in natiuitate, poſt natiuitatem, toto vitæ curſu, in pueritia, in adoleſcentia, in iuuentute, in ætate virili, priuatim ac publicè, in ſenectute, deniq; in morte, & poſt mortem: Septimus explicabit rationem temporum, qua vtuntur in communi omnium 7.
iſtorum diſpoſitione. Et quoniam legum cōditores principes, & earum interpretes Iureconſulti, & protectores Magiſtratus, & diſpēſatores Aduocati negligēdi non ſunt; Octa 8.
uus de Principibus, Nonus de Ducibus, De- 9.10.
cimus de Regibus, Vndecimus de Poteſtati- 11.
bus, Duodecimus de Dominis Friſiæ tracta- 12.
bit. His accedet Decimus tertius, tractaturus 13.
de Toparchis Friſiæ; & Decimus quartus, de 14.
Præſidibus Curiæ Regalis; & Decimus quin- 15.
tus, de eiuſdem Curiæ Senatoribus; & Deci- 16.
mus ſextus, de Aduocatis & Procuratoribus. His expeditis, res geſtæ reſtant, quæ vel pu-

blicæ ſunt, vel priuatæ. Publicè res geſtas ab origine gentis ad ætatem noſtram vſque vi-
24. ginti quatuor libris explicabimus; quos Analium Friſicorum nomine inſcribemus: Priuatorum res geſtas, perſonarum, locorum, rerum ac temporum circumſtantijs diſtinguemus. Ac primùm quidem, quod ad perſonas attinet, quæ vel bellica, vel politica virtute, vel eruditione, vel conſilio tam extra, quàm intra patriam præſtiterunt, his opus ſingula-
1. re attibuemus: Itaque librum vnum de Du-
2. cibus & Comitibus Friſiæ; Vnum de ijs, qui
3. virtute militari excelluerũt; Vnum etiam de
4. ijs, qui prudentia & conſilio præſtiterũt; V-
5. num item de Friſiæ ſcriptoribus; Vnum etiã
6. de præſtantibus fœminis. In locorum cõme-
7. moratione librum vnum cudimus, de ciui-
8. tatibus Friſiæ. In rerum attentione, vnum de celebribus dictis ac factis Friſiorum: Vnum item cudimus, de Friſiorum colonis, & quæ gentes à Friſijs oriundæ ſint. Atque ita libros omnes, quibus hiſtoriam Friſiæ cõplecti nos poſſe arbitrabamur, numero ſexaginta fiebant: In quibus tamen & librorum numerũ, & materiæ diſpoſitionem, & editionis occaſionem, vt arbitrio meo tunc reſeruaui; ita etiam nunc reſeruo, vt pro re nata mutare mihi integrũ ſemper maneat, quod videbitur. Itaque tametſi hoc opus, de origine Friſiorũ, quod hic exhibeo, materiæ ratione demum poſt librum ſeptimum rerum Friſicarum ordine ſequatur, tamen cur primo loco iam eden-

dendum cenſeam, iuſtiſſimæ cauſæ me impu lerunt. Nam cùm in hoc opere plurimũ difficultatis fuerit, propter multiplices ſcribentium errores, qui conuellendi erant, & credibile ſit, fore aliquos, qui à me diſſentient, volui hoc opus primo loco abſoluere, & in lucē edere; tum vt rem factã hic haberem, ſi quid mihi fortè ingraueſcente iam ætate humanitus accideret; tum etiam vt ipſe tueri hæc poſſé, modò me viuo aliquis ea odioſius vellicaret. In cęteris enim vt minus difficultatis, ita etiã minus contradictionis erit; ideoq; minori etiam negocio abſolui ea, & me fortè defuncto per alium quemuis ad vmbilicum perduci queũt. Cur autem vnum librum, quem antea meditabar, hic iam in tres diduxerim, vaſtitas argumenti fecit, quo identidem nouis acceſſionibus ſuccreſcente, opus ipſum neceſſariò creuit. In his autem, quæ cudo, confirmandis & ſtabiliendis, quibus authoribus vtar, & qua moderatione cum illis agam, quorum opiniones mihi refellendæ ſunt, paucis hic dicendum eſt. Nam cùm ad meorũ dictorum probationem teſtimonijs interdũ vtar eiuſmodi ſcriptorum, pręſertim noſtratium, quorũ authoritas apud exteros pondus habitura non videtur, ob id, quod eorum nomina hacten⁹ obſcura, & certè illis incognita ſint, videri poſſem nihil admodum idoneè probaturus, qui non modò domeſticis, ſed etiam dubijs & non ſatis exploratis teſtibus rem agam: Deinde, cùm aduerſus quoſdam præ-

præſertim vita defunctos nimis multis contēdam, videri poſſem egredi fines modeſtiæ, qui cum laruis gaudeam luctari. Quorum neutrum planè ſe ita habere clariſſimè demonſtrabo. Nam vt ad primum loco primo reſpondeam, mihi in propoſito meo, quo res patriæ tradere conſtitui, ea ſententia ſemper ſtetit, vt ſi vtraque & ſuppeterēt, & congruerent, domeſticis teſtimonijs libenter externa coniungerem; ſi alterutra deficerent, ijs vterer, quæ ſuppeterent; ſi diſcreparent, externis domeſtica præferrem: niſi notabilis abſurditas hanc prærogatiuam excluderet. Exemplo ſubiecto illuſtranda res eſt. De origine Friſiorum à Græcis & Italicis ſcriptoribus nihil expreſsè traditū hactenus reperire potui: ſcriptores autem Gallici & Germanici, qui vel populari ſua, vel latina lingua aliquid hac de re commentati ſunt, aliqui cum noſtratibus congruunt; aliqui non modò à noſtratibus diſſentiūt, ſed etiam inter ſe diſcrepant. Vtor igitur hic noſtratibus, & eorū ſuffragatoribus exteris; exteros autem ab his diſſentientes bonis rationibus confuto ac refello. Friſiorū ſedes Græci ſcriptores ac Romani, Plinius, Tacitus, Ptolemæus, & alij; itemque ſcriptores reliqui Germani ac Galli vnanimiter declarant in Germania ad mare Septentrionale fuiſſe extremas: ſed Strabo illic intra Rhenum & Amiſin Sicambros; intra Amiſin & Albin Cimbros collocat; vltra Albin Cherſoneſum verſus gētem nullam nouit,

uit. Vtor igitur & hic internis & externis au-thoribus; tum in approbando conſenſu pro nobis; tum etiam in refutando diſſenſu contra Strabonem, ſubiectis vtrobiq; rationibus idoneis. Scriptores aliquot recẽtes Germani, ſupradicto illo Strabonis errore decepti, Friſios, & Brabantos, & Flandros, maximè Septentrionales, à Cimbris ortos eſſe ſcripſerũt; quod Cimbri (vt ipſi dicũt) colonias à Cherſoneſo Occidentem verſus per littus Oceani Britannici poſuerint, & relicta tandem Cherſoneſo nouas ſedes quæſituri, per Cauchos ac Friſios itinere facto, per oſtia Rheni (vt hodie Cimbrici ſeu Danici mercatores faciũt) in Brabantiam ac Flandriam traiecerint, ibique ſedes fixerint ad littus extremum; vnde tandem inundationibus expulſi, relicto præſidio, quod in gentem poſtea coaluerit, in Italiam porrò abierint. Hunc errorem igitur ex Archiuis noſtris dilucidè cõuello, ac teſtimonijs noſtratium doceo, nos ante Cimbricam expeditionem ducentis amplius annis eas terras incoluiſſe, quæ tũc intra Cherſoneſum & Helium Rheni brachium ſupremum ad Septentrionem in Germania habitabiles erant: Doceo teſtimonijs noſtratium & conſenſu Plinij, ducẽtis adhuc annis poſtea, terras eas, quas nũc incolimus, & VVeſtergoam & Aeſtergoam nominamus, maxima ex parte fuiſſe inhabitabiles. Doceo eorundem teſtimonijs, & conſenſu Pauli Aemilij, & Antonij Sabellici, eaſdem terras vſq; ad ætatem Ca-

roli

roli Martelli in eodem ſere ſtatu permanſiſſe. Doceo denique noſtratium teſtimonijs, per quos homines, & quo tempore lacus iſti immenſi, quos Plinius ac Tacitus in Friſia commemorant, in iuſtos fluuios aggeribus obiectis redacti ſint. Doceo teſtimonijs noſtratiũ, quæ ſint illa Rheni capita, de quibus agit Iuli⁹ Cæſar; quæ ſit iſta nauigatio Druſi, qua Oceanum ab illo tentatum eſſe Tacitus aſſeruit. Hoc igitur quia luce clarius demonſtro, conſequitur aliam nunc eſſe, aliam fuiſſe olim tempore Cimbrorum Friſiæ noſtræ faciem; & longè aliter tum ſe habuiſſe, quàm nunc habent, duo illa Romanis cognita Rheni brachia Helium & Fleuum: aliter etiam ſe habuiſſe, quàm nunc habent, altera duo Rheni eiuſdem brachia, Romanis innominata, & exteris omnibus ignota, Mediterraneum & Lauicam. Quæ quidem Rheni quatuor brachia, vt lõgiſſimo terrarũ ſpatio diſiuncta tunc erant; ita ſingula etiã ſuo peculiari oſtio in Oceanũ Septentrionalem deuoluebantur. Cõſequitur hinc etiã Cimbros ad littus Oceani Septẽtrionalis, quod Friſij toto illo tractu nunc incolunt, colonias nullas collocaſſe: Eoſdẽ etiã neq; per Friſios & Cauchos iter feciſſe; neq; per oſtia Rheni in Brabantiam aut Flandriã traieciſſe: cùm omnia illic lacubus ac paludibus inuia tunc eſſent. Cũ igitur hæ & cõplures huiuſmodi aliæ antiquitates à Romanis ac Græcis ſcriptoribus memoratæ, nunc à recentibus & exteris Ger

manis

manis quibuſdā interpretibus per inſcitiam rerum noſtrarum perperam explicentur, vti que ratio dictat, à noſtratibus & indigenis veritatem eſſe exquirendam, vtpote quibus notæ ſunt res patriæ. Nā cùm inter Helium & Fleuum Friſia, quæ olim Occidentalis dicebatur, & nunc Hollandia dicitur, ſita ſit; cùm Friſiæ, quæ tunc Orientalis, nūc autem Occidentalis dicta eſt, partē VVeſtergoā Mediterraneus, Aeſtergoā Lauica terminauerit, maiorum noſtrorum prudētia ſingulis territorijs in Friſia canonem quendā certum cōſtituit, quantū ad horum aggeres faciendos ac reficiendos contribuere deberent. Quod quidem cùm in acta publica memorię ergô ſemper diligentiſſimè relatum ſit, conſtat nimirū ſcriptoribus noſtris ſua fides, ſi vos ex ijſdem fontibus intelligitis, maiores veſtros per man⁹ poſteris velut hęreditariā hanc curam tradidiſſe, quā & vos hodie in patria ornāda ac vindicāda ſuſtinetis. Nō aliūde igitur certius documentū publicę fidei petendum cuiq; gēti eſt, quā per ſcriptores indigenas ex Archiuis patrijs, in cōtrouerſijs patriā concernētibus: cū vt quiuis bon⁹ paterfamilias quid domi ſuæ, ita quęque gens quid in regione ſua acciderit penitiſſimè ſciat. Itaq; Cappidus Staurienſis, Solco Fortemanus, Occo Scharlēſis, Ioannes Flieterpius, Vorperus Thaborita, Suffridus Sterkēburgius, Andreas Cornelius, & pleriq; alij hiſtorici noſtri, q his vel antiquiores, vel recentiores ſunt, nō ideo ſunt exteris poſtpo-

nendi

ñendi, quod minus noti ſint; ſed ideo his præponendi, quod ad veritatem plus conferant. Nec enim hiſtorici authoritas ex celebritate, ſed ex fide æſtimari debet : nam quid refert ſcriptorem quantumuis eſſe celebrem, ſi lectorem fabulis, figmẽtis, ac mendacijs ludificetur? fides autem hiſtorici partim ex voluntate, partim ex facultate pendet: ex voluntate quidem, vt adſit ſtudium veritatis, quę hiſtoriæ fundamentum eſt; ex facultate autem, vt adſit rerum tradendarum iuſta cognitio, quæ non aliunde certius petitur, quàm ex cuiuſque gentis archiuis: Vnde & Plinius admonet ab vnaquaque gẽte exquirendam eſſe veritatem earum rerum, quarum notitia apud eam popularis eſt. In dubio igitur, & vbi interni ab externis diſcrepant, internos, quantumuis obſcuros, externis, quantumuis celebribus, præpoſui; cùm animaduertam me in his, quæ in meo propoſito hactenus verſaui, à ruſticis etiã redargui poſſe, ſi ab illis deflectã: cùm adeo notoria vulgo pleraq; omnia ſint apud nos, quę ex noſtris allegaui, vt fuſtuario dignus videri queat, ſi quis ab his diſſentiat. Quæ cauſa me etiam præcipuè mouit, vt hoc opus Veſtræ Amplitudini potiſſimum dedicarem, in quo mihi noſtratium teſtimonijs ex Archiuis noſtris contra ſcriptores exteros multa probanda fuerunt: Nam ſi hæc (vti confido) à vobis ſcientibus ceu vera & indubitata, conſenſu publico recepta & & approbata fuerint, mihi fides, teſtibus iſtis

noſtra-

noſtratib' authoritas, & exinde celebritas ac
cedet, quā lectorum vſus augebit, ætas cóſta-
biliet. Quod auté omnibus liberum ſemper
fuit, vt in controuerſia veritatis ſuam ſentéti
am cuique dicere liceret ſine alterius contu-
melia & iniuria, id mihi etiam hic ſumpſi, vt
eorum ſententias bonis rationibus & autho-
ritatibus refutarem, quos in propoſito meo
perperā verſari comperiſſem: Nec ego quen-
quam hic ſuggillaui, aut odioſius vellicaui,
quin potius omnes diligētiæ & induſtriæ lau
daui, etiamſi conatibus eorū in eruenda veri-
tate nō reſpondiſſet euentus. Quod autem in
confutando Alberto Crātzio prolixior eſſe
videri poſſim, id nó odio perſonę, ſed rei pro
poſitæ qualitati aſſcribi velim: Nā cū ille Sa-
xonū antiquitates ex profeſſo ſcripſerit, eum
que veluti ducem fere omnes, etiam ἀβασα-
νιστῶς & indiſcuſſim ſine examine ſequantur;
malui hunc vnum tenere, cuius veſtigijs inſi
ſtendo, omnia impediméta, quæ ille obiecit,
ſine errore ſubmouerē, quàm aliâs alios eius
aſſeclas aſſectari, & veluti fonte ipſo relicto,
riuulos ei' particulatim obturare: ꝙ vt ma-
gis etiamnū odioſum, ita etiam magis opero-
ſum futurum erat. Interim verò in cauſa con
iuncta res noſtras certius illuſtro, quas ille
obſcurauit quantum potuit: In quo dum ver
ſor, excreuit hoc opus in ampliorem molem,
quàm animo præcipere poteram; ſed effecit
hoc neceſſitas confutandi obiecta eorum,
qui mihi & multi, & graues antagoniſtæ con-

tigerunt. Hos igitur tres de origine Friſiorum libros, quos ob cauſas ſupradictas primo loco edendos eſſe cenſui, Viri Conſultiſſimi, Veſtræ Amplitudini inſcribendos ac dedicandos eſſe iudicaui; tum vt ſuffragio veſtro contra Zoilorum dentes tuti eſſe poſſint; tum vt vobis proximè redderentur cauſæ, ex quibus origo nobilitatis, libertatiſque Friſonicæ dependet: quarum aſſerendarum ac protegendarum cura non alijs, quàm ordinibus Friſiæ ex officio competit. Quod ſi ergo eos benigno ac grato animo ſuſceperitis, in reliquis iſtis, de quibus ſupra egi, perficiendis & in lucẽ edẽdis, alacriorem me reddetis. Interim Deus Opt. Max. omnia vertat in melius, & pacem aliquando nobis reſtituat. Bene valete. Colon. Prid. Calend. Maij. Anno 1590.

Nobiliſſimæ Conſultiſſimæque Amplitudini veſtræ

Famulus deditiſſimus

Suffridus Petrus Leouardienſis V. I. C.

IN SVFFRIDI PETRI LEOVARDIENSIS V. I. C. TRES LIBROS De Origine Friſiorum Epigrammata.

Petri Ximenij.

ET populi cuncti, & Friſici fera littora tractus,
Et fluuij, atq; vrbes nota ſuêre prius:
At quibus hæc eadem primùm loca culta fuerunt,
Obſcurum cunctis ambiguumq; fuit
Hactenus: en, cùm tot ſcriptorum nulla priorum
Certam aliquam his tenebris cura tuliſſet opem,
Cumq; etiam veterum Friſiorum inſignia facta
Non ſatis ingenijs nobilitata forent:
Tu primus patriam, Suffride, hoc munere ſummo,
Summa præterea tu pietate beas.
Illa quidem fama per te eſt donata perenni,
Ex auro effigiem tuq; ab ea capies.

Io. Matalij Metelli Sequani V. I. C.

ANtiquos ortus Friſiæ, præclaraq; geſta,
Suffridi vt calamus prodidit ore Petri,
Hiſtoria obſtupuit, Muſæ Chariteſque ſorores
Exſiliêre hilares plauſibus, & citharis.
Aſt Eris inuidit: Tantine volumina, dixit,
Suffridi? inflatis parcite arundinibus.
Patria Suffrido Friſia eſt: plus ergo parenti
Debeat ipſe ſuæ, quàm genito genitrix.

Vrania Cleio: Suffrido ab Origine pendent
Præmia, quam chara reſtituit patria:
Ignota hæc quondam Matri, Natisqúe, iacebat
obruta quot tenebris? hanc tibi luce beat.
Mox Eris at multis conata eſt dicere contra:
Momus adeſt lateri protinus, ecce, comes.
Ardens ſic Erato, gaudens Polyhymnia geſtu,
Melpomene, Euterpe, te duce Calliope:
Ortum Suffridus patriæ cùm reddidit, vnus
Omnibus hic ortum reddidit in patria:
Patria Suffrido ſed cùm dedit, omnibus ortum
Haud dedit; hunc vni præbuit vna viro.
Læto Terpſichore, lepido ſermone Thaleia
Adijciunt miris ingenioſa modis:
Quis fluuijs ortus, qui curſus explicat, aiunt,
Suffridus, circum flumina qui populi:
Indicat ablata, & Friſijs quæ reddita quondam;
Tempora quid mutent, cur quid in imperijs?
Ditauit patriam varijs hic vrbibus, amplis
Et populis, fama nobilitatqúe bona.
Has Eris vt voces inimicis auribus hauſit,
Lis oritur, Momo dira ferente odia.
Cynthius Aonidum litem defendit Apollo,
Et Momi euertit prouidus inſidias.
Arbiter hinc Phœbus, ſolio hæc præluſtris ab aureo,
Parnaſſi ex alto vertice, verba dedit:
Damnamus Momum, & propria proſcribimus vrbe;
Damnas eſto, Deæ vertere terga Eridi.
Patria Suffrido, meriti pro nomine, ahenam
In Friſia ſtatuam, marmoream ve dicet.

Caroli

Caroli Vtenhouij ex Alluſionum eius libro ſecundo.

Suffridi ſat notus honos, ſat gloria Petri,
Non modò Germani quà patet ora ſoli.
Vnde ſed hoc idem ſit nobile nomen adeptus,
Vos agite ô ſanctæ dicite Sionides:
Qui ſtudet exortas ſine cæde & ſanguine rixas
Finire in ſacra relligione truces,
Quàm bene ſedandis à partibus obtigit illi
Voce fluens gemina nomen ab Hebraica.
Οὐδὲν ἄτερ μουσέων ϰαὶ χαρίτων ὁ βίος.

Simonis Tœlmanni Pomerani V. I. C.

FRISIA Germanis gens antiquiſſima in oris,
A FRISONE vetus quæ duce nomen habet,
Clara olim ſtudijs, clara & caſtrenſibus armis,
Latè hoſtes terra contudit atque mari,
Defenditq́ ſuas prope bis iam mille per annos
Sedes, quæqúe habuit nomina priſca tenet:
Verùm longa dies altis geſta alta tenebris
Merſerat, & veris fabula mixta fuit:
Quæ rurſum eruit in lucem SVFFRIDVS, ab omni
FRISIADVM dignus poſteritate coli:
Nam ſi laudamus, cùm quis ſeruarit ab igni
Patrem, qui ſenio mox periturus erat;
SVFFRIDO proauis vitam poſt tanta ſepultis
Secula qui reddit, perpetuosqúe facit,
Qui patriæ vindex decus explicat, aſſerit, ornat;
Gratia num meritis par queat vlla dari?

Io. Politi Leodienſis V. I. C.

DVM vera inſignis patriæ primordia monſtras,
Et veterum regum fortia facta doces:
Dum Friſiæ regni populos moreſq; recludis,
Quaſquée potens ſubijt ſorte rotante vices:
Sic eſt, res validas (inquam) decet optimus author
Iudicio, excellens arte, labore, fide.
O fauor, ô tutela nouem, Suffride, Sororum,
Præmia pro meritis quis tibi digna dabit?
Felicem dixit Iuuenis Pellæus Achillem,
Ingenio notus quod ſit Homere tuo:
Verius exclamem, felix Friſia inclyta, cuius
Tam celebris ſcriptor nomen in aſtra tulit.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM IN HIS TRIBVS LIBRIS DE ORIGINE Fiſiorum.

LIBRI PRIMI

CAPVT I.

VTilem & honeſtam eſſe omnibus mortalibus inquiſitionem de origine & antiquitate ſuæ gentis, & quomodo hic author in ea verſatus ſit.pag.1.

CAP. 2.

De antiquitate Friſiorum.pag.5.

CAPVT 3.

In quæſtione de origine cuiuſq; gentis primo diſcutiẽdum eſſe, ſitne indigena vel aduena, & qua ſignificatione hæc accipienda ſint.pag.8.

CAPVT 4.

Friſiam ab euentu nomen non accepiſſe.pag.11.

CAPVT 5.

Quod ineptæ ſint rationes Cornelij Taciti, quibus docere nititur, Germanos eſſe indigenas.pag.14.

CAPVT 6.

Aduerſus eos, qui Friſios indigenas eſſe contendũt: vbi de Cauchis, Cimbris, Sicãbris, errore Strabonis.pag.19.

CAPVT 7.

Quo modo Strabonis erroribus ſeducti quidam ſuos accumulent, atque ita veritatem etiamnum grauius obruant: vbi mendum ſublatum ex Plinio, & diſtincti Cimbri à Sicambris.pag.25.

CAPVT 8.

Obiecta Iacobi Meieri pro Flandris, docentis, quod Cimbri ſedes habuerint in Flādria: & Goropij pro Brabantis, docentis, quod Cimbri ſedes habuerint in Brabantia. pag. 30.

CAPVT 9.

Succincta Chronologia rerum Friſicarum ab initio vſque ad Carolum Magnum. pag. 34.

CAPVT 10.

Cimbros in Flandria ſedes non habuiſſe. pag. 41.

CAPVT 11.

Cimbros in Brabantia ſedes nunquam habuiſſe: vbi de Cimbrorum colonijs. pag. 45.

CAPVT 12.

Cimbros cùm Cherſoneſo relicta nouas ſedes quarerent, per Cauchos ac Friſios non feciſſe iter: vbi de origine nominis Germanici; item Rheni brachijs per Friſiā decurrētibus, & veteribus partim notis, partim ignotis; & portu Manarmani; & nauigatione Druſi. pag. 50.

CAPVT 13.

Antuerpiam non eſſe Atuaticum Cæſaris, neque Coloniam Cimbrorum: vbi de itinere Cimbrorum ex Strabone, Cæſare, Floro; & vbi Atuaticum conditum fuerit; & de tempore expeditionis Cimbricæ; & cēſura authoris de ſcriptis Goropij; & lingua Antuerpiēſium. pag. 66.

CAPVT 14.

Neque Cimbricam, neque Saxonicam linguam in tractu Boreali inter Cherſoneſum & Armoricum littus vnquam fuiſſe vſurpatam: vbi de origine nominis Germanici ac Teuthonici locus Cornel. Taciti emendatus & explicatus; item de Tungris; item de lingua Friſica & Saxonica & Cimbrica. pag. 100.

CAPVT 15.

Friſios eſſe aduenas in Germania; vbi de Friſiorum lingua, & nominibus. pag. 123.

CAPVT 16.

Alanos & Sueuos viciſsim incoluiſſe illum tractum terræ ante Friſiorum aduentum, quem Friſij nunc occupant: vbi Lucani locus explicatus, nomine Sueuorum Friſios appellantis; de aduentu Saxonum & lingua Sicambrorum, Saxonum, Brunſuicenſium. pag. 127.

CAPVT 17.

Prima opinio de origine Friſiorum. pag. 137.

CAPVT 18.

Secunda opinio de origine Friſiorum. pag. 138.

CAPVT 19.

Tertia opinio de origine Friſiorum. pag. 139.

CAPVT 20.

Quarta opinio de origine Friſiorum; vbi de Friſici nominis orthographia. pag. 140.

CAPVT 21.

Quinta opinio de origine Friſiorum, quam vt ſuo iudicio veram author ſolam tuetur. pag. 147.

LIBRI SECVNDI

CAPVT 1.

IN hiſtorijs cum iudicio verſandum eſſe, nec aliorum præiudicijs temerè credendum, veritati ſemper inſiſtendum eſſe: vbi de conſilio Alberti Crantzij in obſcuranda origine Friſiorum. pag 149.

CAPVT 2.

Crantzij rationes eſſe ineptas ac futiles, quibus declarare nititur fabulam eſſe de reliquijs Macedonici exercitus: vbi de Riphæis montibus, & mari congelato veterum fabulæ deteguntur. pag. 152.

CAPVT 3.

Inepta quoque eſſe argumenta Crantzij, quibus colligit Saxones eſſe indigenas, & de tribus diuerſis ſedibus, quas Saxones in Germania occupaſſe memorantur. pag. 157.

CAPVT 4.

Cramziũ tum intraneis, tum extraneis hiſtoriographis deſtitutum fuiſſe, & idcirco non certa aliqua temporum definitione, ſed coiecturis hyperbolicis vti ad comprobandum propoſitum ſuum: vbi de incertitudine Chronologiæ Danicæ & Gothicæ; Item de Cimbris, Danis, Vandalis, Saxonibus. pag. 165.

CAPVT 5.

Crantzium temporum ratione perperam aſtruere antiquiſſimam Saxonum ſedem eſſe Veſualiam: vbi de vtilitate Saxonis Grammatici; de certitudine Chronologiæ Friſonicæ: vbi de Iuthone, Saxone, Dano, Angelo, & cæteris antiquis Saxonibus, ac Friſijs, ac Danis; & origine regni Danici. pag. 177.

CAPVT 6.

Perſonarum illuſtriũ ratione perperam aſtruere Crãtzium, antiquiſſimam Saxonum ſedem eſſe Veſualiam: vbi de præcipuis & antiquiſſimis Saxonum Ducibus; item origo controuerſiæ inter Saxones ac Danos de Iuthia. pag. 187.

CAPVT 7.

Rerũ geſtarum ratione perperã aſtruere Crantziũ, Saxonum ſedem antiquiſſimam eſſe Veſualiam: vbi breuis Chronologia rerum Saxonicarum ab initio gentis vſque ad Ermenfridum Turingorum regem. pag. 194.

CAP.

CAPVT 8.

Crantzium ratione loci ex Tacito perperam aſtruere Veſualiam eſſe primam & antiquiſsimam Saxonum ſedem. pag. 206.

CAPVT 9.

Crantziũ ratione loci perperam ex authoritate Bedæ aſtruere, Saxonum antiquiſsimam ſedem eſſe Veſualiam: vbi de populis titulos facit, & ex Vitis Iutas. pagin. 214.

CAPVT 10.

Qui ſint apud V. Bedam Vitæ, & cur apud Saxonẽ, & apud Crantzium appellẽtur Iuthæ: vbi de Iuthone ſeu Vithone; item de controuerſia inter Saxones ac Danos de Vitlandia: vbi Io. Goropius à Crantzio deceptus. pag. 219.

CAPVT 11.

Perperam aſſerere Crãtzium eoſdem eſſe Anglos & Saxones, & quæ ſit apud Crantzium, quæ ſit apud Bedam vetus Anglia: vbi de nugis Goropij, & figmentis Crantzij. pag. 228.

CAPVT 12.

Aliam eſſe Saxoniã antiquam apud Crantzium, aliã apud Bedam, & cui inhærendum ſit; vbi de tribus diuerſis Saxonum ſedibus. pag. 244.

CAPVT 13.

Saxones in Veſualia ante Carolũ Magnum nullas habuiſſe ſedes: vbi de Friſone, Saxone, & Brunone, & eorum poſteris; de terra Vimodia ſiue Bremenſi; de Oſualis & Veſualis; & quod non ex Saxonibus, ſed ex Vandalis ſint. pag. 248.

CAPVT 14.

Quæ ſit ratio nominis Veſualici & Oſualici: vbi varia autho-

authorum opiniones de etymologia nominis Veſualici; Veſualos & Oſualos eſſe Vandalos; inſignia vetera Saxonum, & Angriuariorum; Vandalicæ gentis amplitudo; Vandalorum nomina diuerſa, ſedes; quando Oſualiam & Veſualiam occuparint; Friſiorum res cum Veſualis. pag. 264.

CAPVT 15.

Quæ ſit cauſa nominis Saxonici in Veſualia: vbi 3. cauſæ huius rei proponuntur: vbi de Brunonijs, Angriuarijs, ac Friſijs; de Hengiſti maioribus ac poſteris; de colonijs Friſiorum in Angliam veterem duce Hengiſto miſſis; regum Friſicorum ſeries vſque ad Hengiſtum; de Dagoberto à Friſijs contumelioſè tonſo; de Beroaldo Friſiorum rege per Clotharium Francorum regem interfecto; de Friſiorum regno ſubacto, & ſubacta Veſualia; de terra Brunſuicenſi per Saxones occupata; de erronea Saxoniæ diuiſione. pag. 281.

LIBRI TERTII

CAPVT 1.

QVod Saxones fuerint Macedonici exercitus reliquiæ. pag. 302.

CAPVT 2.

Pertexitur reliqua de Friſone hiſtoria ex Archiuis Friſiorum: vbi de teſtimonijs externis præſentem hiſtoriam confirmantibus. pag. 303.

CAPVT 3.

Quibus argumentis hiſtoriæ præſentis veritas comprobetur: vbi de Rythmis patrijs. pag. 306.

CAPVT 4.

Quæ fuerint antiquitatum conſeruandarum firmamēta Friſijs præ cæteris Germanis olim peculiaria: vbi de Gym-

de Gymnaſijs Friſiorum à Friſone olim inſtitutis; de Bibliothecis. pag. 308.

CAPVT 5.

Friſonis fratres fuiſſe Brunonem & Saxonem: vbi de plurimis inſtitutis antiquis, quæ Friſijs olim cum Saxonibus fuerunt communia; inſignia Friſiorum & Saxonũ; de Vitekindo, eiuſq; inſignibus; quod idem ante baptiſmũ Ludgerus dictus ſit; quod Friſijs infenſus & ab illis tandem captus, & Carolo Magno traditus. pag. 312.

CAPVT 6.

De patria Freſonis Friſiorum progenitoris: vbi de Praſia; de orthographia nominis Freſici. pag. 325.

CAPVT 7.

De Maioribus Freſonis: vbi de Agramme Freſiæ veteris Palibothro ſeu tyranno apud Indos. pag. 3[illegible]0.

CAPVT 8.

Peregrinatio & aduentus Freſonis & fratrum eius. pag. 331.

CAP. 9.

Vbi, & quamdiu, & qua conditione cum Freſone fratres eius verſati ſint. pag. 333.

CAP. 10.

Quando, & quò fratres à Freſone diſceſſerint, & quæ poſt fratrum diſceſſum Freſo egerit: vbi de primis horum fratrum ſedibus. pag. 334.

CA-

CATALOGVS AVTHORVM, QVI IN HISCE TRIBVS libris de origine Friſiorum à nobis citantur.

A.

ABbas Vrſpergenſis.
Abrahamus Ortelius.
Achilles Gaſſarus.
Adamus Bremenſis.
Adrianus Iunius.
Aeneas Syluius.
Albertus Crantzius.
Albertus Stadenſis.
Alexander Neuillius.
Anaximander Mileſius.
Andreas Althamerus.
Andreas Cornelius.
Antonius Sabellicus.
Appianus Alexandrinus.
Apuleius.
Archytas Tarentinus.
Ariſtoteles Stagyrita.
Authmarus Franc. Chron.

B.

V. Beda.
Beatus Rhenanus.
Beroſus.
Bilibaldus Birckhaimerus.
Fl. Blondus.
S. Bonifacius Epiſcopus.
Boetius Epo.

C.

C. Iulius Cæſar.
Cappidus Staurienſis.
Caſpar Peucerus.
Cato.
Chriſtianus Cilicius Cimber.
Chriſtianus Maſſæus.
Claudianus.
Clitarchus.
Conradus Peutingerus.
Conradus Celtes.
Cornelius Kempius.
Cornelius Tacitus.
Chronica { *Tongrenſium. Leodienſium. Hollandorum. Friſiorum. Saxonum.* }

D.

DAuid Chytræus.
Democritus.
Dicæarchus Meſſenius.
Dion Nicæus.
Dionyſius Halicarnaſſ.
Diodorus Siculus.
Doracus.

E.

EMpedocles Agrigentinus.
Eguinartus Francus.
Ephorus Cumæus.
Epicurus.
Eutropius.
D. Eyco.
Erneſtus Brotuff.

F. Fran-

F.

Franciſcus Accurſius.
Franciſcus Irenicus.
Folkerus Simonis.
Feſtus Pompeius.

G.

Gemma Friſius.
Godefridus Viterb.
Gobelinus.
Gregorius Turonenſis.

H.

Hector Boëthius.
Henricus Bebelius.
Henricus Bunting.
Henricus Glareanus.
Henricus Pantaleo.
Henricus de Heruordia.
Helmoldus.
Hermannus Neuenarius.
Hermannus Hamelmannus.
Herodotus.
Heſiodus.
D. Hieronymus Stridonenſis.
M. Hieronymus Hemminges.
Homerus.
Hubertus Thomas.
Hunibaldus.
Humfredus Lhuyd.

I.

Iacobus Meierus.
Ioachimus Hopperus.
Iodocus Villichius.
Io.Becanus Canon.Vltra.
Io.de Eſſendia.
Io.Funccius.
Io.Flieterpius.
Io.Goropius Becanus.
Io Magnus Gothus.
Io.Nauclerus.
Io.Trithemius.
Io.Saxonius.
Iornandes.
Iulius Florus.
Iulianus Apoſtata.

L.

Lucanus.
Lucianus.
S.Ludgerus.
Ludouicus Guicciardinus.

M.

Macrobius.
S.Marcellinus.
M.T.Cicero.
Matthias de Miechou Cracouienſis.
S. Methodius.
Moyſes.

N.

Nicolaus Ciſnerus.
Nicolaus Perrottus.

O.

Ocellus Lucanus.
Occo Scarlenſis.
Olaus Magnus Gothus.
Oppianus.
Orodocus.

P.Par-

P.

Parmenides.
Paulus Diaconus.
Paulus Aemylius.
Paulus Oroſius.
Petrus Albinus.
Petrus Diuæus.
Petrus Paruus Danus.
Philippus Beroaldus.
Philippus Melanthon.
Plato.
Plinius Secundus.
Plutarchus.
Polybius.
Pomponius Mela.
Poſidonius.
Ptolemæus.
Pythagoras.

R.

Raphael Volaterranus.
Raimundus Marlianus.
Reynerus Reineccius.
Robertus Gaguinus.

S.

Saxo Grammaticus.
Sebaſt. Münſterus.
Sextus Rufus.
Solco Fortemanus.
Suffridus Sterckenburgius.
Steph. de Vrbibus.
Strabo.

T.

Theophraſtus.
Titus Liuius.

V.

Valerius Maximus.
Varnerus Roleuinck.
Velleius Paterculus.
Viglius Zuichemus.
Vilhelmus Heda.
Vitekindus Saxo Monach. Corbei.
Volfgangus Lazius.
Vorperus Thaborita.
Vilhelmus Xilander.

X.

Xenocrates.

Z.

Zeno Citiæus.

SVFFRIDI PETRI LEO-VARDIENSIS V. I. C.

DE ANTIQVITATE ET ORIGINE FRISIORVM LIBRI PRIMI

CAPVT PRIMVM.

Vtilem & honeſtam eſſe omnibus mortalibus inquiſitionem de origine & antiquitate ſuæ gentis, & quomodo hic auctor in ea verſaturus ſit.

CVM de ſitu, quantitate, qualitate, prouentu, commodis, & incommodis Friſiæ, de Friſiorum etiam inſtitutis, moribus & natura, quã-tum propoſiti noſtri ratio poſtulabat, ſuperioribus libris dictum ſit, conſequens eſſe videtur, vt iam explicemus, vnde & quo tempore Maiores noſtri in haſce ſedes venerint. Quemadmodum enim in ſingulis hominibus, vbi virtutes cuiusque cognouimus, tandem etiam de ætate percontamur: Ita etiam poſtquam gentium integrarum indolem atque induſtriam perſpexerimus, antiquitatem earum & originem ſcire deſideramus. Vtrobique enim tum demum acquieſcimus cùm effectu ſuo dignã cauſam deprehẽdimus. Nec verò puerile hoc ſtudium aliquis exiſtimet, aut quod ad inanem quã-

Cauſæ cur inquirẽdæ ſint maiorum origines.

1. Continuatio æræ pub.

dā oſtentationem tantummodo ſuſcipiatur. Cùm vſus eius in primis ad communem ſocietatis humanæ profectum ſpectet. Nam cùm diuina prouidentia per Moyſen nobis communem totius mundi æram non alia ratione, quàm per Patrum genealogias confecerit, cuius calculatione ab ipſo Moyſe ad primum vſque generis humani authorem peruenimus, dubitandum non eſt quin deus huius exemplo in ſingulis gentibus per ſcriptores ſuos ex genealogia, aut ſucceſſione Principum æram peculiarem contexi velit, quæ communi æræ Moſaicæ ſuo ordine adaptari cōmodè poſſit: hac enim ratione prouidētia diuina maximè illuſtratur. Cùm ex vna velut arbore Moſaica reliquarum gentium quaſi rami quidam dependeant, ex quibus æſtimari queat, quo tempore & quatenus earum quæque vel ad Monarchiæ ciuilis, vel ad Eccleſiaſticæ Cathedræ vſū acceſſerit, aut ab eo rurſus deceſſerit. Huc nimirum ſpectat quod apud Pſalmiſtam dicitur (Pſalmo 102.) Scribantur hæc pro generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit dominum. & pſalmo 78. quæ audiuimus & cognouimus, quæ patres noſtri narrauerunt nobis, non celabimus ea filios & poſteritatē eorum, vt cognoſcat generatio altera, vt ponant in deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum dei, & mandata eius ſeruent. Hinc etiam proximè dependet oraculorum diuinorum ſolida interpretatio, cum euētu ipſo verificata deprehenduntur, quæ ſpiritu prophetico prædicta fuerant. Exemplo ſit genealogia Saluatoris noſtri, in qua à primo Adamo vſque ad ipſum Chriſtum perſonarum ſeries ita continuatur, vt euentus declarauerit, ex linea Semi natum eſſe Meſſiam, ex qua naſciturum eſſe ſpiritu

2. prophetiarum ſolida interpretatio.

ritu

ritu Prophetico Moyſes prædixerat. Nec enim quiſquam putet gentem vllam ſub ſole eſſe tam obſcuram, quæ Deo non ſit curæ. Quin etiam hoc ſtudium tum ad pietatem erga Deum concipiendam, tum etiam ad beneuolentiam inter omnes gentes conciliandam plurimum momēti habet. Nam ſi ſingulæ gentes per ſuas genealogias progreſſæ ſimul in communem Moyſis genealogiam conueniant, res ipſa nimirum nos admoneat, omnes homines, vt fratres, ex vno eodemque parente eſſe propagatos, & proinde vnum eundemque Deum huius conditorem ſolum eſſe colendum ea religione quam ipſe verbo ſuo complexus humano generi per filium ſuum & ſpiritum ſanctum patefecit. Singulis etiam gentibus hoc ſtudium conducit, cùm ex antiquitate immunitates ac priuilegia, quæ perſonis, rebus, cauſiſque variè conceduntur pondus ac robur accipiant. Hinc enim Iuriſdictionum, Nundinarum, vectigalium, ſcholarum & ſimilium fundamenta pendēt, quæ non modò ad neceſſitatem, ſed etiam ad ornamentum Reipub. ſpectant. Quin & priuatim quoque ſingulis hominibus conferet hoc ſtudium, cùm non aliunde nobilitatis ſuæ certius documentum adducere quiſquam poſsit, quàm ex familiæ ſuæ antiquitate & maiorum ſuorum imaginibus quàm altiſsima ſerie deductis. In commune verò hoc ſtudium fructum hūc adfert, quod hinc exemplorum vtilium copia redūdet, quæ futuros Eccleſiæ atque Politiæ Antiſtites acuere, omnis ordinis omniſque conditionis homines priuatos ad virtutes exſuſcitaret, à vitijs abducere queant. Quanquam igitur vel ſolæ illæ ſupradictæ cauſæ ſatis momenti apud nos quidem habituræ fuerant, tamen & gratitudinis

3. pietatis erga Deū, & mutuæ beneuolentiæ inter gentes conſeruatio publica.

4. Singularum gentiū priuata vtilitas.

5. Singulorum hominum priuata vtilitas.

6. Communis omniū hominum vtilitas.

7. Gratitudo & memoria parētum & maiorū noſtrorum.

dinis interim ratio nos acrius exſtimulat ad originem gentis noſtræ diligentius inquirendam: Nam ſanè cùm ortus noſtri partem patria, partem parentes ſibi vendicent, non immeritò prima cura deberi videatur cognoſcendis maioribus noſtris, quibus non modò patriam, ſed & parentes etiam noſtros acceptos ferimus. Hi enim patriam ipſam in qua naſceremur, ſanguine & ſudore ſuo nobis præparauerunt, hi parentes nobis progenuerũt, qui eam ab illis acceptam induſtria ſua excultam qualis nunc eſt per manus nobis tradiderunt. Illis igitur propaginem, ſpiritum, vitam ipſam, illis quicquid ingenuitatis, dignitatis, nobilitatis habemus, illis imagines noſtras, illis inſignia, illis gentilitia decora, & priuilegia vniuerſa debemus. Quibus proinde vt omnis incolumitatis, felicitatis & ſalutis noſtræ genuinis authoribus indagãdis ac pro merito celebrandis, omne officium, ſtudiumque noſtrum gratitudinis ergo debemus. Ad quod proinde præſtandum non Ethnicorum duntaxat, ſed &

8. Exẽpla veterum.

Chriſtianorum quoque, atque adeo veterum etiam Patriarcharum exempla nos exſtimulant, apud quos omnes & ſingulos in quanta veneratione gentilitiarum antiquitatum deductio ſemper fuerit, teſtantur Græcorum, Romanorum, Germanorum, Danorum, Gothorum Rithmi patrij in epulis cantari ſoliti, teſtantur diuerſorum tam hiſtoricorum, quàm Poetarum apud diuerſas nationes publicata ſcripta, quibus proinde & nos haud grauatim reſpondemus. Nec verò nobis in hoc quidem negocio magnopere laborandum fuerat, ſi, quæ vera nos eſſe arbitrabamur, ea ſolum proponenda eſſe putaremus. Iam verò cùm obſtantibus opinionibus dubijs & contro-

Quo modo author in hoc opere de origine Friſiorum verſaturus ſit.

uerſis

uerſis ad veritatem aditus non pateat,niſi remotis falſis,nos huic quæſtioni peculiares tres hoſce libros deputauimus:In quorum Primo erroneas de origine Friſiorum opiniones ordine paucis ac dilucidè confutabimus. Secũdo obiecta quædam diluemus, quæ à diuerſis contra aſſertionem noſtram oppoſita ſunt. Tertio ſententiam noſtram ab initio propoſitam diligentius proſequemur, ac dilucidis argumentis confirmabimus:Lectori interim liberum vbique iudicium ſuum relictu-ri. Quod ſemel hîc in initio iſtius operis dictum volumus, ne ſæpius inculcandum ſit.

Lib.1. *Lib. 2.* *Lib.3.* *Proteſtatio authoris.*

CAPVT SECVNDVM.

DE ANTIQVITATE FRIſiorum.

ANtiquiſsimam autem eſſe Friſiorum gentem,nemo(quod ego quĩdẽ comperi)hacte-nus dubitauit. Et alioqui ſatis inde liquet, quod ab antiquiſsimis Geographis & Hiſtoricis Græcis & Latinis,Strabone, Ptolemæo ,Plinio, Tacito, & alijs nominetur; quod & ſedem eandem, quam ipſi ei attribuerunt adhuc obtineat, & idẽ quoque nomen in hunc vſque diem conſeruet, quo ab iſtis appellata fuit. Reliquæ enim gentes omnes fere Germanicæ,atteſtante etiam B. Rhenano & VVolfango Lazio,vel ſedes veteres reliquerunt, vel noua nomina aſſumpſerunt. In remotis id probare nihil eſt neceſſe, cùm in proximè vicinis res ipſa loquatur. Hollandiæ nomen recens eſt, & Græcis iſtis Latiniſq; ſcriptoribus prorſus incognitum.Recens eſt & nomẽ Vltraiectinæ Ditionis & TrãsIſulaniæ,& iſtis æquè inauditum. Nomen VVeſtphaliæ iſti ſcriptores nunquam

Friſij antiquiſsimis Scriptoribus præſenti nomine ac patria noti.

Gẽtes Friſijs vicinæ nomina vetera amiſarũt,aut ſedes mutarunt.

quam audiuerunt. Nomen Geldriæ ante Chriſti annum 878. nulli auditum fuit. Saxonia quæ nunc dicitur, veterũ Saxonum, quos Ptolemæus norat, ſedes non fuit. Sic vt recentioribus ſcriptoribus difficillimum ſit definire, ſintne eędem iſtæ vetuſtæ gentes, mutatis tantummodo nominibus, an aliæ ſint iſtis remotis, quæ in præſenti ſedes ſupradictas in confinio Friſiæ tenent. De Friſijs interim ipſis nulla cõtrouerſia, nulla quæſtio eſt.

Friſiorum antiquitas & altior & certior quàm aliarum gentium in Germania.

Itaque vt candidus Lector habeat aliquid ſolidi, quo de gentis noſtræ antiquitate iudicare queat; ſcire debet, nos Principum ſucceſsiones, nobilium familias, vrbium etiam, pagorum, & caſtrorum fundationes, ſi non altius, at certè longè certius poſſe deducere quàm vlla Germanicarum gentium alia. Dani enim, tametſi antiquiſsimi ſint & Friſijs æquales in origine gentis, vt infra patebit, rationem tamen temporum ante Frothonem tertium, ſub quo natus eſt Chriſtus, nullam definitam habent. Franci etſi vetuſtiſsimi ſint, tamen & nominis & ſedium controuerſiam patiuntur, ita vt æræ ſuæ caput vnum & continuũ non habeant, neq; iuſtam Chronologiæ certitudinem ante Carolũ Magnum præſtẽt. Cæteri autem populi fere omnes, qui in Germania ſunt, aut nominibus aut ſedibus mutatis ſupradictis iſtis recentiores habendi ſunt. Friſij verò qui & nomen idem & ſolum hactenus tenent, quod ab initio habuerunt, vno eodemque filo rerum geſtarum rationem à principio ad finem vſque dilucidis temporum interuallis recenſere poſſunt.

Reipub. Friſonicæ 4. vices.

Itaque cùm ab anno ante natum Chriſtum 313. exordium ſumant, & Reipublicæ ſuæ formam quatuor vicibus ab eo tẽpore mutatam experti ſint, dilucidis annorum ſpacijs determinãt,

quan-

quantum tẽporis Principibus, Ducibus, Regibus vſque ad Carolum Magnum, quantum Poteſtatibus vſque ad Anarchiam, quantum factioſis vſque ad Carolum Quintum, quantum Dominis porro in hunc vſque diem tribuendum ſit. Ab eodem exordio quo Principum, etiam Stauriensis vrbis originem arceſsimus, quæ vt Friſici Regni caput olim fuit, ita etiam antiquitatis ergo inter omnes Anſeaticas Ciuitates hactenus apud Regẽ Daniæ, ea prærogatiua gaudet, vt per fretum Danicum quod Sundam vocant, naues eius mercimoniorum gratia, emporia orientalia petituræ reliquis expectantibus primæ tranſmittantur. Ab eodem item exordio nobilium aliquot familias deducimus, quæ continuata parentum ac filiorum ſucceſſione, in hunc vſque diem poſteritatem ſuam tranſmiſerunt primæuis nominibus & inſignibus conſeruatis. Itaque mille adeo & nongentis annis continuis dilucidam hiſtoriam ex Archiuis noſtris expedire poſſumus, eiuſque præſidio non modò Romanorum quatenus in Germania geſtæ ſunt, ſed & Danorum, & Francorũ, & Saxonum, & Tungrorum, & Auſtraſiorum, & Flandrorum, & Hollandorum, & reliquorum Germaniæ populorum rebus plurimum lucis adferre poſſumus, quæ bellis, connubijs, commercijs inter has gentes ac noſtram habitis euidenter patet. Cuius certitudinis rationes dilucidas ac ſolidas infra ſuo loco redditurí ſumus. *a*

Principiũ vrbis Stauriæ & priuilegium.

Nobiliũ familiæ in Friſia.

Antiquitas Aeræ Friſonicæ.

Certitudo chronologiæ Friſonicæ.

a Lib.3. cap.3.

CAPVT TERTIVM.

IN QVAESTIONE DE ORIGINE CVIVſque gentis primò diſcutiendum eſſe, ſitne indigena vel aduena, & qua ſignificatione hæc accipienda ſint.

Conſiderata gentis antiquitate, de origine eius iam conſequenter agendum reſtat, vbi prima quæſtio ſe offert diſcutienda, ſintne Friſij indigenæ an aduenæ? Sed cùm hanc differentiam aliter Ethnici, aliter Chriſtiani accipiant, ante omnia hæc explicari debet, ne nominum ambiguitas lectori nebulas offundat, quæ difficultatem pariant, cùm aliter Ethnici, aliter Chriſtiani indigenas & aduenas intelligant. Ethnici enim alij genus humanum æternum fuiſſe & exordio caruiſſe putant, ſicut de Pythagora Samio, Ocello Lucano, Archita Tarentino, cunctiſque adeo Pythagoricis, itemque de Platone ipſo & Xenocrate & Dicæarcho Meſſenio, cæteriſque veteris Academiæ Philoſophis, tum etiam de Ariſtotele ac Theophraſto, alijſque Peripatheticis non ignobilibus accepimus, qui huius opinionis ſuæ argumentum proferunt, quod negent omnino poſſe reperiri, aueſne ante an verò oua generata ſint; cùm & ouũ ſine aue, & auis ſine ouo gigni nõ poſsit: Alij verò genus humanũ quod antea non fuerit aliquãdo cepiſſe conce dũt, ſed diuerſo modo. Poetæ enim maximè vel ad molle lutum Promethei, vel ad duros lapides Deucalionis ac Pyrrhæ generis humani originem referunt. Philoſophi quidam vt Anaximander Mileſius, Empedocles, Parmenides, Democritus, & Epicurus ex putrefactione terræ atque a-

Ethnici quo modo indigenas & aduenas intelligant.

quæ

quæ homines vltro natos eſſe aſſeruerunt. Zeno Citiæus principiũ humano generi ex nouo mundo conſtitutum putauit, primoſque homines ex ſolo adminiculo diuini ignis, id eſt, dei prouidentia genitos; vulgo interim id perſuaſum man ſit, quarundã ſaltem gentium, quæ ex aduentitia ſtirpe non ſunt, principes, terrigenas eſſe. Vnde & haſce αὐτόχθονας vocant, velut ex ipſa terra in qua morantur natos: Illas autem quæ aliunde acceſſerunt ἐπήλυδας, hoc eſt aduenas appellant. Ex hac opinione nata contentio eſt inter gẽtes iſtas, quæ αὐτόχθονες haberi volunt, de antiquitatis prærogatiua, in quibus prçcipui fuerũt Aegyptij atque Arcades. Aegyptijs enim vulgari prouerbio hanc palmam tributam fuiſſe, teſtatur Lucianus, vtpote qui multa annorũ milia ex Archiuis ſuis oſtentarent: Arcades autem ſe Luna ipſa antiquiores eſſe iactitarunt. Huius litis dirimendæ cura ſollicitauit Pſammetichum Aegyptiorũ Regem, qui teſte Herodoto pueros duos recens natos paſtori educandos tradidit, ac ſimul interdixit ſeriò, ne coram eis vocem aliquis ederet, ſed ſolitaria in caſa ſine hominum commercio à capra nutritos biennium diligenter obſeruari iuſſit. Tum exacto biennio paſtorem, qui puerorum nutricationem ſuſceperat, vti iuſſus erat, ianuam caſę aperuiſſe, ac ambos clamantes infantes audiuiſſe Βεκκος, Beccus, quod primò audiens paſtor obticuit. Cùm verò crebrius adeunti & obſeruanti idem verbum ab infantibus ederetur, rem ad Regem retulit, eiuſque iuſſu pueros exhibet. Quos cùm & ipſe Pſammetich⁹ audiuiſſet, iuſſit fieri inquiſitionem quinã mortalium beccus in lingua vocem haberent familiarem, quod curioſè perquirens, comperit Phrygas ſic panem voca-

Contentio de antiquitatis prærogatiua inter gentes quæ indigenæ haberi voluerunt.

Pſammetichi experimentum in pueris de primitiua lingua.

 re.

re.Quo argumento confutati deinceps Aegyptij Arcadeſque contentione hac ceſſerunt, & penes Phrygas porro antiquitatis prærogatiua manſit. VndeApuleius in Aſino ſuo aureo lib.11.Phrygas primigenios, peſſinunticos nominat, cui & Claudianus ſubſcribit inquiens:

—Dat cuncta vetuſtas
Principium Phrygibus, nec rerum Aegyptius vltra
Reſtitit, humani poſt quam puer vberis expers
In Phrygiam primùm laxauit murmura vocem.

Sed hęc cordatioribus etiam Ethnicis, vt erant, delirantium ſomnia viſa ſunt. Ideoque conſimiles de antiquitate incomperta nugas Beckeſelana prouerbiali ſcommate vocauerunt, voce vna ridiculè ex duabus conflata, Becke ſcilicet, quæ panem & ſelana quæ lunam ſignificat, quarum quæque ſuis authoribus imitatores eorum appoſito ſymbolo conſimiles argueret. Interim verò Cornelius Tacitus Germanos gentem indigenam, hoc eſt αὐτόχθονα vocauit, quod in ipſa Germania & non alibi natos eſſe crederet primos Germanicæ gentis progenitores. Chriſtiani igitur, qui diuino beneficio per Moyſen de generis humani origine melius inſtructi ex Arca Noæ omnium gẽtium archegos educunt, nullos homines in hoc mundo indigenas eſſe ſciunt, cùm omnes omnino poſt diluuium in terram nulli propriam, ſed cunctis alienam, aliunde, hoc eſt ex aquis deſcenderint in campũ Sennear, & proinde omnes aduenę ſint. Nunc igitur cùm ex poſteris eiuſdem Noę poſt confuſionem Babylonicam in diuerſas mundi plagas diſperſis omnes nationes propagatæ ſint, Indigenas nos eas gentes nunc vſitatè vocamus, quæ ſedes iſtas primitiuas, in quas à Ducibus

Cor. Taciti opinio de Germanis.

Chriſtiani quomodo indigenas & aduenas accipiant.

bus primo aduentu deductę ſunt, continenter incoluerũt: Aduenas dicimus quæ his relictis alias occuparunt. Hac igitur ſignificatione Albertus Crantzius, B. Rhenanus, Hermannus Nevvenarius, & complures alij Germanos indigenas appellarunt. Hac etiam ſignificatione Lud. Gvvicciardinus Friſios indigenas eſſe pronunciauit, & opinionis huiuſcę ſuæ authorem producit Viglium Zvvichemum, nec deſunt etiam alij qui hiſce ſuffragentur, non alia, vt puto, ratione ducti, quàm gentis illa ſupradicta antiquitate. Sed hoc lubricum eſt, cùm ante eorum aduentum ſatis temporis effluxerit, vt alij hanc terram habitare potuerint, & Friſijs ſuperuenientibus ea cedere, vt infra declarabitur.

CAPVT QVARTVM.

FRISIAM AB EVENTV NOMEN non accepiſſe.

NObis igitur ſingulatim diſcutiendum eſt, quid in his verum & ſyncerum ſit, ſi prius declarauerimus Friſiam ab euentu non accepiſſe nomen vt quidam putant, qui Friſici nominis Etymologiam non à conditore gentis, ſed ab aliquo actu & peculiari quodam ſtudio gentis, aut qualitate terræ arceſſunt. in horum numero eſt author Chronicorum Hollandiæ: Aſſerit enim Valentinianum Cæſarem, eam terram, quam ſylua Feralis à Batauis tum ſeparabat, ob frigus inſolitum appellaſſe Frieſlandt, id eſt terram gelatoriam. Vnde Friſia porro dicta ſit à vernaculo verbo Frieſen quod gelare ſignificat. Ex conſimili euentu Græci (vt quidam putant) olim Germanos ac Gallos communi nomine Celtas, hoc

Friſia à frigore non dicitur.

Celtæ.

hoc eſt, frigidos appellarunt, quod hi comparatione earum gentiũ, quæ ab aduerſo Alpium habitant, in frigore degant, quod Germani Kelte vocant. Sed hoc ridiculum eſt Græcos Germanis ac Gallis, Italos Friſijs nomina poſuiſſe, quæ ſignificationem ex Etymologia linguæ vernaculæ ducant; propius ex vocis proſonomaſia luſit Georgius Dux Saxoniæ, qui nimijs belli expenſis in Friſiam ſubigendam factis offenſus, poſtquam audiuiſſet Friſios olim Freſos fuiſſe dictos, meritò eorum patriam non Frieslandt, ſed Freſslandt, hoc eſt, terram voratoriam appellandam eſſe dixit, vtpote quæ ipſi totam penè Miſniam deuoraſſet ac Thuringiam. Hic enim Germanus ad affectum ſuum vocis ſignificationem de proximo non inuenuſtè detorſit, ita vt ſcommatis locum expleret. VVolfgāgus Lazius, Friſios à Phrygibus, Phryges ipſos à libertate deducit, quam hoc nomen ſignificet, vt infra declarabimus latius. Hadrianus Iunius Friſios itidem ac Francos à libertate dictos eſſe contendit. Cuius ea de re ſententiam, quod etiam alibi nobis vtilis futura eſt, ad verbum hic ſubijciemus ex Batauiæ eius cap. 3.

Friſia à vorando non dicitur.

Friſij à Phrygibus aut à libertate non dicuntur.

» Vbi Friſios (inquit) à Phrygijs ſi dijs placet geni
» talem ortum trahere, ſunt inter nugiuendos &
» fabulatores, qui non dubitarunt ſcriptis tradere
» Duce & nominis primo authore Grunio Phry-
» ge, qui de ſuo nomine Gruningam vrbem in Fri-
» ſijs condiderit, ædificato ibi admirando operis tē
» plo, columnis Phrygijs crediderim, fulto, vt nul-
» lum tam impudens reperitur mendacium, quod
» authore caruerit. Hæc gēs vt & Frācica, certè con
» iūcta, ſi non eadem, vt dicetur poſtea, eandē pro-
» pe gloriæ hæreditatem cernere ambitu quodam,
» & peculiari tuēdæ libertatis ſtudio videtur pari
ardo-

ardore operata,quæ nominis occaſio vtriſq; fuit, „
certè hi ſe liberos Friſios prouerbialis dicterij „
ſpecie etiamnum venditant, ſeque Cæſarum ne- „
ceſſarios cognatosq; ipſi nuncupant, referentes „
id opinor ad Carolũ Magnum Francorum iuxta „
& Friſiorum dominum,Imperij aſſertorẽ ac vin- „
dicem,natione Francũ,hoc eſt liberum.Quo ſpe- „
ctat etiam quod pleraque omnis nobilitas inter „
Friſios clypeis ſuis,& inſignibus ſuis dimidiatas „
aquilas adijciat.Hæc Iunius ibi, quam ſententiã
ſuam & alibi rurſus inculcat verbis paululum
mutatis inquiens.Friſiã à Phrygia genitali patria „
dictã ſunt qui ſcribũt,alij à gelu extremo quo di- „
tio rigeat nomen deriuãt. Abbas Spanhemienſis „
authoritate Hunibaldi teterrimi hiſtoricæ veri- „
tatis corruptoris à Friſo Clodionis Criniti Fran „
corum regis filio nomen accepiſſe fabulatur,qua „
ſi non multis ante ſæculis Plinius ac Tacitus illo „
nomine eos nouerint.Ego ad libertatẽ cuius ſtu- „
dio ſemper flagrarunt nominis fontes referẽdos „
exiſtimo.Hęc Iunius,quibus non minus ſe ipſum
quàm alios confutat. Nam ſi Friſij hoc nomine,
vt hic dicit,à Plinio ac Tacito cogniti ſunt, vtiq;
nomẽ hoc à Carolo Magno adepti non ſunt, vti
dudũ innuere videbatur. Deinde ſi Friſios inde
dictos concedimus, quod cupiant eſſe liberi,qui
Germanica lingua Fri dicuntur, quid obſtat quo
minus omnes populi rectè Friſij dicantur qui de
trectant iugum ſeruitutis?Nos igitur huiuſmodi
coniecturas illis relinquamus,qui ſuis Etymolo
gijs veras gentium origines peruertunt. Friſij e-
nim à Friſone ſuo conditore denominantur, nec *Friſij vnde dicãtur.*
aliud quicquam ſignificat Friſia,quàm Friſiorum
terram, ſicuti Saxoniam dicimus terram Saxo-
num.De libertate autem Friſiorum,quam in pri-
mo gen-

mo gentis acceſſu ordines Germaniæ illis contulerunt, & luxatam Carolus Magnus reſtaurauit, ſicut & de inſignibus eorum ſuo loco diligenter dicturi ſumus.

CAPVT QVINTVM.

QVOD INEPTAE SINT RATIONES Cornelij Taciti, quibus docere nititur, Germanos eſſe indigenas.

IAM igitur vt ordine omnia peragamus, primùm Cornelij Taciti opinionem trutinemus, qui Germanos, inter quos & Friſios cõprehendit indigenas eſſe, pnunciauit. Cui ſi quis obijciat cur non etiam hodie in Germania homines è terra naſcantur, vbi etiam nunc ſemina limus habet virides generantia ranas. Reſpondebit ex communi ſententia omniũ Philoſophorum, deſijſſe vbique iam id fieri, ex quo indurata iuſto magis gleba fuit, quàm vt ad huiuſmodi generationem idonea maneret. Itaque olim adhuc apto luto, ex terra ſua Germanos eſſe natos, tribus argumẽtis declarare nititur in eo libello, quem conſcripſit de moribus Germanorum, quæ nos verbis ipſius hic propoſita paucis diluemus. Ait Tacitus. Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus & hoſpitijs mixtos, quia nec terra olim, ſed claſsibus

Germanos in Germania natos eſſe Tacit. 3. argum. colligit.

1. Argum. Taciti.

„ aduehebantur, qui mutare ſedes quærebant, &
„ immenſus vltra, vtq; ſic dixerim, aduerſus ocea
„ nus raris ab orbe noſtro nauibus aditur. Ex itineris difficultate arguit Germanos aliunde nõ aduenisse, quia ſcilicet aduenæ nec mari poſsẽt, nec terra ſoleant accedere. Vtrumque hoc æquè friuolum eſt, etſi enim Tacitus fortè non legerit, quæ gentes ex media Scythia pedeſtri itinere in

Germa-

Germaniam viciſſim tranſierint, ignorare tamē Brennum non potuit, qui ex Gallia pedeſtrem exercitum in Italiam, & hinc porrò in Græciam duxit, & Galatas ibi condidit: non potuit ignorare Cymbros, qui ex Germania extrema profecti idem iter ingreſſi, Galliæ, Italiæ, Græciæ, Hiſpaniæque magnam partem peruagati, ſatis declararūt, patere terreſtre iter ex Germania quocunque terrarum ſe copiæ iuſtis præſidijs inſtructæ conuerterint, vt dubitare nemo poſſit quin & aliunde conſimili itinere in Germaniā aditus pateat, vt exemplo ſuo etiam Romani ipſi declararunt, quod ignorare Tacitus non potuit. Quod ſi autem olim claſſibus aduehebantur, qui ſedes mutare quærebāt, quid obſtat, quo minus & Germanos proinde claſſibus olim aduectos fuiſſe concedamus. Oceanus enim nunc magis immenſus non eſt, quàm olim fuit, qui ſi raris ab orbe Romano nauibus aditur, non aditur tamen nullis. Quod & ipſum Romani ſuis claſsibus declarant. Ait Tacitus. Quis porrò præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia, aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, „ aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuque, niſi ſi ſit „ patria? Secundū argumentum eſt, quo Tacitus arguit nullum eſſe commodū in Germania quo alli ciaduenæ poſſint. Hoc tamen ſi verum eſt, quæri poſſit ex Tacito, quid ergo Romani ſectantur in Germania, qui tot impēdijs, tot ſuorum ciuium cædibus, tot itinerum difficultatibus, tāto temporis ſpacio tam pertinaciter Imperio ſuo Germanos ſubiugare conantur. Interim tamen Tacitus ex inſufficienti cauſarum enumeratione iniquè infert quod vult. Nec enim ſolum voluntaria cauſa gentes exteras in Germaniam allexit, vt

2. Argum. Taciti.

Roma-

Romanos,qui commodo ſuo eam inuaſerũt, ſed etiã neceſſaria, quæ & ipſa non ſimplex,ſed multiplex eſt.Strabo lib.7. teſtatur omnium Septentrionalium Germanorum commune eſſe, vt facilè ſolum atq; ſedes propter tenuitatem victus mutent,cũ nec agros colant,nec opes poſſideant, ſed maxima ex parte ex pecore viuant, eóque caſas habitent, quas vno die exſtruant, inſtar Nomadum, quorum etiam more & imitatione reb⁹ ſuis in currus impoſitis, cum pecore quo viſum fuerit proficiſcantur. Dionyſius etiam Halicarnaſs.antiq. lib.1. vetuſtum hunc morem à multis tam Græcis quàm Barbaris vſurpari ſcribit, vt cùm populi multitudo in immẽſum excreuiſſet, nec ſatis alimentorum domi omnibus eſſet, aut aëris intemperie terra pauciores ſolito fruges produxiſſet, aut alia calamitas ciuitatẽ afflixiſſet,eaq́; propter,multitudo minuenda eſſet,Deo conſecrantes,quęcunq; eo anno nata eſſent,iuuenes armatos emiſiſſe,qui peractis ſacris ad victus ſedesq́; quærẽdas ablegati quamcunq; regionem aut armis ſubegiſsẽt, aut gratia obtinuiſſent pro patria habuiſſe,ſedeſq́ue ibi poſuiſſe.Quinetiam ſi qui populi ſe ſedibus ſuis maximè continere cupiebant, ij tamen vicinarum gentium à tergo ſuperuenientium incurſionibus identidem ita propellebantur,vt velut vnda vndam trudit,ita poſteriores prioribus ſemper incumberent, & expulſis locum eriperẽt, quod Tacitus in Sueuis ac Vandalis ac Cimbris ac Boijs & quibuſdã alijs factũ eſſe non ignorauit,& certè ex Cæſare,Strabone ac Dionyſio cognoſcere potuit. Aït Tacit⁹.

3. Argum. Tacit.

Ipſe eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ
„ populos nullis alijs aliarum nationum connu-
„ bijs infectos propriam & ſynceram, & tantum ſui

ſui ſimilem gentem extitiſſe arbitrantur. Vnde „ habitus quoque corporum, quanquam in tanto „ hominum numero idem omnibus, truces & cœ- „ rulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora & tan- „ tum ad impetum valida, laboris atque operum „ non eadem patiētia, minimeque ſitim æſtumque „ tolerare, frigora & inædiam cœlo ſoloue aſſue- „ uerunt. Sanè hercule Tacitus hic Germanorum delectum non indiligentē egit, qui omnibus illis quos ſupradicto libello complexus eſt, hāc proſopographiam communem fecit. Francos igitur, & Saxones, & Sicambros quia inter has nominatim nō recenſet, aut prorſus nō nouit, aut ob diſparem vultum aduenas eſſe iudicauit. Sed extra iocum, quid obſtat, quo minus eodē habitu ſint, qui ſunt eiuſdem gentis, tametſi aliunde acceſſerunt? Sufficere igitur hæc ad refellendū Tacitum poterant, niſi inſtaret Andreas Althamerus, qui ex hoc eodē Taciti loco, quem interpretabatur, præter ſupradicta argumenta à nobis confutata, elicit alia inſuper quatuor, quibus ſententiam Taciti tuetur, & contendit Germanos eſſe γνησίους, hoc eſt, vt ipſe loquitur, verè Germanos, ſynceros, indigenas, in ipſa Germania genitos, à nulla exotica natione deriuatos, quæ nos vt in propoſito abſurdo futilia & vſu ipſo confutata conſultò omiſimus. Petat inde ſi quis volet, neque teſtium authoritate interim perſtringatur, quos ille Tacito ſuffragari dicit. Nominat Antonium Sabellicum, Nicolaū Perottum, Conradum Celten, Henricum Bebelium, quibus & Iodocum Villichium & Vvolfgāgum Lazium, & quoſdam alios addere poterat; neq; enim teſtibus his quicquam proficitur, cùm in contrarium teſtes longè plures ſuppetāt, neque etiam teſtibus res agenda ſit,

Andreas Althamerus cū ſuis ſuffragatoribus Tacitum confirmat in errore.

vbi veritatē acta declarant; neque enim gentium migrationes, neque coloniarum deductiones ex Aſia in Europam, ex Scythia in Germaniam factę negari poſſunt, neque Togorma Germanicæ, neque Tuyſco Teuthonicæ nationis archegus aliunde in Germaniam adueniſſe negari poteſt. Quare ſi Athenienſes, ſi Arcades, ſi Theſſali, ſi Phryges, ſi Aegyptij, ſi qui alij ſic indigenæ videri volunt, vt nō aliundè in ſuam patriam inducti ſint, hi cū cochleis, vt ille dicebat, ſibi placeant, quantum libet. Nam quod Germanorum & Athenienſium eandem cauſam facit, & illorum exemplo Germanos indigenas eſſe contendit, quid opus eſt multis trutinare, cùm ſi vtrimque maximè paria ſint omnia, falſum tamen ſit hominem vllum nedum gentem aliquam totam ex terra genitam eſſe, & verum ſit, omnes omnino gentes aliunde in ſedes ſuas, quas incolunt acceſsiſſe, vt ſupra declarauimus. Sanè ſi penes Germanos veteres literarum vſus fuiſſet, quibus quæque gens actorum ſuorum memoriam poſteritati commendaſſet, minor eſſet occaſio figulis hiſce nouis, qui ex ipſo patriæ hiſtoriæ defectu anſam arripiunt, qua quiduis negare, quiduis affirmare, addo etiam confingere audeant, modò fortiter clamitent Germanos omnes eſſe indigenas. Nos quibus maiorum noſtrorum prouidentia litteras ab initio tradidit, & originem ſuam ſignificauit, Tacito tribuimus hic quantum debemus, & in ijs quæ nobis aut incerta planè, aut falſi tem dubia ſunt, illi libēter aſſurgimus: In ijs verò quæ nobis magis explorata ſunt, neq; Tacito, neque ſuffragatoribus eius vllis cedimus, freti Plinio, qui indigenis dè ſua patria diſputantibus credendum cenſet. Ideoque & ea quę ad hunc locum

Veteribus quantum ſit tribuendū, quantū publicis actis cuiuſq; gentis.

cum illuſtrandum in primis pertinebunt, commodiori loco ex ꝓfeſſo docebimus, quæ Friſijs, Saxonibus, Danis, Cimbris, ac cæteris maris Septētrionalis accolis, cum Romanis, Siculis, Græcis, Aegyptijs, Indis communia fuerint; vt planè mirari deſinant, Cornelius Tacitus, Albertus Crantzius, Andreas Althamerus, & eorum ſectatores quotquot ſunt non modò non difficilem, ſed etiã facilem & frequentem non minus quàm hodie eſt, in Germaniam ex quauis mundi plaga fuiſſe olim nauigationem.

Capvt Sextvm.

ADVERSVS EOS QVI FRISIOS indigenas eſſe contendunt: vbi de Crantzio & Strabone.

EA igitur ſignificatione, qua Ethnici hoc nomen accipiunt, Friſios indigenas non eſſe communis omnium Germanorum cauſa probat; ſed ea eſſe qua Chriſtiani vſurpãt, coniecturæ nõ prorſus abſurdæ arguere videntur. Poſita enim illa ſupradicta eorũ antiquitate, quid obſtat quo minus Alberti Crantzij ſententiam recipiamus, qui dicit populum antiqui nominis Friſios olim fuiſſe Cauchios; aut ſi id minus placet, quid vetat quo minus Cimbricam gentem dicamus eſſe Friſios, cùm totum illum tractũ per littus Oceani Septentrionalis à Cimbrica Cherſoneſo Occidentem verſus, per Friſiam, Hollandiam, campeſtrem Brabantiam & partem Flandriæ olim à Cimbris habitatam eſſe Ioan. Goropius Becanus afferat? Cui etiam in hoc præiuerunt Iacobus Meierus & VVolfgãgus Lazius, Raimundus Marlianus & nõnulli alij. His accedit, quod nonnulli antiqua Cimbrorũ & Saxonum lingua populos

Alb. Cran. ſententia de Friſijs.

Plures autores putant Friſios eſſe Cimbros.

iſtos omnes vti tradant, qui ab Occidente in O- rientem per littus Oceani Septentrionalis con- tinuo tractu tenditur inter ortum æſtiuum,& oc caſum Brumalem ab extremis Flandriæ finibus, quibus Picardiæ Gallicæ iungitur vſq; ad extre- mam Naruam, continens ſcilicet intermedias Flandriam, Brabantiam,Zelandiam, Geldriam, Hollandiam, Friſiam, Hadeliam, Pomeraniam, Boruſsiam,Liuoniam. Habitu denique corporis, de quo Tacitus agit,à cæteris Germanis Friſij nõ diſcrepant,multaque habent & alia,quæ arguere videntur,Friſios à prima inde origine ſua & fu- iſſe & eſſe puros putos Germanos, ita vt non ſine ratione Viglius Zvvichemus Lod. Guicciardino aſſeruerit, eos eſſe aborigines inter Germanos. Sanè, vt dicam quod ſentio, hæc & horũ ſimilia, quæ multa congeri poſſunt,ſpeciem aliquam ha- bere videntur,quę ſub vmbra veritatis obrepere occupatis queat. Cæterùm cùm adeo certa & manifeſta ſint, quæ de aduentu progenitoris no- ſtri publicis actis conſignata ſunt, nobis ſatis conſtat Friſios non indigenas eſſe, ſed aduenas, & illo tractu,quem ipſi nunc incolunt, ea tempe ſtate egiſſe non Cimbros, ſed Sueuos, & proinde leui momento ea quæ iſti adferunt diluuntur: quod idcirco vt appareat eſſe verum, ad ſingula hæc ordine quanta maxima poſſumus breuitate ac perſpicuitate reſpondebimus.

Ex habitu corporis multi ar- guũt Fri- ſios eſſe indigenas.

Ex Archi uis patrijs eruenda cuique gẽ- ti actorum veritas.

Friſios non eſſe Cau- chos.

Nam ſanè quod Crantzius Friſios è Cauchis deducit,cùm ſine ratiõe,ſine teſte dicat, pari faci litate contemni debet: Cuius verba non aliò ten dunt,quàm vt Friſij videantur indigenæ,quò taci tè diluat opinionem de aduentu trium fratrum ex reliquijs Macedonici exercitus, de quibus in- fra ex profeſſo tractabitur. Nã de Cimbris quod

ſupra-

ſupradicti authores adferunt, cùm ex inueterato Strabonis errore pendeat, diligenter eſt refellendum. Strabo enim confidenter negat Cimbros vnquam coluiſſe Cherſoneſum, eosque eodem loco ſemper egiſſe aſſerit, quo ipſos memoria ſua, hoc eſt, ſub Auguſto Cæſare habitaſſe docet, quos tūc Sugambris, hoc eſt, Sicambris ad Orientem proximè ſubiungit, intra Albin tamen. Vtrosque autem ad Septentrionem Germanorum vltimos facit, eisque totum tractum illum Borealem, qui intra Rhenum & Albin eſt, ſolis adſignat, ita vt Sugambri Rheno, Cimbri Albi ſecundum ipſum proximè vicini ſint. Quo loco admiranda eſt oſcitantia quorundam recentium ſcriptorum, qui Strabonis verba contra mentem ipſius accipiūt: Strabo enim Cimbros ſemper egiſſe aſſerit, vbi ſua ætate agebānt, ſed ipſe eos ſua ætate intra Albin & nequaquam in Cherſoneſo egiſſe (quanquam falſo) ſcribit, illi ita Strabonem intelligunt, ac ſi ille eos in Cherſoneſo ſemper egiſſe ſcribat, quia reuera illius memoria in Cherſoneſo agebant.

Friſios neque Cimbros, neq; ex Cimbris eſſe.

Strabonis error de ſedibus Cimbrorum.

Strabonis verba perperam intellecta nouum errorem veteri addiderunt.

Cur autem Strabo Sicambros ac Cimbros ad ſeptentrionem vltimos faceret, iuſtam ignorantiæ ſuæ cauſam habuit. Nam cùm gentes Germanicæ Romanorū bellis nobilitatæ ſint, vt Strabo dicit, in tenebris latuerunt obſcuræ, quibus cum Romanis bellum non fuit.

Strabonis error excuſatus.

Itaque cùm Romani ab Auſtrali parte Germaniam aggreſsi ſint, & in Septentrionem paulatim mouerint, eas ad Septentrionē sēper vltimas eſſe rati ſunt, quæ poſt eas erant, quas ipſi oppugnabant. Quocirca & Strabo cùm gentes Auſtrales aliquot enumeraſſet, de quibus Druſus triumphauerat, Bucteros & Nuſipetes nominat, quos Cor-

Sicambrorũ & Cimbrorum nomine Strabo gẽtes ad Aquilonẽ vltimas vocat intra Rhenũ & Albin.

nelius Tacitus Bructeros & Vſipetes vocat. His ad Septentrionẽ proximos facit Sicãbros, quos ideo ad Septentrionẽ vltimos facit, quod vltra eos nullas alias gẽtes norit. De Cimbris, quos his ad oriẽtẽ proximè ſubiungit idem ſentiendũ eſt. Itaq; ex hoc loco apparet Straboně Sicambrorũ nomine populos ad Aquilonẽ vltimos nominare, quos ipſe à Rheno ad Amiſin extremos audierat; Cimbros eadẽ ratione dicere, quos ab Amiſi ad Albin porro Septentrionalẽ versꝰ poſtremos acceperat.

Cur Strabo putarit Cimbros in Cherſoneſo nõ habitaſſe.

Cur autem Strabo Cimbros Cherſoneſum nũquã incoluiſſe putet, cauſas duas ipſe reddit, quæ cùm futiles ac falſæ ſint, ſatis arguunt Strabonem ipſum in Germania nunquam fuiſſe, & proinde à rei veritate, quam aliunde accipere potuiſſet, temere deflexiſſe.

1. Cauſa.

Cauſa prior eſt, quod Romanis hactenus, vt ipſe dicit, in Germaniam vltra Albin nihil eſſet exploratum. Vtpote cùm Auguſtus Albin Romanæ ditionis terminũ in Germania eſſe voluerit, ideoque edicto vetuerit, ne Duces vltra Albin orientem verſus arma proferrent, eamq; causã eſſe cur gentes quæ vltra Albin ſunt, Romanis hactenus incognitæ mãſerint.

2. Cauſa.

Altera cauſa eſt, quod migrationis Cimbricæ, quã ex Cherſoneſo factã aiunt veteres, cauſam reddãt fabuloſam (vt ipſe putat) & à veritate prorſus alienam: Videlicet quod Cimbri iſti inũdatione maris cõpulſi patriam reliquerint, quod apud Ephorũ & Clitarchum legerat; poſtea enim cũ in Poſſidoniũ inundationes negantẽ incidiſſet, hunc ſecutus, illos falſiſſimè deridet. Poſsidonio quidẽ accidit idẽ quod imperitis, qui quod in patria ſua nõ fit, etiã nuſquam terrarum fieri putant. Ideoq; cùm in Græcia inundationes ita frequentes non fuerint, Poſſidonius eos etiã in Germania non fieri pu-

ri putauit: Ideoque omnia quæ Ephorus & Clitarchus de inundationibus ſcripſerunt, illi dicta intelligunt de æſtu maris, in quem iſta nullo modo quadrant, qui cùm ſtatis temporibus naturaliter & conſueto modo placidè fiat, nec inexpectatus nec formidabilis eſſe poteſt. Fabuloſam igitur eſſe vanitatem Ephori & Clitarchi qui ſcripſerunt huius Borealis littoris accolas plus incommodi percipere à mari quàm ab hoſtibus: ab eo domos ſuas frequenter ſubuerti, quas ipſi nihilominus reſtaurent; quin & accolas eosdem arma expedire contra vim fluctuum, quorum etiam tanta ſit pernicitas, vt homines equo citato vecti fluctus aduentantes vix effugiant. Hæc igitur ſi cum Poſsidonio & Strabone ad maris æſtum referas, experientia ipſa conuincit eſſe falſa, ſi verò cum Ephoro & Clitarcho referas ad maris inundationem, eadem etiam experientia conuincit nimis eſſe vera, vt infra mox plenius declarabimus. Quid igitur facias Poſſidonio & Straboni non credentibus crebras ac periculoſas inundationes maris fieri in accolas littoris Septentrionalis in Germania? Idem nimirum quod & alijs quibuſdam Græculis, qui in cauſa pari Diodorum Siculum mendacij arguũt, quod ſcripſerit in Germania aquam frigore hyberno ſic indurari, vt glacies equum ferre cum ſeſſore poſſit, non alio argumento nixi, quàm quod omnibus Græcis conſtet id in Græcia non fieri. Poſſidonium autem temeritatis excuſet quiſquis poteſt: Strabonem verò quis excuſare poſſit equidem non video, qui non modò Poſsidonij errorem approbat, ſed etiam adiecto ſuo conduplicat. Poſsidonius enim etſi inundationes negat, non negat tamen Cimbros Cherſone-

Aeſtus ab inundatione maris multum differt.

Inſcitia confidentiã parit.

ſoneſum incoluiſſe, quod planè negat Strabo. Atqui tamen ſcire non modò debuit, ſed etiam potuit, Cimbros Cherſoneſum habitaſſe tum, cùm expeditionem facerent in Italiam: nam cùm Romanorum prouincias in Germania, & eorundem res in his geſtas poſteritati commẽdaret, habebat tabulas Auguſti, habebat commentaria Cæſaris, habebat alia quæ tunc extabant, vnde patriam eorum diſceret, quam Romani ſuo periculo docti iam norant, longè antea quàm Auguſtus naſceretur; & cùm mentionẽ faciat Lebetis, quem Cimbri Auguſto donauerunt, cauſas ignorare non debuit, cur is donatus fuerit. Donatum ait ad veterem offenſam leniendam, quod non ita eſt: nam ſi Cimbri intra Albin habitaſſent, nõ dona, ſed tributa ab illis Auguſtus accepiſſet, vt à cæteris (præterquam à confœderatis ſocijs & amicis Batauis ac Friſijs intra Albin commorantibus,) quos ſubditos ſuos habere voluit. Dona igitur à Cimbris accepit, quod vltra Albin habitarẽt, vt & à cæteris Tranſalbinis omnibus. Quod fœdere ſolenni factum eſt in conuentu publico Romanorum & Tranſalbinorum Principum; quod fœdus vtriſque extorſit mutuus metus: Tranſalbini enim hanc pacem cupidè amplexi ſunt, docti Ciſalbinorum exemplo contra Romanorum pertinacem atque potentem vim ſine periculo bellum ſuſcipi non poſſe. Romani etiã ſpectro Druſiano moti, quod euentu ipſo videbant eſſe comprobatum, facilè paſsi ſunt Albin imperij ſui terminum in Germania poni, cùm vererentur ne ſi longius progrederentur, Ciſalbini à tergo ipſis incũberent, & commeatum & ſuorum ſubſidium, & reditum denique intercluderent: & erat ipſis vel illud in

Cimbri Auguſto cur ſacrum Lebetem donent.

Fœdus pub. Trãſalbinorum principum cum Romanis.

Præ-

præſenti abundè ſatis, quod veterem ſocietatem inter Ciſalbinos ac Trāſalbinos hoc fœdere interrupiſſent, & exinde æternæ diffidentiæ fundamenta ieciſſent. Quas artes Romanorū proprias fuiſſe ex Tacito luce clarius apparet, qui multis exemplis docet, Romanos nō alia ratione magis fregiſſe Germanos quàm ſerenda inter ipſos diſcordia. Itaq; ergo vt ex perpetuo fœdere ſolidā pacem haberent, Cimbri Lebetem ſacrum, alij alia munera, non vt ſubditi, ſed vt amici & confœderati Auguſto dederunt: De quibus nos ſuo loco pluribus agemus. Erroneam igitur Strabonis eſſe ſententiam, qui Cimbros intra Albin cōcludit, & eoſdem Cimbros & Sicambros totum tractum intra Albin & Rhenū ſua memoria occupaſſe, & ad plagam Septentrionalem populorum in Germania vltimos fuiſſe ſcribit, ex his, vt opinor, liquidò apparet.

Capvt Septimvm.

QVOMODO STRABONIS ERRORibus ſeducti quidam ſuos accumulent, atque ita veritatem etiamnum grauius obruant.

HAEC igitur quanquam expendere meritò debuerāt ſuperiores authores iſti, qui nobis obijciuntur Meyerus, Lazius, Marlianus & Goropius, tātum tamen abeſt, vt errorem Strabonis aut corrigant, aut ſaltem indicent, vt etiā ſuos his certatim cumulent, quaſi ad ſubruendam veritatē ille non ſufficeret, niſi ſuccenturiatores iſti fortiter illi ſuffragarentur, quanquā tamen in ſumma ipſi inter ſe diſcrepēt. Quorum

Plinij loc⁹ emẽdatus. proinde errores, quò clarius conſpiciantur hic ſeparatim paucis diſcutiendi ſunt. Legerũt apud *a Libr. 4. cap. 14.* Plin. *a* inter Iſtæuones, quos ille Rheno ꝓximos facit, numerari Cimbros mediterraneos: Illi autem cùm textum Plinianum eo loco mendoſum eſſe non animaduerterent, Cimbros mediterraneos interpretãtur eos, quorũ ſedes nunc Geldri tenent. Eundem etiam locum Sicãbris Strabonis aſsignant. Ideoq; quod conſequens eſt, Cimbros mediterraneos Plinij eoſdẽ eſſe contẽdunt cum Sicãbris Strabonis, vnde non deſunt qui ſcribũt hoſce Cimbros mediterraneos fuiſſe, qui duce Merodaco Romanos vnà cum Teuthonis inuaſerũt, aduerſus quos Caius Marius miſſus vſque ad Moſã deſcẽderit. Hoc aũt vt cũ publica hiſtoriæ fide, ita & illud cum Strabonis ſententia manifeſtè pugnat, qui Cimbros notabiliter diſtinguit à Sicambris, vt ſuperiori capite apparet. Itaq; ſale opus erat, ad hanc repugnantiam conciliandam. Ad ſacram igitur anchoram, hoc eſt, ad Etymo- *Etymologia nominis Cimbrici.* logiam confugiunt, ac docent eiuſdem originis eſſe Cimbros & Sicambros: Primũ enim ex Cimber literis vſu vulgi paululum affectis Kimper, & ex eo Kemper, & ex hoc demum Kamper eſſe factum, quod pugnatorem ſignificat; deinde addita huic ſyllaba ſi, & ea reſoluta in ſe, quod mare notat, fieri Secamper, quod ſignificat pugnatorem maritimum. Hoc vt & alij nonnulli, ita etiã Vvolfgangus Lazius adnotauit & Caſpar Peuce- *Errorũ fontes de Cimbris.* rus. His ita præmiſsis cùm apud Cæſarem legunt Aduaticos Cimbrorum colonos eſſe, quos ipſi & ad Scaldin in Brabantia collocant, & pro ſolertia ſua facilè colligũt etiam vlterius propagaſſe fines ſuos, nihil dubitant, quin Cimbri Auſtrum verſus vſque ad Sicambros incluſiuè, vti nũc loquuntur, & Occidentem verſus vſque ad extre-

mam Galliç Belgicç oram excluſiuè intermedias prouincias omnes occupauerint. His ita collectis, cùm & re præſenti, & communi omniũ conſenſu, & Taciti & Ptolemæi & Melæ teſtimonio cognoſcant, Cimbros in Cherſoneſo habitaſſe, quamuis id Strabo neget, connectunt vera cum falſis, ac dicunt, Cimbros non modò Cherſoneſum ipſam, ſed & omnes etiam prouincias intermedias, quæ inter Cherſoneſum & oram Gallicam interiacent incoluiſſe. Ad Auſtrum autem Sicambros, ad Septentrionem Oceanum Britannicum ijſdem Cimbris terminum fuiſſe cõfidenter aſſeuerant. Hæc igitur vt partim ex imperitia Strabonis, partim ex mendoſo Plinij codice, partim ex erroribus Neotericorum pendent, ita refelli & debent & facilè poſſunt. Primũ enim quod ad Auſtralẽ plagã huius tractus attinet, locus ille apud Pliniũ de Cimbris mediterraneis, ſemper ijs qui oculatiores fuerũt ſuſpectus fuit, quibus abſurdũ videbatur Pliniũ Cimbros cum Sicambris confundere. Ideoq; Cimbros mediterraneos alij alibi Volaterranus in Thuringia fuiſſe putat, pauci errorem detegere conati ſunt. Althamerus apud Plin. Sicãbros legendũ admonuit, cui ſuffragatur & Hadrianus Iunius, qui adhibita diſtinctione, vocẽ, mediterranei, ad ſequentẽ dictionem Herminones, referendã cenſet. nos codices antiquos vidimus, in quibus vox Cimbri tantũ habebatur, ideoque putamus vocem, mediterranei, eſſe irreptitiam. Nam cùm pro voce Sicambri ſcribentis oſcitantia irrepſiſſet Cimbri, ſciolus aliquis, vt oportuna gloſſa mederetur huic abſurditati, adiecit Mediterranei, ad differentiam ſcilicet maritimorum, qui Cherſoneſum incolebant. Alioqui enim Plinius ipſe pugnaret ſecũ, qui & hic inter

Cimbros Mediterraneos nullos eſſe.

Plinij codex mendoſus.

Iſtæuo-

Iſtæuones poneret Cimbros, quos antea poſuerat inter Ingæuones: ſimpliciter autem illic apud Plinium Sicambros eſſe legendum docet ipſa rerum geſtarum veritas. Illic enim Sicambri erant, vbi nunc Geldri ſunt, vt ex Cæſare diſcimus, qui ipſi negotium faceſſebant: illic erant, cùm eorum decem milia Auguſtus trãs Rhenum abſtulit: illic erant, cùm à Francis occuparentur: illic denique ſemper fuiſſe vicinę gẽtes Bataui & Friſij ſen ſerunt multis bellis contra eos geſtis: illic Sicambros fuiſſe, teſtatur Poeta qui canit:

Detonſus Vahalin bibat Sicamber:

Illic eos fuiſſe teſtatur Althamerus, Birckhaimerus, Hermannus Comes Nevvenarius, & com plures alij, quos hic recenſere lõgum foret. Hinc igitur apparet eorum ſententiam duobus nominibus abſurdam eſſe, qui ex Etymologia nominis Cimbrici docere conantur Cimbros eoſdem eſſe qui ſunt Sicambri, cùm & vocis exoticæ Etymologiã ex lingua Germanica quærant, & nomẽ quod proprium erat, in appellatiuum reſoluant. Primum enim Kemper nomen eſſe Germanis vſitatiſsimum nemo Germanus ignorat, deinde & appellatiuum eſſe nemo negare poteſt, cùm pugnatorem ſignificet, & proinde omnibus ex æquo competat qui pugnatores ſunt. Hæc autem nullam prorſus cognationem cum nomine Cimber habent. Cimber enim originis eſt Hebrææ, cùm deriuetur ex Gomer; ex Gomer enim literarum modica deflectione Comer, & ex eo Cumer, & inde Cumber, hinc Cimber fit; & vtcunque proferatur, nomen eſt proprium, nec aliud quicquam ſignificat, quàm filium Iapheti, illum, qui Cimbricę gentis Archegus fuit, quemadmodum nec Cim-

Sicambrorũ non eandẽ etymologiam eſſe quæ eſt Cimbrorũ.

brorum quidem nomen aliud quicquam ſignificat, quàm poſteritatem ex Gomero deſcendentem. Hæc igitur ſi quis appellatiua faciat, aut aliud ſignificare doceat, is vim vocibus his faciat: nam ſi primitiuum nomen peculiariter energiã ex impoſitione maiorum (vt ſolent hebræa) ſibi vel ad præteritorum recordationem vel ad futurorũ præceptionem habeat adnexã, ea ipſa quoque illi adeo propria eſt, vt ne deriuatiuis quidẽ ſuis Cimbris nedum perſonis exteris conueniat. Non igitur ſolum temeritas iſtorum animaduertenda eſt in eo, quod nuda profonomaſia vocum Cimber & Kimper freti hebraicæ voci ſignificationem affingant ex voce Germanica, ſed etiam animaduertẽda imprudentia eſt, quod ea ipſa ſignificatione confingenda ſe palã deridendos præbeant. Quid enim magis abſurdum eſt, quã Cimbros mediterraneos, quos Sicambros eſſe aſſerunt, Secampers, hoc eſt pugnatores maritimos interpretari? Cùm vtique Sicambros ipſi in Geldria collocent, quę à mari vtique Plinij ætate longiſsimè remota fuit. Sic igitur repurgato Pliniano codice, faceſſant ex Geldria Cimbri, & conſentiat cum Strabone Plinius, qui illic Sicambros collocat. Sed interim Albertus Crantzius memoria lapſus, quod apud Plinium de Cimbris mediterraneis legerat ex Ptolemæo citat, & Cimbros mediterraneos interpretatur Saxones, quem multi ſequuntur, ita plena fiunt errorum omnia: Sicambros autem intra Rhenum & Amiſim ad Septentrionem, vt Strabo putat, vltimos non eſſe Plinius, Tacitus, & Ptolemæus declarant, qui illic Batauos ac Friſios monſtrant. Intra Amiſim porro & Albin Cimbros non habuiſſe ſedes ijdem Plinius, Tacitus & Ptolemæus docent, qui totum illum

Albertus Crantzius imprudentius aliorum errores conduplicat.

Sicambri ad Septentrionẽ vltimi nõ ſunt.

Cimbri intra Amiſim & Albin ſedes non habuerunt.

illum tractum Borealem Friſijs ac Cauchis aſſignāt,& Cimbros in Cherſoneſum retrudunt:Quorum vnanimis conſenſus rebus ipſis fultus errorem Strabonis efficaciter confutat, nec minus eum falli arguit in eo, quo Cimbris intra Albin ſedes attribuit, atque in eo quo illis in Cherſoneſo eas adimit. Ideoque nemo miretur Hamburgenſes, & ſi quos alios, falſo Cimbris eſſe adnumeratos, cùm & Sicambri his falſo adnumerati ſint. Illud enim errori Strabonis, hoc mendo Pliniani codicis debetur. Quibus rectè conſideratis facilè perſpicitur iuſto lōgius produxiſſe Cimbrorum fines Chriſtianū Cilicium, cùm Strabo & Ptolemæus quos allegat, longè aliter ſentiant. Nam quo minus & illud credam, quod idem ſcribit, Cimbros circa natiuitatem Chriſti à Danis Cherſoneſo eiectos eſſe, & inde Saxoniæ Ducibus paruiſſe, Cornelius Tacitus facit, qui cùm poſt natū Chriſtum pluſquam centum annis fuerit, Cimbros adhuc ſua memoria in Cherſoneſo nouit. Habemus igitur liberum nūc à Cimbris totum tractum Borealem, qui intra Rhenum & Albin porrigitur.

CAPVT OCTAVVM.

OBIECTA IACOBI MEIERI PRO *Flandris, & Ioan. Goropij Becani pro Brabantis aduerſus ea quæ ſupra dicta ſunt.*

QVOD quidem etſi vero verius eſt, tamen quia nonnulli pro Brabãtis vltra Rhenum ſitis, nonnulli etiã pro Flandris vltra Scaldim remotis reclamant, & vtrique contendunt ſuos ex Cimbris originem duxiſſe,& proinde Cim-

Cimbrorum colonias Occidentem verſus extēdunt latius, quàm nos concedimus, ſingulorum etiam argumenta ſeparatim trutinanda & dilucidè confutanda ſunt, ne & nos ipſi hactenus fruſtra laborauerimus, & lectori inſuper etiā ſuſpecti ſimus, quaſi qui ipſi fucum facere conemur, dum aliorum erroribus exagitandis occupamur.

Meierus enim, vt à remotiſsimis exordiamur, Flandrorum non contemnendus hiſtoricus coniecturas aliquot adfert in ſpeciem nō admodum futiles, & quibus lectori hiſtoriarum imperito non difficulter perſuadeat Cimbros in Flandriæ maritimis longiſsimo tempore eſſe verſatos. *Meieri coniecta de Cimbris.*

Itaque lucum Thoroaldi & Thoraltum vicinum illi oppidum in Flandria iuxta Aldenburgum nomen traxiſſe putat ab Thoraldo illo Cimbrorum ac Teuthonum rege, quem Achilles Gaſſarus in Chronicis ſuis natalē Chriſti annis pluſquam ſeptingentis anteceſsiſſe tradit.

Cimbros etiam cùm nobilem iſtam expeditionem ſuſciperent ex Cherſoneſo ſua, quæ nunc Dania eſt, in Flandriam appuliſſe, ibidemque fixiſſe ſedes, quod ibi tum cultores deficerent, vnde tamen breui poſt inundatione Oceani magna ex parte extruſi in Italiam tranſcenderunt.

Quin & Hectorem Boëthum Scotorum hiſtoricum citat, qui affirmat Cimbros vnà cum Morinis ac Maduis, Guiderio Scotorum Regi fuiſſe confœderatos contra C. Iul. Cæſarem, cùm ille Britanniam inuaderet.

Conſonum huic & illud eſt, quod addit, Clodionem Francorum Regem anno Chriſti 445. Golduero Cimbrorum Ruthenorumq; Rege debellato Flandbertum Belgici littoris conſtituiſſe præfectum, qui non modò Cimbris Rutheniſque, ſed

que, ſed & ipſi quoq; terræ nomen ſuum indiderit, vt & terra deinceps Flandria, & incolæ Flandri nominati ſint.

Fieri etiam de hac præfectura Belgici littoris præcipuè in libris de Magiſtratib' Romanorum illuſtrem mentionem dicit: Quod & ipſum littus à crebris etiam Saxonum incurſionibus Saxonicum appellari teſtetur B. Rhenanus, non aliter quàm etiam Ruthen dicatur à nautis Flandricis. Ruthenos enim putat eſſe Saxonum aut Cimbrorum gentem, à quibus & memoriam eſſe inueniat Flandriam antiquitus Rutheniam ſiue Rutiliam eſſe dictam.

Hinc eſſe quod & mare quod ab ipſa Cherſoneſo Occidentem verſus totum hoc littus ad orã vſque Gallicam alluit Cimbricum dicatur, atteſtante Poeta Claudiano, qui Rhenũ per duo oſtia accipi tradit à mari Cimbrico, vbi dicit. *a*

a *De victoria Alarici.*

—Te Cimbrica Tethys
Diuiſum biſido conſumit Rhene meatu.

b *In epiſt. ad Gerontiam.*

Hoc igitur etiam ſenſiſſe D. Hieronymum vbi dicit: *b* Gẽtem Teuthonum ex vltimis Gallorum Oceani atq; Germaniæ profectam littoribus omnem Galliam inundaſſe.

Quibus rectè perpenſis eorum confirmetur opinio, qui Cimbrorum ac Teuthonum nomine omnes Oceani accolas ab vltimis & auitis Cimbrorum ſedibus aduſque littus Flandricum intelligi volunt.

Atque his quidem fermè argumentis Meierus adducitur, vt putet Flandriam antiquitus à Cimbris fuiſſe habitatam.

Goropij obiecta de Cimbris.

Goropius autem pro Brabantis, qui vtique ad Cimbricã Cherſoneſum propius accedunt quàm

Flaadri,

Flādri, conſenſum allegat omnium ſcriptorum, qui vnanimiter teſtentur Cimbrorum colonijs totum littus maris Septentrionalis fuiſſe refertum

Hinc etiam Cimbros ac Teuthones, cùm celebrem illam expeditionem in Italiam ſuſciperēt, iter ex Cherſoneſo ſua per hunc ipſum tractum inſtituiſſe, & per oſtia Rheni in Brabantiam traieciſſe, eadem planè via, qua & hodie Dani mercatores ex eadem Cimbrica Cherſoneſo Antuerpiam venire ſolent.

Eoſdem etiam hinc in Italiā profecturos, impedimentis quæ ſecū portare nō poterant, cuſtodiēdis ſex millia virorum in loco vliginoſo ac paluſtri reliquiſſe, in quo qui relicti erant Atuaticum condiderint, ex cuius nomine nomen Antuerpiæ tandem ſucceſſu temporis defluxerit.

Eſſe verò Antuerpiā Atuaticum Cimbrorum multis argumentis & quanta poteſt maxima contentione docere nititur. Sic vt & huius argumentis auditis dubitare non immeritò poſsit lector cordatus de veritate aſſertionis noſtræ, qui nec in Flandria, nec in Brabantia, nec in Hollandia, nec in Zelandia, nec in Friſia, quam hinc porrò ad Cimbricam Cherſoneſum vſq; extendimus, Cimbros vllos habitaſſe intra mille nongentos ab hinc annos aſſeueramus.

Ideoque vtrique tum Meiero tum Goropio ſeparatim reſpondebimus. Quod proinde quò certius & maiori cum perſpicuitate faciamus, ſuccinctam rerum Friſicarū Chronologiam hic proponemus à principio vſq; ad Carolum Magnum, per quem regnum Friſiæ ſublatum eſt: nam cùm vulgò dici ſoleat, rectè eum docere qui tempora bene diſtinguit, dilucidè propoſitis interuallis

temporum, quibus idem hoc regnū Friſiæ incrementum ſumpſit, clariſsima luce rerum geſtarū veritas efflorefcet. Eſt enim nobis à maioribus noſtris relicta temporū accurata certitudo, Principum, Ducum, ac Regum ſucceſsionibus diligenter adnotatis, vt infra clarius demonſtrabimus.

Capvt Nonvm.

SVCCINCTA CHRONOLOGIA RErum Friſicarum ab initio vſque ad Carolum Magnum.

Friſiorum aduentus in terram ſuam. CVm igitur gentis noſtræ conditor Friſo anno ante natum Chriſtum trecenteſimo decimo tertio in Germaniam appuliſſet, vt infra liquidò declarabitur, totum illum tractum littoris ad Septētrionalem Oceanum occupauit, qui intra Eidoram fluuium, Cimbricæ Cherſoneſo proximum, & Fleuum fluuium Rheni brachiū infimum intermedius eſt. Atq; hanc quidem terram primo aduentu ſic occupatā de nomine ſuo Friſiam appellauit. *Friſiæ veteris complexus.* Huius igitur Friſiæ in longitudinem ab occaſu Fleuus, ab oriente Eidora ter minus tum fuit: in latitudinem à Septentrione Oceanus Britānicus, ab Auſtro Bataui, Sicambri, Bructeri vſq; ad Amiſin, ac deinde porrò ad Cherſoneſum vſque Chauci, quos à Friſijs Auſtrum verſus incipere Tacitus aſſerit, termini fuerunt. *Friſiæ 7. partes.* Hanc terram pro numero filiorum quos habuit in ſeptem partes diſtribuit, eaſque Zelandias appellauit, quod eſſent terræ maritimæ, cùm nulla earum tum temporis mediterranea eſſet, ſed omnes aut inſulæ aut peninſulæ aut certè continentes eſſent. Hic Friſo cum poſteris eius ordinum Ger-

Germaniæ conſenſu, defenſor communis patriæ conſtitutus eſt aduerſus Oceanū Cimbricum ſeu Septentrionalem, mandataq; ſunt ei arma illa aquatica, quæ Poſſidoni⁹, Strabo & Aelianus, quia non intelligunt, manifeſta cum ſui turpitudine derident, quibus moles, proiecta, aggeres & molæ aquariæ & emiſſarij fierent ad excludendas inundationes maris, & vindicandas ab eius iniuria terras, cùm ea tempeſtate pelagus magnam terrarum partem eo tractu premeret, quæ nunc induſtria Friſiorum liberata & laudabiliter exculta cernitur. Ab auſtrali parte cōmiſſus eſt ei paſſus, vt vocant, publicus, & præfectura viæ publicæ à Iutia vsq; ad Rhenum, vt penes eius poſteros eſſet ius commeatus publici, & horum præſidio mercatores & quicunq; alij tuti, & à metu prædonum ac latronum ſecuri vltro citroq; commearent. Horum onerum gratia illi eiusq; poſteris Telonia conceſſa ſunt, quæ certis locis in Traiectu intermedio itinere conſtituta ſunt: cōceſſa eſt autonomia, & immunitas à bellis exteris, ita vt ipſi extra patriam ſuam belli gerendi gratia euocari non poſſent: data ſunt & alia nonnulla priuilegia, quibus libertas illa conſtat, de qua Friſij ſemper gloriati ſunt, quæque illis per Auguſtum Cęſarem, per Carolum Magnum & per alios Imperatores, poſtea & per Carolum Quintum & filium eius Hiſpaniarum Regem Philippum confirmata eſt, vt ſuis locis diligēter explicabimus. Præfuerūt autem Friſijs Principes ſeptem, Friſo, Adel, Vbbo, Aſinga Aſcon, Diocarus Segon, Dibbaldus Segon, & Tabbo, qui expleuerunt ſimul annos 443. Succedunt his totidem Duces, Aſconius, Adelboldus, Titus Boiocalus, Vbbo, Haron, Odilbaldus, & Vdolphus Haron, qui expleuerunt ſimul

Præfectura Friſoni ab ordinibus Germaniæ commiſſa.

Friſoni cōceſſa priuilegia.

Friſiorum Gubernatores.

mul 262. annos. Succedunt his Reges nouem, Richoldus Vffo, Odilbaldus, Richoldus ſecundus, Beroaldus, Adgillus, Radbodus, Adgillus ſecundus, Gundobaldus, & Radbodus ſecundus, qui ſimul expleuerunt annos 383. & in ſumma omnes ſimul 1088. Māſit intra ſupradictos terminos Friſiorum ditio, à primo Friſonis aduentu continuis annis centum nonaginta tribus, fuitque caput eius Stauria, vbi & ſedē ſuam Princeps habuit, & per Præfectos ac Iudices adminiſtrauit Zelandias ſuas, quarum diſtinctio pendebat ab intermedijs fluuijs, quibus tanquam limitibus aliæ ab alijs dirimebantur, qui intra Fleuum & Eidorā ſex erant, Mediterraneus ſcilicet, Lauicanus, Amiſis, Viſurgis, Albis, Iadua: quorū quinque poſteriores Romanis ſcriptoribus nominati ſunt, priores duo non item; quod vnde factum ſit infra ſuo loco dicetur. Intra Fleuum autem & Amiſin, qui tres Zelandias incolebant, ea tempeſtate Auſtrum verſus maximè habitabant, quod ad Septentrionem eo tractu terra maxima ex parte nondum habitabilis eſſet ob vaſtiſſimos lacus, & inuias paludes & aggerū defectum, quibus inundationes maris arcerentur. Itaque tum temporis iſtum tractū maximè incolebant, quâ Stauriæ ſeptem ſyluæ, & his Steenvvichium, & huic Dubantia, Drentia, cum parte Groningiæ, item Benthemia, & Oldenburgia coniungebantur, qui diſtrictus ad Carolum Magnū vſque Friſia ſuperior dictus eſt, vt ex ſanctorum ſcriptis diſcimus, qui ſub illo & maioribus illius in Friſia verbum Dei prædicarunt. Porro autem anno ante natū Chriſtum cēteſimo viceſimo Friſo iunior, qui & Friſus dictus eſt, & patrem Grunum Gruningæ conditorem, & auum Gailonem, & proauum Haionē, & ab-

Stauria caput Friſiæ.

Friſia fluuijs diſtinguitur.

Friſia ſuperior.

Friſo iunior.

& abauum Friſonem gentis Archegum habuit, vxorem duxit Vbbonis Friſiorum Principis filiam, cui patria lingua nomen fuit Frou, quod ſi latinè interpreteris Dominam ſignificat, Domnam dicere poſsis, quo nomine Seueri Imp. vxor dicta fuit, vti teſtatur Oppianus; ſed & huius diminutiuum Frouck etiam hodie in Friſia vſitatum fœminarum nomẽ eſt. Friſus autem eodem anno acceptis à ſocero ac patre copijs, vltra Fleuum occidentem verſus in inſulam vacuam colonias duxit, eamq́ue de nomine ſuo Friſiam nouam dixit: in ea ſedem ſibi delegit loco opportuno mille ferme paſſus ab eo diſtantem, in quo poſtmodum condita fuit Alcmaria ad alueum fluenti illius, quod caninefatum terga claudebat è Rheno productum, & præterlabens Crabbedamum in mare decurrebat. Illic etiam funda menta iecit futuræ ciuitatis, quam de nomine vxoris ſuæ Froungaſt appellauit: quæ temporum progreſſu mutata nonnihil, & pronunciandi & ſcribendi vſu, Vrongeiſt, & Vronlegeiſt vocata fuit. Multi autem loci etiam hodie ſunt in Friſia, qui à gaſt ſiue geeſt, ſiue geiſt, quod idem eſt, nomen habent, de quorum Etymologia commodiori loco agendum erit. Hæc autem ciuitas temporis ſucceſſu in celeberrimũ emporium excreuit: Eam Romani poſtea quàm Batauiã & Friſiam iſtã inuaſiſſent, ob vicinitatem nominis quam cum Italiæ ciuitate Verona habebat, etiam Veronam appellarunt. Quæ nominis ſimilitudo eos decepit, qui hiſtoriam vndecim millium virginum cõſcripſerunt: qui cùm audiſſent eas ex Britannia ſoluentes, vi tempeſtatum Veronam appulſas, & Veronam non aliam noſſent, quàm iſtam Italicam, abſurdum rati quod referebatur, pro

Frou vxor Friſonis iunioris.

Colonia Friſiorum vltra Fleuum.

Froũgaſt.

Verona Friſiæ.

Error in hiſtoria 11. mill. virginum vnde natus ſit.

Verona Bõnam ſuppoſuerunt, hoc eſt,hiſtoriam veram inſcitia ſua ſuſpectam reddiderunt : ad hanc enim Friſiæ Veronam eas appuliſſe,nec abſurdum,nec incredibile erat; cùm ex Britannia in hũc portum facilis traiectus eſſet. De hac Occidentali Friſia maximè ſunt intelligenda, quæ Tacitus à Friſijs geſta narrat ob vicinitatem Batauiæ.Huic Friſiæ gubernandæ annis à ſupradicta illa colonia ducta fere centum & quinquaginta elapſis,à Romanis præfectus fuit, vir in primis nobilis,&militaris diſciplinę peritus Olennius, qui & natione Friſo fuit, & patria lingua Holle vocatus eſt,cuius cognomines etiam hodie multi ſunt in Friſia.Si ſignificationẽ huius nominis ſpectes latinè capitonem, græcè Cephalon dicere poſſis;en holle,enim Friſica lingua caput ſignificat.Ideoque ſi id intellexiſſent Itali,ita Romanæ anologiæ molliciem in idiomate exotico temperare debuiſſent,vt vis & energia eius nõ deperiret.Ideoque Hollium rectius dixiſſent, cùm in Olennio Friſici idiomatis veſtigium nullum reliquum ſit:nec enim nos in Olennio Hollium agnouiſſemus, niſi nos eius admonuiſſet VVilhelmus Heda Præpoſitus Arnhemienſis, qui Hiſtoriam Epiſcoporum Vltraiectinorum luculenter ſcripſit,cui ſuffragantur & annales noſtri,vbi occaſione præſentis euentus in Friſia nominis huius mutationem explicant. Nam cùm Olennius hic(vt Tacitus narrat)importuniori tributorum exactione ad rebellionem Friſios compuliſſet, eaque occaſione in magnas calamitates coniecíſſet,veteres Friſij hanc terram odioſo nomine per contemptum,Holle landt,id eſt,Olennij terram vocauerunt:Adhæſitque diu cognomen hoc terræ iſti, ſic vt promiſcuè vel Friſia noua, vel Olen-

Olennius Friſiæ Præfectus.

Origo nominis Hollandici.

Olennij terra vocaretur: Donec tandem obliterata apud vulgum rei geſtę memoria,& duabus dictionibus in vnum compactis,pro Holle landt Hollant dici cœpit; quam nomenclaturam etiam terra hæc recepit, abolito nomine Friſiæ, poſtquam à veteri Friſia ſeceſsit, vti ſuo loco pluribus dicetur. Porrò autem Occidentales ſeu noui iſti Friſij continuis annis quadringentis ac viginti ab optimatibus ſuis ſub Ariſtocratia gubernati ſunt, vnde factum eſt vt eorum Principes aut pauci aut nulli memorentur, fines tamen ſuas in vacua occidentē verſus mox promouerūt, & per præfectos cuſtodierunt: nā hi ſunt qui vſq; in Brabantiam & Flandriam littora occuparunt. Elapſis autem quadringētis iſtis ac viginti annis, anno ſcilicet Chriſti trecēteſimo, qui Haronis veterū Friſiorum Ducis ſecundus fuit, Patruelis ipſius Ducis Didericus nomine, aſsūptis & alijs quatuor cognatis ſuis, in eandē illam nouam Friſiam coloniam duxit, qua eam inſulæ partem occupauit, quæ nunc VVaterlandia dicitur, & ad illud vſque tempus ob aquarum & ſyluarum importunitatem inhabitabilis fuerat. Hic Didericus Medeublicum condidit, quod Friſiæ nouæ caput poſtmodum fuit; & coaluit prior iſta colonia cum hac poſteriori, ſic vt ſucceſſu temporis in iuſtam regni molem excreſceret, adiectis & alijs nōnullis ad occidentē poſſeſsionibus. Quod quò clarius intelligatur, originem ac ſeriem Regum Occidentalis Friſiæ hic ſubijciemus, quam nec noſter Andreas Cornelius integrā habet, nec Chronica Hollandiæ perſonis ac temporibus diſtinctam habent: Alconius enim primus Orientalis Friſiæ dux quatuor filios reliquit, Adelboldum, Titum, Richoldum & Radbodum, horum

Friſij noui ſiue occidētales ſub Ariſtocratia agunt.

Secunda Friſiorum Colonia vltra Fleuum.

Medenblicum conditum.

Occidentalium Regū ſeries in Friſia.

Adelboldus ac Titus viciſsim patri ſucceſſerunt, quibus ſine hærede defunctis, ſuffectus eſt Vbbo filius Richoldi. Radbodus autem quartus Aſconij filius ducta in Occidentali Friſia vxore filium procreauit Dідericũ de quo ſupra, is filium habuit VVilhelmum, ille autem Dibbaldum, ex quo VVilhelmus, ex quo Elinus, quorũ omnium anni ſimul efficiunt annos 233. Sed Didericus iſte cùm Diademate aſſumpto ſe Regem occidentalis Friſię ſalutari pręcepiſſet, à patrueli ſuo Haione Orientalis Friſiæ Duce correptus & in ordinẽ redactus eſt, vt Ducali titulo cõtentus eſſet, cùm abſurdum videretur, vaſallum domino ſuo cenſeri digniorem. Sumpſerunt autem poſteri eius Regium Diadema tum cùm Richoldus Vffo in Orientali Friſia id ſumeret, quod eſt factum anno Chriſti 392. annis ſcilicet poſt ductam coloniam 92. Tunc igitur primum nominatum fuit Regnum Friſiæ, quod in Oriẽtale & Occidentale diuiſum eſt, non alio præſentiori termino, quàm intermedio decurſu Fleui fluuij: Orientalis regni Stauria, Occidentalis Medenblicum fuit caput. Regum igitur Occidentalium progenies à Diderico ſupradicto deſcendit, & in Elino defecit, qui ob defectum ſtirpis maſculinę adoptauit Beroaldum Richoldi eius nominis ſecundi Orientalium Friſiorum Regis filium natum annos ſeptem, & non multo poſt diem ſuum obijt. Hic Beroaldus elapſis inde annis viginti quinque, hoc eſt, anno Chriſti 533. naturali patri ſuo defuncto etiam in Regnum Orientalis Friſiæ ſuffectus eſt: Atq; ita Regnum vtriuſque Friſiæ in hoc Beroaldo coniunctum & vnitum eſt. Hic igitur Beroaldus vtrumque regnum Friſiæ tenuit annis ſexaginta: quibus elapſis, illum tum vtroque regno

Origo & diſtributio regni Friſiæ.

Orientalis Friſiæ caput Stauria, Occidentalis Medenblicum.

Vtrumque Regnum Friſiæ vnitum.

gno, tum etiam vita priuauit Clotharius eius nominis ſecũdus Francorum Rex Dagoberti pater anno 593. Quanquam Sigebertus & reliqui Franci ſcriptores tempus hoc longius producãt, vt infra patebit. Clotharius patri interfecto filiũ Adgillum in Regnum ſuffecit, cui ſuccedens filius eius Radbodus eius nominis primus Francis rebellauit, ex quo poſteri eius Adgillus ſecũdus & Gundobaldus & Radbodus ſecundus non pari affectu erga Francos extiterunt, donec tandem Carolus Magnus Radbodo vltimo debellato, Friſijs & iugum ſeruitutis auferret, & auitam illam libertatem Friſonicam reſtitueret, de qua ſupra dictum eſt, & aliâs commodiori loco dicetur. Hanc igitur Friſiæ Chronologiam verbis quàm fieri potuit paucisſimis in præſenti perſpicuitatis gratia ſic deduximus, vt ex hac lector ea iudicet, quæ aduerſus Iacobi Meieri & Ioan. Goropij obiecta illa, quæ ſupra poſita ſunt, hic reſponſuri ſumus. *Vtrumque Regnum Friſiæ à Francis ſubiugatũ.*

Capvt Decimvm.

CIMBROS IN FLANDRIA *ſedes non habuiſſe.*

QVanquam igitur hac Chronologia propoſita in genere, facilè perſpiciatur friuola eſſe quæ authores ſupradicti pro Flandris ac Brabantis in medium protulerunt, tamen quò euidentius id appareat, vtrique ſeparatim reſpondebimus.

Et Meierus quidem laudandus eſt candoris ac diligentiæ: Diligentiæ quidem, quod ſciens ac volens nihil omiſerit eorum, quæ ad decus & honorem patriæ ſuæ indagare potuit: Candoris *Iacobi Meieri cãdor & diligentia.*

autem, quod lectori fucum facere noluerit, obtrudendo falſa pro veris.

Itaque exoſculanda eſt eius ingenuitas, qui profitetur de Flandris ſe nihil inuenire, quod ſatis ex fide putet eſſe traditum, priuſquã ventum eſſet ad annum ſalutis 445.

Satis enim hinc intelligitur agnoſcere hactenus eum, quod non veris rationibus, ſed probabilibus tantum coniecturis fulciatur.

Thuroltus Rex Cimbrorum. Nam ſanè quod inde arguat antiquitatem Flandriæ, quod Thuroltus apud Cimbros regnauerit annis ante Chriſtũ ſeptingentis, argumentum eſt perquam languidum. Nam etſi maximè verum ſit Thuroltum eſſe tam antiquũ, vnde tamen conſtat eum in Flandria regnaſſe, & lucum de nomine ſuo Thuroltum appellaſſe?

Cimbri in Flãdriam non venerunt. Iam quod de Cimbrorum in Flãdriam aduentu dicit, inde appaet quàm falſum ſit, quod ea tempeſtate illic terra nulla fuerit, qua conſiſtere Cimbri potuerint, cùm Flandræ tum eſſent ac Poldræ ea prouinciæ parte, quę aggeribus poſtea munita eſt à Friſijs.

Friſij in Flandria Cimbrorũ nomine appellati. Cimbri enim iſti, qui vnà cum Morinis ac Maduis Guiderico Scotorum Regi aduerſus C. Iul. Cæſarem confæderati prędicantur, Friſij erant, qui iſta loca vacua occupauerant, & aggeribus munierant, vt infra mox clarius demõſtrabimus.

Friſiorum præfectus Golduer⁹. Itaque & iſti Cimbri Friſij erant, quorum non Rex, ſed præfectus Golduerus à Clodione Franco victus eſt. Quanquam Friſij amiſſo Præfecto non mox etiam ditione ceſſerint: ſed eam redintegratis viribus vſque ad Clotharium ſecundum Francorum Regem fortiter defenderint, vt mox dicemus, capite proximo.

Cimbros autem iſtos, de quibus hic agitur, non alios

alios intelligi oportere quàm Friſios, ſolidis argumẽtis patet. Primò quòd antiquiſsimi Geographi Græci, qui ab Oriente deſcriptionem gentium moliti ſunt ad Septentrionem, in Germania vltra Cherſoneſum progreſsi nõ ſint, & proinde reliquas omnes maritimas nomine Cimbrorum complexi ſint; vnde & mare quod Occidentem verſus à Cherſoneſo tẽderet Cimbricum appellarũt, quaſi quod Cimbrorum littus allueret. Secũdò quòd Strabo velut interpres quidam iſtorum Cimbros extra Cherſoneſum longè extulerit. Tertiò, quòd recentiores horum erroribus abrepti quicquid illo Boreali littore continetur, Cimbris quaſi ſuũ ac proprium attribuũt. Quocirca cùm nec ſint nec vnquã fuerint vllæ gẽtes Friſijs vlteriores in toto iſto littore, conſequitur Friſios nomine Cimbrorum ibi ſignificari.

Porrò autẽ Rutheni iſti, de quibus hic agitur, teſte Orodoco Britãnorũ Coloni erant, à Rutheno cõditore ſuo ſic dicti, qui cùm Friſijs ibi proximè vicini eſſent, in eorum ditionem conceſſerunt, & à Friſijs communem præfectum habebãt, hunc Golduerum. Ab his igitur Ruthenis Flandria Ruthenia, & Rutilia, & littus eius Ruten antiquitus appellabatur: Et proinde errãt, qui Ruthenos iſtos eſſe ſomniant, qui in Septentrione ſedes habent nõ longè à Polonis, & idcirco Cimbricam aut Saxonicam quandam gentem eſſe putant, quod Cimbrorum & Saxonum mentionem habent adnexam.

Rutheni in Flandria qui fuerint.

Nam & Saxones hoc loco non alios intelligi poſſe quàm Friſios euidentiſsimis rationibus cõprobatur: vt enim Friſij Saxonum nomine multis & alijs locis accipiuntur, ita etiam hic intelliguntur, cùm Saxonicum hoc Flandriæ littus dicitur,

Friſij in Flandria Saxonum nomine appellati.

citur,non quidem ab incurſu Saxonum, vt putat Rhenanus,ſed ab incolatu Friſiorum, qui Saxonum nomine à ſcriptoribus hic, vt ſæpe aliâs,cõpræhẽſi ſunt.Exempla huius rei in promptu ſunt: Nam Vitikindus & Aimonius & Vrſpergenſis in diſtributione Saxoniæ, ſub Angarijs Saxonibus Friſios comprehendunt: & Chronica Hollandiæ teſtantur olim Friſios fuiſſe dictos inferiores Saxones:&Hengiſtum & Horſum,qui Friſij fuerũt, hactenus plerique ſcriptores omnes Saxones appellant:& Beroaldum Friſiorum Regem,cui Frãcorum Rex Clotharius ea iſtic ademit,quæ Cimbrorum fuiſſe traduntur,Aimonius & alij Francici ſcriptores,quos & Saxonici ſequuntur,Saxonum ducem faciunt, vt infra latius dicetur. Ex quibus liquidò apparet,quod Friſij hoc loco modò Cimbrorum modò Saxonum nomine intelligantur:nam quod Saxonicum littus hoc ab incurſu Saxonum dici putat Rhenanus,manifeſti erroris conuincitur,cùm Saxones non hoc littus, ſed armoricum illud incurſauerint, quod huic eſt contiguum,& incolas habebat Gallos;ſuos enim gentiles illi non vexabant.

Friſij etiã alibi communiter nomine Saxonum appellati.

Hoc igitur cùm ita ſit, ſatis dilucidè detectus eſt eorum error,qui Cimbros eſſe putant vniuerſas gentes iſtas,quæ à Cherſoneſo auita Cimbrorum ſede occidentem verſus ad oram Gallicam vſque maris Septentrionalis littus accolunt, & proinde quod diuerſi authores de Cimbrorũm ac Teuthonum ſedibus diuerſimodè ſcripſerunt veterum ſcriptis authenticis, non commentatorum ineptis gloſſis æſtimandum eſt.Quo facto ſi de antiquis Galliæ atque Germaniæ terminis,de expeditionis Cimbricæ ſocijs conſtiterit,clariſsimè apparebit nihil obeſſe dictis noſtris

Fontes non lacunæ hiſtoriarum potari debent.

ſtris id, quod ex D. Hieronymo obijcitur, quod proinde cùm non modò ad Flandriam, ſed etiam ad Brabantiam pertineat, proximo capite explicabimus.

Capvt Vndecimvm.

CIMBROS IN BRABANTIA SEDES nunquam habuiſſe.

Cauſæ duæ cur aliqui putarint Cimbros in Brabantia fuiſſe.

AEquè futiles autem & iſti ſunt, qui Cimbros in aquilonari Brabantiæ littore ſedes fixiſſe, & inde inundationibus expulſos in Italiam profectos aſſerunt. Duobus argumentis id comprobare nituntur. Primum eſt, quod omnium veterum ſcriptorum conſenſu ſatis conſtare 1. dicunt à Cimbris colonias paulatim per omne littus Septentrionalis Oceani occidentem verſus fuiſſe ductas: Deinde quod & per idē littus commodius quàm aliunde in Brabantiam venire po- 2. tuerant, cùm Cherſoneſum relinquerent; eadem ſcilicet via, qua Dani mercatores, qui Cherſoneſum occuparunt, hodie in Brabantiā veniunt, qui Aduerpiæ negociari cupiunt. Nos ad hæc ſingula ſingulatim reſpondebimus. Ac primum quidem hoc dicimus, nullum ſimpliciter eſſe inter ſcriptores veteres, qui vel Cimbros ipſos ibi collocet, vel eorum colonias ibi fuiſſe commemoret.

Confutatio cauſæ 1.

Sunt enim recentiores duntaxat aliquot Strabonis errore faſcinati, qui Cimbros ipſos ibi fuiſſe putant, de colonijs interim mentionem nullam faciunt, quos quia cum ipſo Strabone iam ſupra ſatis dilucidè confutauimus [a], eandem cramben hic recoquere nihil eſt neceſſe. Interim tamē ne quis reiectis teſtimonijs veritate ſe fraudatum putet,

[a] ſupra cap. 6.

Cimbros per littus Oceani Britannici nullas vnquam colonias duxiſſe.

putet, exactiſsima temporum ratione declarabimus à Cimbris per ſupradictũ illud Oceani littus nullas colonias fuiſſe ductas: Nam ſi vllæ vnquam ibi collocatæ eſſent, neceſſe eſt eas fuiſſe deductas vel ante, vel poſt aduentum Friſiorum: Sed ante Friſiorum aduentum à Cimbris ibi colonias non fuiſſe poſitas tribus argumentis
1. deprehendimus. Primò, quod Cimbri non multò ante Friſios in Germaniam aduenerint, modò verum eſſe credimus id, quod Herodotus aſſerit in Thalia: & bellis exhauſti coloniam à Friſijs ipſi acceperint, vt in Vithone ſeu Iuthone Friſonis filio infra *a* declarabitur. Secundò, quod
2. ille totus ferme littoris aquilonaris tractus, de quo hic agitur, vſque ad Friſiorum aduentum inhabitabilis fuerit, vtpote qui per Friſios paula-
3. tim exculcus eſt. Tertiò, quod idem ille tractus, quatenus habitabilis erat, à Sueuis habitatus fuerit, qui in Germania Cimbris & antiquiores & potentiores erant, quod alibi demonſtrauimus, vbi Friſios in Sueuorum ſedes ad Aquilonem ſucceſsiſſe docuimus *b*. Poſt Friſiorum autem aduentum Cimbros ex Cherſoneſo colonias iſtorſum nullas duxiſſe ſatis inde patet, quod Friſij in poſſeſsione iſtius terræ plus mille nongẽtis annis integris iã fuerint, & Cimbros interea nullos receperint: particulatim id plenius apparebit, ſi perpẽſa illa rerum Friſicarũ Chronologia, quã ſupra poſuimus, acta ipſa iuſtis interuallis trutinẽtur.

a cap. 10. libr. 2.

b cap. 16. libr. 1.

Friſij quã diu præſentes ſedes incoluerũt

Cimbricæ expeditionis tẽpus.

Etenim cùm Cimbri celebrem illam expeditionem ſuſceperint anno ante natum Chriſtum centeſimo vndecimo, ſicuti ex calculatione Cornelij Taciti perſpicitur, ſatis iam conſtat eos ante hac intra proximos duos ac ducentos annos horſum colonias non duxiſſe, cùm toto hoc temporis

poris curriculo Friſij Occidentales in poſſeſsione eius terræ fuerint, quæ intra Fleuum & Eidoram eſt: Friſij Occidentales ante Cimbricam expeditionem annis nouem ſuas ſedes vltra Fleuũ occidentẽ verſus occuparint, & ſimul etiam mox vlterius propagarint. Quod quidẽ nõ modò ex Archiuis noſtris, non modò ex Friſicorũ, Belgicorũ, Anglicorũ, Danicorum & aliorũ vicinorum Principũ collatione, ſed & ex rerũ Flandricarũ tractatione conſtat, de qua ſupra diximus: iam tũ enim Friſij præfectos ſuos Occidentem verſus collocarant, qui nouos aduenas arcerent. Hinc porrò ad Chriſtum vſq; quid à Cimbris actum dicas? cùm nemo dubitet eos ſubſequentibus calamitatibus ita fuiſſe attritos, vt intra Cherſoneſum ſe libenter continuerint, cùm ipſi non modò à Romanis pene ad internecionẽ cæſi, ſed etiam à Danis diu multumq; vexati, & tandem prorſus oppreſsi ſint, ſicuti lippis ac tõſoribus in Germania conſtat. Itaq; toto tempore, hoc eſt trecẽtis tredecim annis, quibus ante natũ Chriſtum natio Friſiorũ in poſſeſsione ſupradictæ terræ fuit, Cimbros in eã colonias nõ duxiſſe ex his apparet. Nã Orientales quidẽ non modò Veſualos, ſed & Angriuarios ſubegerũt, vt infra demõſtrabimus. Occidentales aũt occuparunt ſucceſſu tẽporis, non modò Caninefates, ſed & ipſos quoq; Batauos Neomagũ vſq;, & Vltraiectũ cum adnexa ditione ſua. Atque hæc quidẽ ad Auſtrũ: Ad occaſum aũt ijdem Occidentales, cùm primum per naturã licuit, pomeria ſua per Oceani littus in terras vacuas produxerunt vſq; ad orã Gallicã, complexi extremas oras Brabantiæ atque Flandriæ.

Cimbri ante natum Chriſtum colonias extra Cherſoneſum verſus occidẽtem nullas duxerunt.

Hæc igitur duo Friſiorum regna poſtquam in vnum coniuncta fuerunt, ad occidentem ora Galli-

Gallica, ad Orientem Iuthia, ad Septentrionem Oceano Britannico, ad Auſtrum Neomago termi nata ſunt; vbi etiam hodie lapis extat cum hac inſcriptione, hic finis regni Stauriæ: vlteriores huius regni fines in aliam diſputationem mihi reſeruo. Nec verò eſt quòd lector de veritate huius hiſtoriæ dubitet, cùm author certus ſit, qui iſta Friſijs ademit.

Clotharius interfecto Rege Beroaldo, quæ Fri- Radbodus ſijs ademe rit. eius nomi- minis pri- mus Friſio rum Rex Francis rebellat.

Clotharius enim Francorū Rex ab Occidente omnia Friſijs ademit quæ vltra Rhenum erant, ab Auſtro ademit Vltraiectum cum adnexis ſuis, & Veſualiam & Angriuariam. Sed Beroaldi ex Adgillo filio nepos Radbodus eius nominis primus Friſiorum Rex Francis rebellans omnia penè recuperauit, quæ auus amiſerat, vt infra copioſius dicetur.

Quod autem Radbodus hic ad oram Gallicam vſque poſſeſsiones auitas recuperauerit ſatis declarat Paulus Aemylius, qui tradit in ea diſſenſione Francorum, qua illi Carolum Martellum à maioritate domus arcere conabãtur, ab aduerſarijs eius Radbodo ſupradicto commiſſam fuiſſe defenſionem Auſtraſiæ, quam nos iam Brabantiam vocamus; vtpote qui iuriſdictionem ſuam, aut certè ſuæ propinquam fideliſsimè videretur eſſe tutaturus; paulo poſt tamen, eodem teſte, mutato in cõtrarium conſilio ob diuerſam ſuſpicionem, ab ea præfectura remotus fuit, quòd vererentur ne ille ſuum non Francorum negocium ageret, & qui littoralem Brabantiæ partem ſuo iure ſibi vẽdicabat, prætextu præfecturæ totam porrò occuparet: limitis enim Antuerpiani præfecturam Friſijs ademptam Franci Pipinis dederant, cuius nomine inter hos & Friſios diu contentio durauit, vt & Goropius indicat.

Cõſtabilit & confirmat Aemilium Sabellicus, qui ſcribit Friſones ex continenti Gallia bellorum iniuria pulſos tunc tenuiſſe Amniam, Strachiam & Aſtrachiam, inſulas circa Rheni oſtia, in quibus vxores liberoſque, qui per ætatem militare non poterant, tanquam in tuto collocârant, quos & Carolus Martellus huc perſecutus fuerit.

Conſtabilit hæc Martelli filius Pipinus, & hũc ſecutus filius eius Carolus Magnus, qui cùm in Friſia tres Epiſcopatus erexerit, Vltraiectinam, Monaſterienſem & Bremenſem, Birſietanos, Hulſtanos, Axellanos, & Haſnenſes, qui vtique vltra Schaldin habitãt in Flandria, tanquam ſubditos Radbodi & ſucceſſorũ eius, vt à S. VVillibrordo conuerſi erant, Diocœſi Vltraiectinę ſubiecit, vt ex Iacobo Meiero diſcimus: à qua nuper in nouorum Epiſcopatuum erectione, quam in Belgio fecit Philippus ſecundus Hiſpaniarum Rex, abſoluti, & proximo Flandriæ Epiſcopo aggregati ſunt, vt in Sanctorum indiculo ſuo teſtatur Ioannes Molanus.

Nec eſt quod quis ideo minus hanc terram Friſijs tunc ſubiectam putet, quod Meierus ſuſpicetur mare tunc non fuiſſe inter Flandros & Friſios inferiores, quos ipſe Hollandos & Zelandos interpretatur, ſed ideo id factum intelligere debemus, quod inferior hæc Friſia, ſub qua & Flandria comprehenſa fuit, prius ad Chriſti fidem conuerſa fuerit, & proinde prærogatiuam hanc tulerit. S. enim VVillibrordus huc ſemper velut in tutum quendam portum ſe recepit, quoties à Radbodo fugaretur, ſuppetente ex propinquo Francorum defenſione. Citius enim Franci Occidentalem hanc Friſiã religioni Chriſtianę ſub- *Friſij inferiores.*

iugârunt, quàm Orientalem, à qua longius aberant.

Paſſus ſiue cõmeatus publicus Friſijs vltra Rhenũ à Carolo Magno oblatus.

Accedit huc, quod Carolus Magnus Friſijs obtulerit priſtinum ſaluum conductum & paſſum publicum vltra Rhenum, vt olim habuerant, ſed recipere recuſauerunt ob cauſas, quas loco ſuo dicemus.

Cùm igitur Friſij hactenus in iſtius terræ poſſeſsione fuerint, vt hinc apparet, nemo dixerit in ſequenti tempore, quod ad noſtram hanc memoriam pertingit, coloniam à Cimbris vllam huc eſſe deductam, cùm & coloniarum ducendarum conſuetudo tum ceſſauerit, & Cimbri à victoribus oppreſsi in Danorum ius nomenque conceſſerint.

CAPVT DVODECIMVM.

CIMBROS CVM CHERSONESO *relicta nouas ſedes quærerent, per Cauchos ac Friſios non feciſſe iter.*

Cauſæ 2. cõfutatio. Cimbros nouas ſedes quæſituros per Friſios atque Cauchos iter nõ feciſſe.

Atque ex his quidem quæ dicta ſunt hactenus ſatis euidenter patet errare eos, qui contendunt Cimbros ex Cherſoneſo Occidentem verſus colonias vllas per littora maris Cimbrici poſuiſſe. Reſtat iam, vt conſimiliter etiam cæteros, quotquot ſunt, errare declaremus, qui aſſerunt Cimbros ipſos qui Cherſoneſum incoluerunt eo tempore quo patria relicta ſedes nouas quęrebant, iter feciſſe per Cauchos ac Friſios, & ad littora Oceani Gallici, hoc eſt, in Septentrionali Brabantia ac Flandria conſediſſe primùm, & inde maris inundatione rurſus expulſos, penetrata Gallia in Italiam contendiſſe. Quod proinde quò & certius & expeditius faciamus,

ciamus, Andreas Althamerus hic examinandus eſt, qui citatis ad inſtitutum ſuum multis claſsicis authoribus occaſionem illis dedit, qui dicũt, ſe de conſenſu omnium ſcriptorum veterum affirmare illud iter Cimbrorum quod modò diximus. Althamerus igitur cùm in Germania Taciti locum de Cimbris explicat, totam eorum hiſtoriam ex diuerſis antiquis authoribus breuiter ob oculos ponere voluit, vbi iter eorum deſcribẽs: Cimbri (inquit) cum Teuthonis finitimis è finibus ſuis egreſsi, facto per Cauchos ac Friſios itinere, Rheno tranſmiſſo in Galliam tranſierũt, & ad Septentrionalem Oceanum conſederunt, vbi dum terras eorum inũdaſſet mare Gallicum, per Galliam errabundi ad Rhodanum vſque venerunt, ibique ſedes figere conſtituerunt: Dum autem vagarentur in Gallia, coniunxerant ſe illis Tigurini Ambroneſque Gallicæ nationes & ipſæ ſedes nouas quæritantes, & cæt. quæ expeditionis euentum docent: quibus dictis, quo fidem faceret, in cumulum ſubiecit: & hæc, inquit, ex Iulij Cæſaris ſecundo belli Gallici, Plutarcho in vita Marij, L. Floro lib. 3. cap. 3. Velleio Paterculo lib. 2. Strabone in 7. Paulo Oroſio libr. 5. cap. 16. tranſcripſimus. Hæc ille. vbi quæ ſingulatim ex ſingulis authoribus quos allegat mutuatus ſit, quantum quidem ad euentum Cimbricæ expeditionis attinet, vnuſquiſq; exquiret cuius intererit: Quantum enim ad viam & iter eorum pertinet, nos ſatis compertum habemus, neminem ex iſtis authoribus, quos ille allegat, dicere Cimbros ac Teuthones per Cauchos ac Friſios iter feciſſe, & ita Rheno tranſmiſſo in Galliam tranſijſſe, & ad Septentrionalem Oceanum conſediſſe, & inde inundatione Gallici maris expulſos

Andr. Althamerus examinatus de itinere Cimbrico.

De itinere Cimbrorũ authores ab Althamero allegati nõ id dicũt quod aſtruit ille.

pulſos eſſe. Quod quidem ſi quis fortè nobis dicentibus non credit, ipſe authores illos conſulat, qui vtique & publicati ſunt, & omnium manibus teruntur, & certior factus meminerit ex ipſis fontibus potius, quàm ex lacunis eſſe reſtinguendam ſitim. Nos certè mox demõſtrabimus Strabonem & Cornelium Tacitum Cimbrorum itér lõgè aliud indicaſſe quàm hic præſcribitur, ideoque ſolitam diligentiam hic in Althamero deſideramus, qui in hiſtoria memorabili anſam errandi alijs negligentia ſua dedit, vtpote qui ſuam opinionem ab authorum traditione non ſeparauerit, ſed authorum teſtimonijs, non modò quę ipſi tradiderant, ſed & id quod ipſe hinc probabiliter collegerat, quaſi neceſſariò cõſequens adſtruxerit. Ingens autẽ hic error Althameri fuit, quod putauerit ideo neceſſarium fuiſſe Cimbris per Cauchos ac Friſios in Brabantiã proficiſci, quod legerit eos ex vltimis Galliæ finibus per inundationes expulſos in Italiam profectos eſſe. Duplex enim cauſa errandi Althamero fuit. Prior eſt, quod non fuerit recordatus ſub nomine Galliæ hic etiam Germaniam comprehendi: Altera fuit, quod Straboni crediderit neganti in Germania inundationes maris Septẽtrionalis fieri. Nam ſi Strabo rectè negat in Germania fieri inundationes, & Galliã non intelligimus aliam, quàm quæ eſt ad occidentem Rheni, colligit Althamerus Cimbros ac Teuthones ad littora Brabantię conſediſſe, & inde ſcilicet inundationibus expulſos, per Galliam porrò in Italiam abijſſe. Quod ſi factum admittimus, commodius iter ex Cherſoneſo in iſtas Galliæ partes patere non putauit, quã quod hac ſua coniectura ductus indicauit, per Cauchos ſcilicet & Friſios.

Strabo ac Tacitus longè aliud iter Cimbrorum nobis monſtrant quã Althamerus.

Origo erroris Althamero duplex.

1. (Prior)
2. (Altera)

Hoc

Hoc autem iter & alij quidam, qui ad eundem lapidem impegerunt, quo Cimbris ſtabilirent, ſubſcripſerunt Straboni, & confidenter aſſeruerunt, Cimbros ob inundationes maris Cherſoneſum non reliquiſſe, quod Cherſoneſus, vt ipſi dicunt, ſua natura ſic aduerſus mare munita ſit, vt nullum inundationis periculum illi imminere queat. Quod & res ipſa, & autoritas Cornelij Taciti palam conuincit eſſe falſum: Caſtra enim ac ſpatia illa, quæ in vtraque Cherſoneſi ripa Tacitus tantopere admiratur, quid ſunt aliud quàm aggeres ad excludendos maris impetus à Cimbris facti? Ex his igitur fontibus hic error promanauit. Nam quod nondum ſatis diſcretis terrarum finibus Galliæ nomine etiam Germania comprehenſa fuerit, cùm plurimis authorum teſtimonijs probari poſsit, tum vno & altero hic breuitatis ergo contenti erimus.

An Cimbrica Cherſoneſus inundationes maris non ſentiat.

Germani antiquitus à Romanis Galli appellati.

Sextus enim Rufus in Epitome ſua vbi de C. Cæſare loquitur: Cæterùm (inquit) C. Cæſar cùm decem legionibus, quæ quaterna millia militum Italorum habuerunt, Galliam ſubegit, cum Gallis etiam vltra Rhenum poſitis conflixit. Hic Gallos vltra Rhenum poſitos eos vocat, quos Cæſar ipſe Germanos appellat, & ſe Rheno trãſmiſſo ex Gallia perſecutum eſſe ſcribit. Sic Plinius & Iulius Florus Gallum fuiſſe ſcribunt ſeruum publicum, qui Minturnis Campaniæ oppido cum imperio in carcerem immiſſus fuerat, vt C. Marium interficeret, quem Velleius Paterculus Germanum vocat; eundem Valer. Maximus Cimbrum appellat, quippe Cimbrico in bello captum.

Sic etiam & Florus: Cimbri (inquit) Teuthoni atque Tigurini ab extremis Galliæ profugi

cùm terras eorum inundaſſet Oceanus, nouas ſedes toto orbe quærebant. Hic in eadem expeditione tres gentes coniunxit, quas æqualiter educit ex Gallia. Cimbri igitur ac Teuthoni veteri diſtributione Galli ſunt, recenti ſunt Germani, quia ad Oriētem Rheni habitant; Tigurini autem reuera ſunt Galli, quia habitant ad Occidentem Rheni: vnde luce clarius apparet hic ſub nomine Galliæ etiam Germaniam cenſeri. Quod & diligenter eſt adnotandum, cùm hæc promiſcua appellatio vſque ad Iulium Cæſarem durauerit, ſub quo primùm proprijs nominibus Gallia & Germania cęperunt appellari: quæ cauſa Straboni, & poſt eum Cornelio Tacito occaſionem dedit diſputandi de origine nominis Germanici, vt infra dicetur latius.

Galli & Germani peculiaribus his nominibus primùm à C. Iul. Cæſare diſcreti.

Origo diſputationis de etymologia nominis Germanici.

Obnoxiam autem fuiſſe Cherſoneſum inundationibus contra Strabonem & aſſeclas eius idem Florus ſatis manifeſtè declarat, cùm cauſam Cimbricæ expeditionis reddit inundationes Oceani: Tigurinos enim, qui Galli erant, & in Gallia in expeditionis ſocietatem aſſumpti erant, per inundationes maris expulſos fuiſſe nemo dixerit, quorum patria Tigurinus pagus Vri hodie dicitur, procul in Heluetijs à mari vtique longiſsimè remotus. Idem de Ambronibus eiuſdem expeditionis ſocijs etiam dici poteſt, quos Plutarchus Gallos facit in Liguria ſitos; nam & iſti à mari abſunt longiſsimè. Quanquam Philippus Melanthon more Etymologicorum Ambrones interpretatur Am Rhein ad Rhenum, & hac ſua coniectura nixus inde vrbem Embricā fabricet; quod tamen eſt mirandum, cùm ibidem adijciat non procul ab aquis Sextijs, vbi Marius vicit exercitum Teuthonum & Ambronum, vrbem eſſe Ambronam

bronam, nam hoc Plutarchi traditionem verificat: ſed hoc Philippo, vt & alijs multis, inde euenit, quod Cimbrorum iter apud Strabonem non conſiderent.

Cimbri itaque & Teuthoni veteri Romanorum diſtributione Galli nominantur, & ex vltimis Galliæ finibus, hoc eſt, ex Cherſoneſo & conterminio eius ob Oceani inundationes profugi ſedes nouas quæſiuiſſe dicuntur. Quò & D. Hieronymi elogium pertinet, qui per epexegeſin Oceani Gallorum vltimum littus, vltimum Germaniæ littus interpretatur. vnde patet merum eſſe ſomnium, quod de Cimbrorum itinere per Cauchos ac Friſios iſti nugantur; vt & illud quod addunt de occupatis ab his in Brabantia ac Flandria ſedibus, & his ipſis ob inundationes rurſus relictis. Et apparet quàm ſolido fundamento ijdem nitantur, cùm non alios aſſerti ſui authores nacti, quàm quos hic allegat Althamerus, iactitant ſe omnium veterum ſcriptorum conſenſu aſſerere, quod de Cimbrorum expeditione per Cauchos ac Friſios aſſeuerant.

Cimbri per Cauchos ac Friſios iter in Brabantiam facere non potuerunt.

Hoc enim alioqui quàm falſum ſit facilè perſpexerit, quiſquis conſiderauerit Cimbros iter per Cauchos ac Friſios facere nec potuiſſe, nec voluiſſe. Non potuiſſe enim eos declarant iuſta impedimenta quæ obſtiterunt. Primum quod Friſij, qui vtrimq; tum mari tũ terra intra Cherſoneſum ac Rhenum vltrò citroque paſſum publicum habebant, eos nequaquam tranſmiſſuri fuerint, quod totius Germaniæ intereſſet, negari tranſitum populo, & potenti & nouas ſedes quærenti; qui ſi ſemel receptus eſſet, quamuis gentem pro arbitrio ſuo ſedibus ſuis exturbaret. Ideoq; 1.

gentes omnes aduerſus eos ad ſubſidium Friſio-
rum in armis forent,ad quos vel fœderis religio,
vel periculi communio pertinebat, ſi Friſijs vi-
2. res ad arcendos eos defuiſſent. Deinde nec ipſe
quidem ſitus tractus iſtius maritimi eos hac iter
facere patiebatur:ex tribus enim itineribus vno
tunc ex Cherſoneſo in Brabantiam ac Flandriam
tendendum erat, quorum nullum ingredi Cim-
bris tunc integrum fuit. Primum fuit planè mari
timum, quo etiam hodie mercatores Dani ex
Cherſoneſo anchoram ſoluentes per mare Cim-
bricum continua nauigatione deuecti in oſtium
Scaldis,& inde porrò per flumen ipſum Antuer-
piam,vel in oppoſitam Flandriam appellunt.

Tribus itineribus ſuppetentibus Cimbri nullo in Brabantiã venire potuerunt.

Secundum eſt partim mediterraneum,partim maritimum,quo ex Cherſoneſo tranſmiſſo Eidora fluuio partim nauigio,partim curru per intermedias Cauchorum, Friſiorum & Hollandorum vrbes,per duo oſtia Rheni Fleuum & Helium in oſtium Scaldis, atque ita porrò Antuerpiam vel in Flandriam etiam hodie Dani mercatores penetrant.

Tertium eſt magis mediterraneũ,quo ex Cherſoneſo decedentes,veterem Friſiorum paſſum ingreſsi, tranſmiſsis fluuijs intermedijs, equeſtri, curuli aut pedeſtri itinere per inferiorem Veſualiam decurrentes, Rheno tranſmiſſo per Eburones ac Tungros Antuerpiam, & inde in Flandriam perueniunt. Vltimo hoc itinere Cimbros in Galliam profectos eſſe contendit Albertus Crantzius. Cuius opinionem nos iuſtis rationibus infra ſuo loco refutauimus, & certum erat Friſios illis tranſitum illac non fuiſſe conceſſuros ob cauſas iam ſupradictas. Primo autem illo maritimo itinere eos adueniſſe nemo hactenus

dixit,

dixit, nec mirum id quidem: nam vnde Cimbris ac Teuthonis ſuppeteret ea tempeſtate, & quorſum etiam vtilis foret claſſis tanta, qua trecentorum milium bellatorum manum præter mulieres ac pueros, & reliquam imbellem turbam, præter carros etiam & currus & cætera impedimenta tranſportarent, præſertim qui non reuerſuri vnde exierant nouas ſedes quærerent? Reſtat iter medium, quo quidam eos veniſſe putant, eodem ſcilicet illo, quo Dani mercatores remenſo itinere Antuerpia in Cherſoneſum redeunt, videlicet per oſtia Rheni, vt ipſi dicunt. Itaque Antuerpia ſoluentes ex oſtio Scaldis in oſtia Rheni penetrant. Primùm enim in Helium veniunt cùm Hollandiam petunt; deinde veniunt in Fleuum, cùm petunt Friſiam: hæc enim duo oſtia Rheni ſunt, quæ hactenus ex Romanorum ſcriptis ibi cognoſci poſſunt, ſed inundationum tempeſtatibus magna ex parte in vnum & continuum pelagus iam confuſa ſunt, ita vt continua & non interrupta nauigatione ex alijs in alia vltrò citroque nauigare poſſis. Per Hollandiam etiam & Friſiã, vt & hinc porrò ad Cherſoneſum iter ſatis expeditum hodie eſt, cùm neque currus ibi, neque nauigia deſint, quibus ab oppidis ad oppida commodis interſtitijs tranſueharis. Hoc igitur itinere in contrarium remenſo quidam putant Cimbros in Brabantiam veniſſe; ſed ſomniant illi eandem commoditatem huius itineris tunc fuiſſe quæ nunc eſt, & pari facilitate potuiſſe iſtac tantum exercitum proficiſci, qua hodie proficiſcuntur pauci aliquot mercatores, quo nihil abſurdius cogitari poteſt. Primũ enim nequaquam fuit tunc temporis hæc eadem ratio itineris quæ nunc eſt. Tunc temporis enim, vt adhuc

Primũ Rheni oſtium Helium.

Secundum Rheni oſtium Fleuum.

Alia fuit olim, alia nunc eſt eiuſdẽ itineris ratio.

 ætate

ætate Plinij, oſtia iſta Rheni Heli⁹ & Fleuus, itẽque & Scaldis non ita coniuncta fuerũt, vt nunc ſunt: ſed fuit inter eorum ſingula intermedium terrarum ſpatium immenſum, quod nunc à mari prorſus eſt abſorptum. Tunc enim Helium ſuus alueus deducebat in mare Cimbricum, & item Fleuum ſuus eodem; neq; communio horum brachiorum vlla erat antequam extra continentem in commune fluuiorũ receptaculum Oceanum decurriſſent. Helium enim alueo ſuo decurrentem Briela vidit, à Scaldi longè ſeiunctum: Fleuum, quamuis inæquali curſu; nec certo ſemper alueo, poſtquam totam ferme Friſiam ab Auſtrali & Occidentali plaga ambijſſet, Flielandia vidit, quæ inſula olim in medio Fleuo fuit, ſic vt hoc oſtium longiſſimè in Boreã excurrerit, neq; ad Helium, nedum ad Scaldim vſquã pertigerit. Rectè igitur Meierus collegit, Hollandiam & Zelandiam olim tam longinquo maris ſpatio non fuiſſe diſiunctas à Friſia. Helium enim, qui potiſſimum Zelandiam ab Hollandia ſeparat, inundationes ademptis terris bona parte truncauerunt: Fleuum ſimilis cauſa in mare Auſtrinum commutauit, quod hodie inter Stauriam Friſiæ ciuitatem & Enchuſiam ciuitatem Hollandiæ tribus miliaribus patet; cùm tempore S. Villibrordi adhuc ponticulo ſterneretur, quem ille ſuo ſcipione nixus ſæpe tranſiuit. Quocirca qui dicunt Cimbros eadem via veniſſe qua nunc Dani mercatores veniunt Antuerpiam, hoc eſt, per oſtia Fleui in oſtium Scaldis, cùm impoſsibilia dicãt, non modò imperitiam ſuam ipſi produnt, ſed & cauſam quoque ſuam palam euertunt. Nam cùm Scaldis & Helij & Fleui oſtia diuerſa fuerint, & diuerſis alueis in Oceanum eruperint, ſi cui hac iter

iter Antuerpiam erat, huic non aliunde patebat acceſſus, quàm per Scaldin, ad quem hæc ciuitas eſt ſita. Helius enim in Zelandiam, Fleuus in Hollandiam aut Friſiam aduerſo flumine proximè ducebat. Nunc igitur confuſis omnibus his oſtijs, cùm vnum mare ſit, facilior traiectus eſt, non obſtante intermedia terra, quæ tunc obſtabat. Sed hæc ſunt Rheni iſta duo brachia, inter quæ Friſiorum inſulas ſterni Plinius affirmat. Quæ tam veteribus quàm recentibus ſcriptoribus hactenus ſola cognita eſſe puto. Cæſar Rhenum pluribus capitibus in mare illabi tradit, nos præſentis inſtituti ratione duo hic indicabimus, quæ Friſiam Occidentalé, quam hodie vocamus mediam, diuidunt, de cæteris in Rheno noſtro commodius dicturi. Rhenus autem tempore Druſi ac deinceps circa arces Lobicas, vbi in duo brachia conſpicuis alueis in Occaſum fertur, tertium habuit brachium, nullo certo alueo clauſum, ſed ingenti potius lacu informe; quod poſteriori ſæculo accolarum induſtria obiectis aggeribus in alueum collectum fuit, & Orientem verſus præterlabens Dauentriam, Iſalę nomen accepit ab antiquo fluuio Iſala, qui ex oriẽte in occidentem decurrens Dauẽtriam alluebat. Quam rem teſtatur Iſala vetus propè Dauentriã in Iſalã nouũ infuſus, atque etiamnũ hodie cõſpicuus. Hinc properabat porrò cãpos, inde Occidẽtem, & tandẽ etiam Septentrionẽ verſus inæquali curſu, nec pari ſemper alueo Friſiæ Auſtralẽ & Occidentalẽ partẽ ambiebat, & Flięlandiã inſulã amplexus in Oceanum Britãnicum tandem erumpebat, vt modò diximus. Multa fuerunt hoc Fleui tractu inſignia & ſcitu digniſsima antiquitatis monumenta olim, ſicuti Phana, luci, ſyluæ, ſtagna,

Duo oſtia Rheni ſeu Fleui potiꝰ capita veteribus ignota.

Rheni curſus tempore Druſi.

Rheni tertium brachium.

ſtagna, lacus, viuaria, prædia, ædificia vetuſta & ſimilia, quæ ſuperueniente terrarum inundatione omnia ablata ſunt, & vaſto maris gurgite vnà cum ipſo Fleuo abſumpta; de quibus commodiori loco multa ex archiuis maiorum noſtrorum aliquando proditurі ſumus.

Duo brachia ex Fleuo per Friſiam decurrentia.

Mediterraneus.

Lauicanus ſiue Lauica.

Ex hoc autem Fleuo, quem in Auſtrinum mare conuerſum eſſe diximus, brachia duo extenſa per mediam Friſiam in Oceanum Septentrionalem deferebantur. Quorum prius populari lingua de Middel Zee, hoc eſt, mare Mediterraneũ; poſterius die Lauuarts Zee, hoc eſt, mare Lauicanum dicebatur: vtrumq; enim vaſtiſsimum erat, & maris æſtum ſentiebat. Nos illud Mediterraneum, hoc Lauicanum fluuium breuitatis ergo vocabimus, cùm in certum alueum vtrunque tandem coactum ſit.

Obſtacula alia præter illa ſupradicta ex his duobus Fleui brachijs obiecta Cimbris.

Horum autem vaſtitas olim obſtabat, vt Cimbri, ſi ſuperiora illa nihil fuiſſent, hanc tamẽ ſuperare nullo modo potuiſſent. Mediterrane⁹ enim ex Fleuo deriuatus, illa ex parte, quà nunc Emiſſarius Taconius eſt, Friſiæ illapſus in lacum Slotanum, & deinde in Haganum infundebatur, vnde porrò moderatiori alueo progreſſus, prope Bolsuardiam ſinum faciebat iuſti maris, vbi poſtea per alluuionem ſuccreuit ea quæ dicitur terra noua.

Ciuitates 3. ad Mediterraneum ante ſinũ eius.

Decurſus Mediterranei.

Itaque ad hunc fluuium hoc tractu huc vſque prę ter pagos ſucceſſu temporis tres ciuitates conditæ ſunt, Bolsvverdia, Iloſtum & Slota. Porrò autem Mediterraneus hinc magno anfractu & vaſtiſsimo ſpatio Oriẽtem, & deinde Septentrionẽ, & hinc rurſus Occidẽtem verſus ſe incuruabat, vbi tandem in mare Septentrionale erumpebat. Hæc vaſtitas illic tempore Cimbrorum atque etiam Romanorum fuit, cùm nulli adhuc aggeres liberam euagationem fluuij coercerent. Succeſ-

ſu enim temporis fluuio certus alueus conſtitutus eſt, vtrimque obiectis aggeribus. Pagi & Ciuitates, quæ ad vtranque eius ripam conditæ fuerunt, tortuoſum eius anfractum aggeribus adhuc integris teſtãtur fluuio ipſo per alluuionẽ nũc oppleto: Nã ab ipſa Bolsuerdia, quæ Orientẽ verſus tẽdit ad Auſtrale latus, viſitur Rauerdia Rhordahuſæ, & qua ſe inflectit in Septentrionẽ, ſequitur Virdemum, Goutemũ, Huſemum, tum etiam ciuitas Leouardia, & eodem tractu conſequenter deinde Ielſemum, Corniemum, & Briſemum, & qua ſe hinc in Occidentem incuruat, Betichemũ, & quod olim oppidum non contemnendum fuit Bellocomum. Et oppoſita parte à Bolsuerdia ſeruato eodem anfractu habes Boſemum, Oſteruirum, Bereſum, Iellemũ, Boxemum, Deinemum, Marſemum, Engelhemum, VViram, Minnertsgaũ. In Minnertsgao olim huius Mediterranei maris portus fuit, quẽ Ptolemæus Manarmanin vocat, in quo Pharus erat, ad cuius lucernam longè lateque naues in mari Cimbrico curſum dirigebant. Nam quod Althamerus velut ex authoritate Ptolemæi hunc portum collocat intra oſtia fluuiorum Vidri & Amiſis, eo argumẽto ductus, quod illic adhuc (vt ait) extent veteris arcis Manarmanis nomen & ruinæ, errorem illi peperit, partim antiquitatum noſtrarum ignorantia, partim nominum æquiuocatio: nam inter oſtia fluuiorum Vidri & Amiſis arx fuit Manni Priſci, portus non fuit. Portus enim Manarmanis in Minnertsgao fuit, quem ibi condidit Mannus Iunior Friſonis nepos, qui cùm maternum genus ex Manno Priſco duceret, & arcem illam poſſedit, & portum condidit, & vtrique nomen indidit de nomine ſuo. Arcem diruerunt Vandali cùm Oſualiam & Velua-

Ad Mediterraneum ſitæ poſt eius ſitum duæ ciuitates.

Portus Manarmanis.

Althameri error de portu Manarmani.

Arx Manni Priſci Manarmanis.

Mãnus Iunior portũ condidit Manarmanin.

Veſualiam occuparent, anno Chriſti cẽteſimo o-ctuageſimo tertio, vt aliàs commodius diximus: portũ alluuio exſtinxit, cuius adhuc veſtigia manifeſta extant in Minnertsgao intra Leouardiam & Harlingam, vtrimque fere ſeſquimiliari, vt alibi latius diximus. Portu igitur illo maris alluuione obturato; in Bellocomo portus diu fuit; qui & ipſe tandem obiecta terra Bildia oppilatus eſt, in qua nunc portum præſtat emiſſarius qui dicitur nouus.

Celebritas & commoditas Mediterranei.

Fuit autem poſt Romanorum tempora Mediterraneus hic mercatorum frequentia celeberrimus; cùm hoc compendio intra regionem citra maris periculum Bolsuerdiam vſque peruenire poſſent, qui ex orientali plaga aduentabant, & periculum Oceani vitare cupiebãt; quod Staurienſem portum petentibus metuendum erat: præſertim cùm merces quas Bolsuerdiam aduexiſſent, etiam leui momento vel plauſtris vel nauigijs Stauriam tranſportare poſſent. Erat etiam hic fluuius ob eundem mercimoniorum vſum commodiſsimus cæteris eius accolis, & maximè Leouardienſibus; ſed non admodum diu in hoc ſtatu perdurauit, qui nunc prorſus oppilatus paſcuis ac pratis lætiſsimis floret. Huius Mediterranei decurſu Friſiæ Occidentalis duæ partes dirimebantur, quarum altera quę ad Occidentem eius erat VVeſtergo; quæ ad Orientem erat Aeſtergo populari lingua dicebatur, per apocopẽ literæ v, pro VVeſtergou Aeſtergou, quod gubernamentum ſignificat. Sabellicus linguæ Friſicæ imperitus hinc Strachiã & Aſtrachiam fecit, vbi interim mendum reor eſſe in priori; cùm Veſtrachiam ab ipſo ſcriptum putem. Iã verò & Lanicanus Mediterraneo nec moderatior nec anguſtior

Mediterraneus Aeſtrachiam à Veſtrachia diremit.

Lanicani deſcriptio.

ſtior ex eodem Fleuo deſcendens ea parte Friſiā intrabat, qua nunc viſitur portus Kuynderanus, & lacum Tiukium, Snecanum, Varregaum & Aeſtromium tranſiens, certus tandem aluei in mare Septentrionale euoluebatur è regione Ogiæ inſulæ: hic plus minus vno miliari à Mediterraneo, qua illi maximè propinquus erat, Orientem verſus diſtabat, & Aeſtrachiam Friſiæ Occidētalis à terra Gruningana dirimebat. Hic fluuius multis ac memorabilibus rebus in eo geſtis apud maiores noſtros inſignis fuit, de quibus aliâs commodius. Illud tamen hic indicandum euidentiæ gratia, quod per hunc fluuium Druſus Friſiam mediam tranſnauigauerit, & hic immenſos illos Friſiorum lacus viderit, quos Romani ſcriptores celebrant *a* Duę fuerūt ad ripam eius olim conditæ ciuitates, ſed longè poſt Romanorum nedum Cimbrorum tempora. Earum prior ad oſtium eius condita fuit nomine Vardena, quæ & Eſonſtadium, celeberrimum olim emporium, ſed eluuione maris prorſus ante multa ſæcula abſumptum: Altera dicebatur Vartena, cuius reliquiæ ſuperſunt adhuc in pago Vartena, qui non longè abeſt à Zuichemo Viglij patria.

Lauica non Aeſtrachiā Friſiæ dirimit à terra Gruninga circa exitum eius.

Druſus per Lauicam nauigauit in Oceanū Cimbricū tranſmiſſa media Friſia.

a Plin. li. 4. ca. 15. li. 25. cap. 3. Tacit. diuerſis locis.

Hanc ciuitatem vnà cum terra circumiacente miris modis inūdatio afflixit, adeo mutatis illic omnibus, vt vix agnouerint eandē terræ faciē qui antea viderant. Ex eo tempore deſijt eſſe vetus illa celebritas huius fluuij, qui nūc ab introitu ſuo ad hanc vſque ciuitatem ſupradictis lacubus fere nititur: poſt hanc ciuitatem ſeu pagum Septentrionem verſus quò longius alueo iam certo prolabitur, eò minus nauigabilis eſt. Ponte Gerconio ſternitur prope Fisſietum, & in exitu habet e-

Ad Lauicā ſitæ ciuitates duæ.

Vardena.

Vartena.

Decurſus Lauicæ.

bet emiſſarium monaſticum. Hæc igitur duo Flevi brachia Friſiam Occidentalem ſic olim afficiebant. Erat in reliqua Friſia Amiſis, erat Iadua, erat Viſurgis, erat Albis, erat Eidora Cimbris futurus impedimento. Nam omnes iſti fluuij tum temporis adhuc alueis carebant; cùm neque aggeribus, neque emiſſarijs ſuis adhuc conſtricti coercerentur. Itaque Cimbricæ expeditionis tempore crebræ & enormes inundationes maris & fluuiorum erant, magna pluribus in locis æſtuaria, ſtagna & lacus erant, vt ex ſupradictis locis Plinij ac Taciti conſtat. Etiam terra ipſa inculta, paludibus inuia, frequentibus arundinetis impedita erat. Paucisſimi toto illo Hollandiæ ac Friſiæ tractu, pagi, nullæ prorſus ciuitates erant, præter vnam Stauriam: quare nec viæ, nec itineri, nec actui locus vllus erat, neque patebat peditibus, nedum equitibus aut curribus aut carris vllus tranſitus, impediente ipſa rerum natura. Et ſi maximè eadem itineris ratio tum fuiſſet, quæ nunc eſt, non tamen eadem ratio eſſet in paucis aliquot mercatoribus, quæ eſt in tanto exercitu. Mercatores enim ſuas clitellas de loco in locum facilè traijciunt, adiuuantibus incolis quorum intereſt viam frequentari. Atqui tantus exercitus quo modo tanta impedimenta ſecum ferre potuit, cui tot fluuij intermedij tráſmittendi fuerint? Et quis credat Friſios eos per mediam patriam ſuam tranſmiſſuros fuiſſe, qui eos per viam Regiam tranſmiſſuri non erant?

Reliqui fluuij Friſiorum.

Friſiæ facies qualis fuerit tempore Cimbrorum.

Non eadē ratio itineris exercitui toti quæ ſingulis hominibus.

Iam verò ſi quis Cimbros non prorſus amentes fuiſſe putat, is facilè conſiderat eos nec in Brabantiam aut Flandriam maritimam tendere, nec iter facere per Cauchos ac Friſios voluiſſe. Primum enim quia pacto publico ordinum Germaniæ

Cimbri iter per Cauchos ac Friſios in Brabantiam facere noluiſſe, aut in Flādriam

niæ Friſijs confœderati erant, noluerunt fidem datam fallere, vel in extorquendo comeatu publico, vel in occupãdis ijs, quæ Friſij vel citra vel vltra Rhenum poſsidebãt; aut ſi fortè tam ſancti non fuerunt; tamen iſtac iter inſtituere, qua tot ac tanta impedimenta obſtabãt, nihil aliud erat, quàm contra ſtimulum calcitrare. In maritimis etiam iſtis Brabãtis ac Flandris quid captarent, cùm locum inuenturi non fuerint, vbi pedem ponerent, vt ſuo loco demonſtrauimus: & ſi maximè locum inuenturi erant, quid tamen expeditione iſta ſua profeciſſent, cùm malũ illud quod fugiebant mutaturi potius, quàm ſublaturi viderentur, quod nihilo commodius illic acturi fuerint, quàm in Cherſoneſo ſua. Duę cauſæ fuerunt cur Cherſoneſum ſuam reliquerint. Prima fuit inundatio, de qua antiquiſsimi ſcriptores Ephorus & Clitarchus & alij quàm plures, etiamſi Poſidonius & eum ſecutus æquè ineptus Strabo id rideant, ob id, quod non credant in Septentrionali Germania fieri inundationes, vt ſupra dictum eſt. Altera cauſa fuit cõtinuum bellum, quo atterebantur, dum Saxones ac Dani inter ſe primùm de Vitlandia, & tandem de vniuerſa Cherſoneſo cõtendunt, vt nos infra deduximus, & ex Alberto Crantzio & Saxone Grammatico latius videre eſt. Horum igitur incommodorum neutrum vitare potuiſſent, ſi in maritimã illam Brabantiæ aut Flandrię partem ſe contuliſſent: Nam quo modo inundationes euitarent, vbi aggeres mare non excludebant? & quo modo à bellis tuti eſſent, cùm præter alios etiam Dani littus illud infeſtarent.

Cauſæ 2. cur Cimbri Cherſoneſum reliquerint.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

ANTVERPIAM NON ESSE ATuaticum Cæſaris, neque Coloniam Cimbrorum.

CVM igitur his & conſimilibus argumentis abundè pateat, Cimbros neq; colonias vllas per littora Cimbrici maris intra Cherſoneſum & ciuitates Armoricas vnquam deduxiſſe, neque ipſos vel in Brabãtia, vel in Flandria conſediſſe, neque demum vel potuiſſe vel voluiſſe iter in eas partes per Cauchos ac Friſios facere; nequaquam expectauimus fore,qui diceret Antuerpiam à Cimbris eſſe conditam, eamq; vrbem Aduaticum Cimbrorum, de quo ſcribit Cæſar. Nam vt in Flãdria extra Mempiſcum nihil olim ſolidi fuiſſe, & totam alterã eius partem, ex qua Flandriæ nomen obtinet,nihil aliud quàm Flandras ac Poldras fuiſſe Meierus & alij teſtantur, & ratio euidens conuincit; ita etiam in Brabantia extra montoſam illam partem nihil fuiſſe ſolidi,tum extranei, tum etiã indigenæ ſcriptores vnanimiter aſſeuerant, qui totam campeſtrem Brabãtiam olim nihil aliud fuiſſe aſſerunt, quàm confluentem Rheni, Moſæ,& Scaldis. Arguit hoc ipſius loci humilitas & æqualitas, vt quæ per alluuionem adiecta montes non recepit. Arguit ipſius terræ qualitas, quæ quoties ſuffoditur non modò fundi marini veſtigia manifeſta prodit, ſed & illatæ terræ nouam illuuiem clariſsimè demonſtrat. Antuerpiam igitur à Cimbris iſtis, qui Cherſoneſo relicta nouas ſedes quæſiuerũt, non eſſe conditam, vt hinc conſequitur; ita etiam inde patet,quod ipſe locus, in quo ciuitas ea

Antuerpia recentior eſt, quàm vt illi Cimbrorum tempora competãt.

nunc

nunc eſt, per Friſios ab influxu maris vindicatus ſit. Quod etſi ex ijs colligi liquidò poteſt, quæ de Flandrico littore ſupra diximus, quod conſentaneum ſit eadem ratione Friſios in Brabantia itidem atque in Flandria ſub Cimbrorum & Saxonum nomine cenſitos eſſe; tamen euidentius ex Chronologiæ noſtræ deductione, quam ſupra poſuimus apparet. Cimbrica etiam expeditione longè recentiorem eſſe Antuerpiam ſatis declarat prærogatiua ciuitatum Brabanticarum, inter quas cùm Louanium antiquitatis ratione in comitijs publicis votum primum habeat, reliquarum vetuſtas hinc æſtimanda eſt. Hiſtoriæ quoque Sanctorum, qui populum Antuerpienſem ad Chriſti fidem adduxerunt, originem huius vrbis longè recentiorem faciunt.

Annales denique vicinarum gentium, vt Tungrorum, Flandrorum, Hannonum, Hollandorum, Zelandorum, Friſiorum, tùm etiam Francorum, & ipſorum adeo Brabantorum manifeſtè declarant, ciuitatem hanc Romanorum, nedum Cimbrorum ætate longè eſſe recentiorem. Quæ proinde pertinaciter negare, nihil aliud fuerit, quàm manifeſtam veritatem peſſundare, & oculatos veritatis teſtes peruicaciter exſibilare. Quocirca cùm Goropius Becanus Antuerpiam contendat eſſe Aduaticum Cæſaris, hoc eſt, coloniam quam Cæſar à Cimbris in Gallia poſitam ſcribit, ſilentio præteriri ac diſsimulari poterat, eò magis quod ſcriptum eius non ſerium ſit, ſed iocularium, ſicuti res ipſa docet eos, qui mentem habent, & ipſe non vno loco profitetur. Cæterùm quia tractus ille maritimus, de quo ſupra dictum eſt, hominibus exteris & ijs, qui in mediterraneis degunt,

Opera Goropij non ſeria, ſed iocularia ſunt.

E 2 non

non ita penitus exploratus eſt, & proinde obſcuriora videri his illa poſſunt, quæ ibi diximus, operæprecium videmur facturi, ſi præcipua ſaltem capita eorum, quæ ille iocando protulit paucis diluamus: Alioqui enim falſo omnia de Cimbris iſta ſupra aſſeueraſſe videbimur, cùm eos nec in Flandria, nec in Brabantia ſedes vnquam fixiſſe diceremus, ſi Antuerpiam (quæ vtique in Brabantia eſt) Cimbrorum coloniam eſſe concedamus. Itaque ne ſingulis de integro inſiſtendum ſit, fundamentum illud, quod toti diſputationi ſuæ ille ſubiecit, nos falſum & erroneum, planeq; nullum eſſe iã antea declarauimus: nam quod ille dicit ſe de conſenſu omnium veterum ſcriptorum quaſi confeſſum & indubitatum ſumere, quod Cimbri colonias per littora Cimbrici maris Occidentem verſus poſuerint, quódque relicta Cherſoneſo nouas ſedes quęſituri per Cauchos ac Friſios iter fecerint, ex Althamero mutuatus eſt; ipſe his de ſuo explicandi gratia addidit, Cimbros per oſtia Rheni in Brabantiam traieciſſe, eadẽ vti dicit via, qua Dani mercatores (qui Cimbris oppreſsis in eadem Cherſoneſo ſucceſſerũt) Antuerpiam hodie venire ſolẽt. quæ omnia ac ſingula quã inepta futilia ac falſa ſint, cùm ſupra demonſtrauerimus, iſtuc lectorem remittimus. Inter authores enim quos Althamerus illic allegat nulli ſunt, qui de itinere Cimbrorũ quicquam habẽt, præter Cæſarem ac Strabonem, qui longè alia via eos ingreſſos eſſe commemorant. Cæſar enim manifeſtè declarat eos in Belgium non veniſſe, obſtantibus Belgis & à finibus ſuis eos arcentibus, vt vel ex eo ſolo pateat Antuerpiam à Cimbris iſtis non eſſe conditam. Quo igitur itinere profecti ſint, partim ex propoſito, partim

Fundamẽtum Goropij falſum.

Cimbrorũ iter verũ Strabo ac Cæſar indicant.

Cimbri in Belgiũ non venerunt.

partim ex conſilio eorum æſtimari poteſt, quod ex Cæſare, Strabone & Floro colligitur: Florus enim dilucidè ſcribit hoc propoſitum Cimbris fuiſſe, vt nouas ſedes toto orbe quærerēt, & hoc verum fuiſſe euentus declarauit, cùm diuerſis locis fortunam tentauerint. Conſilij ergo fuit, diſpicere quas gentes primò aggrederentur, & qua iter inſtituerent. In Flandria autem, in Brabātia, in Friſia nihil erat quod appeterēt, & ſi quid maximè fuiſſet, tamen nec rerum ipſa natura, nec gentes intermediæ aut vicinæ tranſitum permittebant. Itaq; Strabo ſcribit *a* eos relicta Cherſoneſo primùm aggreſſos eſſe Boios, qui tunc Hercyniam ſyluam incolebant: Erant autem Boij iſti teſte Cornelio Tacito origine Galli. Quorū maiores natali ſolo relicto in Germaniam tranſmigrauerant, & locum Hercynia ſylua vndique cinctum & circumſeptum occupauerant, quem ex nomine ſuo Boiohemum, id eſt, Boiorum patriā appellarunt, quam nos hodie Bohemiam vocamus. Ratio huius cōſilij Cimbris nec futilis nec friuola fuit. Primùm enim amœnitas, fertilitas ac firmitas ipſius regionis eos inuitabat, vt & Marcomannos poſtea, & aduerſus Marcomannos quoque Slauos. Deinde conſequendi quoque ſpem faciebat inteſtinum odium, quo Gallos Germani perſequebantur. Augebat hanc ſpem ipſa commoditas profectionis: Videbant enim Cimbri tranſitum ſibi facilem fore per gentes intermedias, quæ vt Boijs exteris ac Gallis inuidebant, ita Cimbris indigenis ac Germanis fauturæ erant. Videbant iter ipſum planè mediterraneum, nulliſque tranſuerſis fluminibus interciſum, & proinde comportandis impedimentis aptum & idoneum. Itaque etiam iſtac profecti,

Florus de Cimbris.

a *Libr. 7.*

Strabo iter Cimbrorum indicat.

Cimbri Boios oppugnant.

Boios aggreſsi ſunt, ſed Marte Boios protegente reiecti in Galliam deflexerunt; Ad Iſtros & Scordiſcos, & hinc ad Theuriſtas & Tauriſcos, & inde demum ad Heluetios diuerterunt, ex quibus Tigurinos & Tuginos in militiæ ſocietatem ſecum aſſumpſerunt in Italiam tranſituri. Quantum igitur à veritate Goropius aberret in deſcribendo Cimbrorum itinere his verbis declarat Strabo. Iulius Cæſar conſimiliter declarat quantum Goropius aberret à vero, ſi vel in Brabantiam Cimbros vnquam veniſſe, vel per oſtia Rheni aduenisſe dicit, cùm ipſe eos circa Moguntiam Rheno traiecto in Galliam veniſſe demonſtret: Cæſar enim vbi ſe ex Remorum legatis Iccio & Antebrogo de Belgarum viribus, qui aduerſus ipſum inſurgebant ſciſcitatum refert, ita dicit. *a* Cùm ab his quæreret (inquit) quę ciuitates & quantæ in armis eſſent, & quid in bello poſſent, ſic reperiebat: Pleroſq; Belgas eſſe ortos ex Germanis, Rhenumque antiquitus traductos,
" propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſq;
" qui ea loca incolerent, expuliſſe, ſoloſq; eſſe, qui
" patrum noſtrorum memoria, omni Gallia vexata
" Teuthones Cimbroſq; intra fines ſuos ingredi
" prohibuiſſent. Qua ex re fieri, vt earum rerũ memoria
" magnam ſibi authoritatem magnoſq; ſpiritus
" in re militari ſumerent. Hæc Cæſar: vbi ſatis
" manifeſtè docet in Belgium nunquam veniſſe Cimbros. Quò igitur itinere in Brabantiam venirent Cimbri ad condendam Antuerpiam, quibus Belgę ab Auſtrali, Friſij à Septentrionali plaga obſtiterunt, ne Brabantiam ingredi poſſent. Quod ſi ergo Friſij Cimbris ad Septentrionẽ, Belgæ ad Auſtrum obiecti erant, neceſſariò conſequitur eos ſupra Belgas, & proinde circa Mogũtiam

Cimbri à Boijs repulſi, in Galliam contendũt, et reliquũ iter conficiunt.

C. Iul. Cæſar indicat vbinam Cimbri traiecerint.

a *Lib. 2. de bello Gallico.*

traie-

traieciſſe Rhenum. Nam cùm Cæſar incolas Galliæ tripartito diuidat, in Gallos, in Aquitanos, in Belgas, omni Gallia vexata, ſolam Belgicam non eſſe vexatam dicit à Cimbris, & eo nomine Belgas ſibi magnopere placere. In Belgica igitur cũ ſit Moguntia, ſequitur Cimbros Rhenũ traieciſſe ſupra Moguntiam, quia ſcilicet infra non potuerint Belgis obſtantibus & impedientib. Suffragatur huic rei euidenter continuatũ iter Cimbrorum, qui cùm ſpe occupandæ Bohemiæ fruſtrati, de alijs ſedibus occupandis cogitarent, in cõmune Germanorum receptaculum, hoc eſt, in Galliam contenderunt. In quam commodiori itinere peruenire non potuerũt, quàm vt emenſa ipſa Hercynia ſylua per mediam Franconiã duce amni Mœno Rhenum prope Moguntiam traijcerent. Hactenus enim Belgæ, qui ad Rhenum incolebant, à tranſitu eos arcere potuiſſent, Galli reliqui non poterant, quos teſte Cæſare vexauerunt, dum totam reliquam partem regionis penetrant ac diripiunt. Hoc autem & factum eſſe præſidia eorum arguunt, quæ in Italiam abituri circa Rhenum depoſuerunt: de quibus idem Cæſar, vbi de Aduaticis loquens: Ipſi erant (inquit) ex Cimbris Teuthoniſq; prognati, qui cùm iter in prouinciam noſtram atque Italiam facerent, his impedimentis quæ ſecum agere ac portare non poterant circa flumen Rhenum depoſitis, cuſtodiæ ex ſuis ac præſidio ſex milia hominum vnà reliquerũt. Hi poſt eorum abitũ multos annos à finitimis exagitati, cùm aliâs bellũ inferrent, aliâs illatum defenderent, conſenſu eorum omniũ pace facta, hunc ſibi domicilio locũ delegerũt. ita Cæſar. Nec enim vel Cæſare tacente dubitari poterat, Cimbros ſibi præſidiũ collocaſſe,

Galliæ populi triplices, Gall Aquitani, Belgæ.

Oportunitas itineris ac loci arguit Cimbros ſupra Moguntiam traieciſſe Rhenum.

Præſidiũ quod circa Rhenum poſuerunt in Gallia Cimbri, arguit eos ſupra Mogũtiam traieciſſe.

vnde ſi ipſis abſentibus neceſsitas vrgeret, iſti qui relinquebantur Rheno iterum tranſmiſſo per Franconiam & Hercyniam ſyluam retro in Cherſoneſum vnde venerant remeare poſſent. Inuento igitur Cimbrorum præſidio, rectius etiam iudicari de eorundem Regione poterit, quã Aduatici nomine Cæſar celebrat. Nam cùm Cæſar modò dixerit, Cimbros toto exercitu ſuo, qui plus quàm trecenta milia bellatorum continebat, Belgis inuitis extorquere ſedes nõ potuiſſe, quis credat, ſex milia, quæ in præſidio erant, id potuiſſe? Quocirca id quod hic de pace omnium conſenſu facta dicitur, de finitimis Gallis & Aquitanis intelligo, quos ſcilicet bello diuturno fatigatos adigere potuerint ad iniquam tandem pacem, qua ipſis domicilio locum quem vellent deligere concederetur. Quocirca eos ex præſidio occidentem verſus ita proceſsiſſe conſentaneum eſt, vt aut nihil, aut parum à Belgarum terris occuparent. in quam ſententiam doctiſsimos quoſque propendere video: inter quos & Meierus Cameracum, quod populari lingua Cambrai dicitur, à Cimbris conditum eſſe putat, cum quibus eoſdẽ fuiſſe Britanniæ Cambros docet Humfredus Lhuydt. & cùm Cameracenſis vrbs caſtro munitiſsimo firmata ſit, mihi ſuſpicionem magnam facit conciliabilis illa diſcrepantia Dionis ac Cæſaris, vt putem, Cameracum eſſe Aduaticorum anonymum illud oppidum, quod infra mox hic deſcribit Cæſar. Nam cùm Cæſar illud oppidum vocet, & Dion vocet caſtellum, interprete Xylandro, puto fuiſſe oppidũ vnà cum caſtello: & Cæſarem oppidi, tanquam totius nomine etiam caſtellum velut eius partem comprehendiſſe; Dionem autem caſtelli nomine per ſynecdo-

Vbi Aduaticum Cimbrorũ conditum fuerit.

ſynecdochen appellaſſe ciuitatem, quòd in caſtro expugnando momentum ciuitatis capiendæ fuerit. Certè vox Duaci ad nomen Aduaci, ſiue Aduatici non malè alludit. Sed iſta quiſque accipiat vt volet, equidem certè hactenꝰ repperi neminem, qui Aduaticum Cæſaris longè hinc collocet. Clarius igitur errorem Goropij deprehendemus, ſi proxima Cæſaris verba paulò diligentius exploremus, quibus de Cimbrorum origine, de Italica eorū profectione, de præſidio ad impedimenta cuſtodienda relicto, de colonia ex præſidiarijs ducta agitur: nihil enim horum eſt in quo cum Cæſare ille ſentiat, niſi in capite primo, vbi dicuntur Aduatici ex Cimbris Teuthoniſque prognati; in tribus reliquis à Cæſare multum deflectit. Cæſar enim ex præſidio, vtpote in Gallia ſito, eos mox per mediam Galliam educit in prouinciam Romanorum & Italiam: Ille eos ab vltimis Belgis per mediam Belgicam traducit antequam in Galliam veniant. Hunc enim errorem illi primus iſte peperit, quo putauit Cimbros in Brabantiam veniſſe per Cauchos 1.
ac Friſios, & deſcendiſſe per oſtia Rheni, & in extrema Brabantia conſediſſe; 2.
vno enim dato abſurdo multa conſequuntur. In reliquis autē duobus ambiguitate lectorem ludit, cùm Antuerpiam ſuam aliâs Aduatici, aliâs Præſidij titulo coleret: quod vt intelligatur eſſe verum, deſcriptionem Aduatici ex Cæſare hic ſubiungam: Aduatici (inquit Cæſar) de quibus ſupra ſcripſimus, cum omnibus copijs auxilio Neruijs venirent, " hac pugna nunciata ex itinere domum reuerterunt, " cunctis oppidis caſtellisque deſertis, ſua omnia " in vnum egregiè natura munitum contulerunt. " Quod cùm ex omnibus in circuitu parti-

Goropius à Cæſare, quē authorem ſequi debuerat, tribus modis deflectit.

Goropiꝰ nominis amphibologia Cæſarem ſupplātat, & lectorem ludificatur.

„ bus altiſsimas rupes deſpectuſque haberet, vna
„ ex parte accliuis aditus in latitudinem non am-
„ plius ducentorum pedum relinquebatur, quem
„ locum duplici altiſsimo muro munierant, tum
„ magni ponderis ſaxa & præacutas trabes in mu-
ro collocarant. Hæc Cæſar, in quibus habemus Aduatici vt in ſuperioribus præſidij deſcriptionem. Manifeſtè autem Cæſar hic præſidium diſtinguit ab Aduatico tribus differētijs, loco, tempore & perſonis. Præſidium enim circa Rhenum collocat, Aduaticum collocat in mediterraneis; Aduaticum enim nihil aliud eſt, quàm regio illa, in quam Cimbrorum coloni immigrarunt: præſidium dicit eſſe poſitum in ipſo ſtatim Cimbrorum aduentu, vnde per multos annos impedimenta cuſtodes contra finitimos tutati ſunt, dum aliâs illis bellum inferrent, aliâs illatum defenderent. Coloniam poſitam dicit eſſe multis annis demum poſt abitum Cimbrorum, pace iam cum finitimis facta. Denique præſidium dicit eſſe poſitum ab ipſis Cimbris: Aduaticum conditum ait ab iſtis præſidiarijs, qui impedimentis cuſtodiendis ad Rhenum relicti erant. Atqui ille præſidium cum Aduatico confundit, cùm Antuerpiam interdum Aduaticum, interdum præſidium faciat: nā cùm in operis ſui præfatione dicit, Cimbros eſſe, qui Antuerpiam ſub Aduatici nomine condiderunt, vult vtique videri Antuerpiam eſſe Cimbrorum Aduaticum. è contra cùm docet Cimbros in Brabantiam appulſos, Antuerpiæ reliquiſſe cuſtodiendis impedimentis ſex milia, & porrò in Italiam abijſſe, videri nimirum vult Antuerpiam eſſe præſidium Cimbrorum. Huiuſmodi autem antitheſes apud hunc authorem & aliæ multæ ſunt, quas ſi quis proinde locis, temporibus,

Aduaticū à Præſidio tribus circunſtantijs diſtinctum.

Goropius præſidium cum Aduatico confundit.

poribus, ac perſonis expendat, ſecundum ea quæ modò ex Cæſare producta ſunt, facilè perſpiciat Antuerpiam neque Præſidium, neque Aduaticum eſſe Cimbrorum. Permoleſta illi fuit hæc Aduatici deſcriptio, quæ vt à Cæſare oculato teſte graphicè facta eſt, ita oculari inſpectione efficaciter arguit, eam nullo modo conuenire Antuerpiæ. Quocirca Goropius quod aperta fronte non audebat, eam tacitè & clam oppugnat. Cæſar Aduaticum ſuum tribus circũſtantijs, Regione, ſitu, & ſtructura circumſcripſit, quibus rectè conſideratis agnoſci poſſit. Ad earum duas priores ille ſingulatim reſpondet, aliamque Regionem, & alium ſitum Aduatico conuenire docet, quàm à Cæſare deſcribitur. Verba eius hic proponere, & interpoſita ſentẽtia noſtra põderare in gratiã lectoris non grauabimur: quid enim obſtat, quo minus iocos eius iocando paucis detegamus? Goropius igitur de Aduaticorum origine locutus, quã Cæſar in ſecũda illa ſua deſcriptiõe tradit, quã ſupra poſuimus: Si hoc (inquit)[a] Aduatici fuit ſiue Antuerpię exordiũ, nõ eſt veriſimile in paucis poſt annis tanta incrementa cepiſſe, vt finitimos hominum numero vincerent. „ Quid, quod ne tum quidem Neruiorum numerũ „ æquauerint, quando Cæſari infelice ſucceſſu re- „ ſtiterunt. Quocirca ſi non eſt par credere eos ho- „ minum numero tantum potuiſſe, vt ſtatim ab ini „ tio conditæ gentis vicinos laceſſerent, plurimos „ ſuperarent, alijs æquo marte reſiſterent, Reges „ etiam ſibi ſubiugarent, haud equidem ſcio, vnde „ vera hæc quæ Cæſar memoriæ prodidit videri „ poſſint, niſi ad inſignem aliquam referantur lo- „ ci opportunitatem & ſingulare munimentum. „ Hæc ille, qui Antuerpiam ſuam hic planè facit „

Goropius ſi dẽ Cæſaris luxat, cui⁹ authoritatem præte xit cõmentis ſuis.

a in Aduaticis.

Adua-

Aduaticum Cæſaris, ideoq; cùm Aduatici deſcriptio quã Cæſar facit, Antuerpię nullo modo quadret, & proinde rectè ſequatur Antuerpiã nõ eſſe Aduaticũ Cæſaris, ille vltro Cæſarẽ accuſat non rectè deſcripti Aduatici, & contendit Aduaticum Cimbrorũ lõgè magis fuiſſe munitum, eo reperto colore, quod ſibi incredibile videri dicat, Aduaticos conſiderata temporis breuitate ad tantam potentiam emerſiſſe, quantam Cæſar in illis fuiſſe prædicat. Exaggerat enim hanc potentiã productis ex ipſo Cæſare exemplis, ſed hanc ipſam nõ hominum multitudine, ſed loci firmitate Aduaticis comparatam eſſe ex breuitate temporis arguit, quod ab exordio conditæ gentis Aduaticæ ad memoriam Cæſaris effluxit. Colligit autem Goropius ex calculatione Vellei Paterculi Cimbricam expeditionem eſſe factam annis ante natum Chriſtum centum ac ſeptem aut octo, quanquam ex Tacito certius computaret cẽtum & vndecim. *a* Ab eo autem tempore ad Iulium Cæſarem ſunt anni quinquaginta ſeptem, qui Aduaticum expugnauit anno ante natum Chriſtum ſexageſimo octauo. Negat igitur Goropius verum dicere Cæſarem, niſi intelligenda ſint eius verba de maiori quadam loci firmitate, qua freti Aduatici ſuperare finitimos potuerint, cùm non ſit credibile, vt putat, ſex hominum milia qui in præſidio relicti erant, intra 57. annos in tantam multitudinem excreuiſſe, vt finitimis numero præualerent. Sed hic Goropio reſpõdemus, primum, quanquam proponantur in ſupradicto præſidio non niſi ſex hominum milia fuiſſe collocata, tamen dubium non eſſe, quin magna quoque puerorum & adoleſcentum turba relicta fuerit. Quæ vt ad iter conficiendum tunc idonea non erat, ita

Tẽpus expeditionis Cimbricæ.

a in lib. de Ger. morib

Multiplicatio generis humani.

ita mox in ſpem ſucceſsionis ſuccreuit. Deinde etiam dubium non eſſe, quin & interim dum in præſidio ad Rhenum agerent, & longè magis etiam tum, cùm relicto præſidio in Aduaticum immigrarent, ingens hominum multitudo ex Germania ſe illis ad iunxerit. Nec abſurdũ eſt exiſtimare eos non prorſus in vacua veniſſe, cùm Aduaticum occuparent, ſed etiam veterum incolarum numero numerum ſuum auxiſſe. Hęc enim & huiuſmodi quædam alia eſſe facta inde colligimus, quod Cæſar in Aduaticorum expugnatione quatuor milia pridie ceciderit, & poſtridie quinquaginta tria milia ſub haſta vendiderit. Quod quidem ſi Antuerpiæ Cæſaris memoria contingere non potuiſſe agnoſcit, fateatur ſanè Antuerpiam non eſſe Aduaticum Cimbrorum. Ait ille: Qui verò locus cogitari queat, ſi non illum fuiſſe dicamus à quo hoſtes inſuperabili difficultate arcerentur, & ea omnia, quæ ad vitam ſunt neceſſaria importari poſſent, hoſtibus omnibus inuitis? Locus communis eſt, quo ſibi trãſitum pręparat ad præferendam loci firmitatem hominum multitudini in ratione munitionis. aduerſus quē reſpondemus plus valere defenſores ſine munitione, quàm munitionem ſine defenſoribus. In Aduaticis autem neutrum alteri defuiſſe. Pergit ille: Atqui (inquit) in meditullio Regionis nulla ſylua, nulla palus, rupes nulla, quamuis munitiſſima has duas ſimul commoditates habere poteſt.

Aduaticorũ multitudo & captiuitas.

Vt lector certus ſit quò reſpicere debeat, ambiguitatis admonendus eſt in voce Aduatici. Aduaticum enim Regio dicitur Aduaticorũ, in qua ciuitas fuit à Cæſare expugnata, cuius proprium nomen ignoratur. Eam igitur Goropius aliquoties

Goropius Aduatici nomine ambiguè ludit, & modò Regionem, modò ciuitatem, modò præſidium Cimbrorum intelligit.

ties Regionis nomine Aduaticum appellat. Quã proinde etſi hic palam non nominet, planè tamen intelligi voluit. Aggreditur enim hic caput primum deſcriptionis apud Cæſarem propoſitę. Nam argumento Regionis docet Aduaticorum illud anonymum oppidũ quod deſcribit Cæſar; ad vtrunque illud belli commodum, quod ipſe modò recenſuit, non ſufficere; quia ſcilicet in meditullio regionis ſitum fuerit. Quod inde fit, quod ad ſolum hoc anonymum oppidum reſpiciat, præſidium callidè diſſimulet: alioqui enim hoc dicere nullo modo poſſet. Præſidium enim quod à Cimbris Rheno impoſitum fuit, ita fuiſſe munitum, vt per multos annos poſt Cimbrorum abitũ, & hoſtes inſuperabili difficultate arceret, & quæ ad vitam neceſſaria erant hoſtibus omnibus inuitis reciperet, ſicut euẽtus ipſe docuit, ita etiam apud Cæſarem teſtantur Remi, & ratio nõ obſcura conuincit. Nec enim auxilium illis aduerſus Gallos ex vicina Germania, nec vitæ belliue neceſſaria ſubſidia deeſſe potuerũt, qui Rhenum haberent in poteſtate ſua. Poſtquam autem relicto Rheno in meditullium Regionis ſuæ peruenerunt, minus opus habuerunt munitione tam arcta, quia nõ niſi pace omnium finitimorũ conſenſu acta illum ſibi domicilio locũ delegerunt. In quo & tranquillè viuere, & maturè ſibi munitiones erigere potuerunt. Addit ille: Sunt in
" mediterraneis (inquit) ſic quædam natura ſua
" inacceſſa, vt breui illa quidem tempore ex-
" pugnari non poſſint, ſed queant tamen longa
" obſidione ad inediam & rerum omnium inopiã
" cogi, præſertim vbi tanta eſt hoſtium obſiden-
" tium multitudo, quantum Neruij & Eburones
" cõtra vnũ oppidum in armis habere potuiſsent.

Si e-

Si enim cincti vndiq; Aduatici fuiſsẽt, quis rogo „
commeatus potuiſſet inferri, aut quicquã eorum „
omnino, quę obſidiõe lõgapreſſis ſunt neceſſaria? „
Nec ſanè credendũ tam imprudẽtes Cimbros, rei „
que militaris tã imperitos fuiſſe, vt illis anguſtijs „
impedimenta præſidiumq; includerẽt, in quibus „
niſi ex hoſtico raperent, fame emoriendum eſſet. „
Quod ſupra admonuimus, præſenti exemplo hic apparet; Goropium Aduatici nomine anonymum illud Cæſaris oppidum accipere, cùm eius incolas Aduaticos vocet. Hos enim negat vndique fuiſſe cinctos, & hic aggreditur ſecũdum caput deſcriptionis Cæſarianæ, quo alium ſitũ Aduatici fuiſſe docet, quã qui deſcribitur apud Cæſarem. Contendit enim hoc oppidum in Mediterraneis à Cimbris non fuiſſe conditum. Itaque ſi lector huius & ſuperioris articuli memor ſit, efficaciſſimè confutata ab ipſo Goropio videbit ea; quæ ipſe de Aduaticorum anonymo oppido dicit infra; vbi illud vocat Alomberg. Sed obliuiſcitur hic rurſus Goropius pręſidij, quod ad Rhenũ fuit, in quo quãdiu egerunt Cimbri, neq; vndiq; cincti fuerũt, neq; ex hoſtico rapere coacti sũt, vnde viuerẽt, cùm Rhenũ à tergo haberent liberũ, & Germaniã patẽtem, vnde commeatus importari poſſet. Nõ recordatur etiã Goropius Aduaticum tẽpore pacis eſſe conditũ, & in pace diu trãquillè egiſſe, & interim hominũ numero, & munitionũ firmitate ꝓfeciſſe, ita vt quãuis in Mediterraneis ſitũ eſſet, tamen vicinis vrbibus itidẽ Mediterraneis non modò par eſſe, ſed etiã pręualere poſſet. Ad extremũ aũt a Iulio Cæſare eſſe captum, non quidẽ deditione per longã obſidionem, ſed inuſitatis machinis & inſolito belli genere: quod idẽ & alijs in Gallia ciuitatibus contigit. Addit Goropius

ropius

" ropius: Si igitur accuratè totius huius regionis
" ſitum, quæ Eburonum, Neruiorum, & Ambiua-
" ritorum erat media, cõſideremus, nullum locum
" inueniemus, hoc in quo Antuerpia cõdita eſt im
" pedimentis cuſtodiendis aptiorem. Ab occiden-
" te enim latiſſimo, profundiſsimo & æſtuoſo flu-
" mine claudebatur, &, vt tum temporis res erant,
" vndique à flumine paludes inuiæ, altum illud in
" quo Antuerpia ſtat, fæda vligine cingebant. His
" accedebat ſyluarum horror, quarũ reliquiæ ha-
" ctenus ad ipſa prope mœnia contingunt. Adde
" vt tum loca erant aggeribus fortaſſe parum mu-
" nita lõga per Ambiuaritorum fines æſtuaria. Sed
" præcipua ad defenſionem vis in paludibus fuit,
" quæ vrbem hactenus ambiũt, quamuis induſtria
" & labore hominum altiores factæ nunc læta paſ-
" cua iumentis præbent. Nec alius ab Oceano Scal-
" din aduerſum ſubeuntibus prius locus occurrit
" in fluminis ripa habitationi commodus, qui ci-
" tra aggerum munimenta vndas excludat, quàm
" ad hunc tumulum venias, qui ab arce noſtra ſiue
" Burgo ad Kielam vſque ſuburbanum pagum mo-
" dicè leniterque è flumine conſurgit. Hactenus
Goropius docuit Aduaticum tali loco non eſſe conditum à Cimbris, qualem illi ſua deſcriptione attribuit Cæſar. Nunc docet eo loco Aduaticum eſſe conditum, quo ſita eſt Antuerpia, cùm hic locus ad amuſſim ſuæ deſcriptioni cõueniat, ex quo intelligi debet, eum ad Antuerpiam ſolã direxiſſe hãc deſcriptionẽ: In hoc autem duplex eſt eius animaduertenda ſolertia. Prima eſt, quod ad ſolum Aduaticum direxerit orationem ſuam, Præſidium ex quo præſens pendebat eius confutatio cõſtanti ſilentio inuoluerit. Altera eſt, quod fidem Cæſaris labefacter, cuius authoritatem di-

ctis ſuis prætexit. Cùm igitur in Aduatici deſcriptione Goropius à Cæſare diſſentiat, vt hinc apparet, quæro cui fidendum ſit? Veram equidem Aduatici deſcriptionem apud Cæſarem eſſe puto, nec diffiteor veram hic ſubiungi Antuerpiæ deſcriptionem apud Goropium. Sed quia Goropius hac ſua deſcriptione locum Antuerpię condendæ demonſtrat, qui & Regionis & ſitus ratione longiſsimè diſcrepat ab illo, quem deſcribit Cæſar, ſemet ipſe Goropius validiſsimè confutat, & efficaciſsimè conuincit, Antuerpiam non eſſe Aduaticum Cimbrorum. Et verò ſi locus ille in quo Antuerpia condita eſt Cimbrorum tempore ſic natura munitus erat, vt ſcribit Goropius, capi nulla vi potuit, & proinde conſequitur Antuerpiam non eſſe Aduaticum Cimbrorum, quod ſe cepiſſe ſcribit Cæſar. Quomodo autem Cimbri aduerſo Scaldi in hūc locum venire potuerint, equidem nō video, cùm per Cauchos ac Friſios iter facere non potuerint. Denique cùm hunc ipſum locum quem Antuerpiæ tribuit Goropius, ipſe inter Eburones Neruios, & Ambiuaritos medium faciat, quæro quomodo id fieri potuerit, ſi quidem Eburones, Neruij, Ambiuariti Belgæ ſint, cū Belgæ Cimbros intra fines ſuos non admiſerint, vti teſtatur Cæſar? Subiungit "Goropius: Ad hunc igitur cùm Cimbrorum mul" "titudo perueniſſet, viderentque locū natura mu" "nitiſsimum, & commeatui importando per flu" "men idoneum, continuerunt ſe nonnihil, quo" "vlteriora qualia eſſent explorarent: Deprehen" "ſum itaque alterum duorum eligendum, vel per" "apertas Neruiorum & reliquorum Belgarū cam" "pos iter habendum, vel per aſperrimas Arduen" "næ difficultates exercitum ducendum eſſe. Prius"

 ne face-"

„ ne facerent virtute & numero Belgarũ ſunt pro-
„ hibiti,vti de Cæſaris verbis apertum feci: Alterũ
„ verò non difficile modò & arduum,ſed impoſsi-
„ bile etiam & deſperandũ videbatur propter ma-
„ gnam impedimentorũ copiã & grandem mul-
„ titudinẽ eorum,qui vel per ætatem,vel per mor-
„ bum tantis laboribus & ærumnis impares eſſent.
„ Quid igitur facerent? conſilium è re nata & præ-
„ ſenti neceſsitate capiunt,vt imbellem multitudi
„ nem & impedimentorum partem citra ſyluã de-
„ ponerent, ipſi deinde expediti medios ſaltus pe-
„ netrarent. Ecce amice lector apud Goropium,

—vbi amphora cepit
Inſtitui, currente rota cur vrceus exit?

Goropius ab Aduatico ad Præſidium deflectit.

Modò contendit Goropius locum inidoneum eſſe,quem Aduatico Cimbrorum aſsignauit Cæſar,ipſe hic Antuerpiæ locum aſsignat,quẽ Cimbrorum præſidio idoneum fuiſſe declarat. Itaq; hinc apparet quàm iniquam locorum comparationem fecerit,cùm Antuerpiam contulerit cum Aduatico, quã conferre debuerat cum Præſidio. Præſidium enim cũ Præſidio, & Aduaticum cum Aduatico conferendum erat. Antuerpiam autem hic nõ pro alio, quàm pro Cimbrorum præſidio accipi debere,cùm orationis ipſe tenor,tum etiã res geſta declarat, cùm Cimbri in Italiam profecturi hic ſua impedimẽta,&his cuſtodiendis aliquam multitudinem depoſuerint, vt Goropius ipſe declarat. Interim tamen hic Antuerpiam palam nominat Aduaticum.Quid igitur hic dicendum eſt? illud ſcilicet, quod hac ambiguitate lectorẽ Goropius ludificetur, vt Antuerpiã modò Pręſidij,modò Aduatici colorib⁹ pingat: qui ꝓpinde eruendæ veritatis ergo in ordinẽ redigendus eſt: Antuerpia enim ſi à Cimbris iſtis eſt,de quib⁹

Goropij ambiguitas diſcuſſa.

agit

agit Cęſar, aut Præſidium aut Aduaticū Cimbrorum eſt, aut vtrunq;: ſed vtrumq; eſſe non poteſt, quia Aduaticum à Præſidio diſcrepat perſonis, temporibus ac locis, vt ſupra dictum eſt. Quare cùm Goropius Antuerpiā ſuam modò præſidio, modò Aduatico accōmodet, vtrunq; facit, & proinde neutrū eſſe declarat, quia diſcrepantia confundit. Antuerpia igitur aut alterutrum erit, aut neutrū, ſed neutrū erit, quia neutrius proprietates illi competunt. Aduaticum Cimbrorū à colonis eorum conditum eſſe ſcribit Cæſar: Antuerpiam conditā eſſe à Cimbris ipſis ſcribit hic Goropius. Aduaticum Cimbrorū conditū eſſe ſcribit Cæſar pace iam cum finitimis facta multis annis poſtquā Cimbri abijſſent: Antuerpiam ſuam conditā eſſe ſcribit Goropius in ipſo ſtatim Cimbrorum aduentu. Aduaticum Cimbrorum Cęſar ſcribit conditam eſſe in meditullio regionis mediterraneæ: Antuerpiam ſuam Goropius ſcribit eſſe conditam ad Scaldim fluuiū, qua ille influit in Oceanum. Quibus proinde omnibus ac ſingulis iuſta bilance pōderatis luce clarius vtiq; perſpicitur, Antuerpiam non eſſe Aduaticū Cimbrorum. Præſidium etiam Cimbrorum Antuerpiam nō eſſe multo clariores rationes arguunt. Præſidiū Cimbrorū conditū ſcribit Cæſar à Cimbris ipſis in vſum impedimentorū, & eorū qui his cuſtodiendis relinquebantur: Goropius etſi verbis nō afferat, re ipſa tamen ſatis declarat à Cimbrorum colonis eſſe conditam Antuerpiam: Antuerpię enim conditores Aduaticos, vt & ipſam Antuerpiam Aduaticum facit, Aduatici autem non Cimbri erant, ſed Cimbrorum coloni, qui Præſidio relicto Aduaticum condiderunt. Cæſar Præſidium Cimbrorum ſublatum eſſe declarat,

 ex quo

ex quo pace facta in Aduaticum immigraſſent illi qui in præſidio erant, quod & euidens ratio comprobat; nam quorſum vel ipſis Aduaticis vtile, vel finitimis eorum tolerabile præſidium eſſet, pace iam facta, quod in vſum belli comparatum fuerat? planè enim metuendum id erat, ſi cuſtodibus aliò profectis militari more corruptum & ſublatum non fuiſſet, ne alij aliunde occuparent, ac de integro finitimos hinc vexarent. Goropius Antuerpiam ſuam à primo Cimbrorũ aduentu hactenus duraſſe non vno loco iactitat, & ante natum Chriſtum anno cẽteſimo ſeptimo, aut octauo cõditam gloriatur. Cæſar præſidium Cimbrorum circa Rhenum poſitum fuiſſe ſcribit: Goropius Antuerpiam ſuam ad Scaldin collocat eo loco, quo nullũ Rheni brachium, nedum Rhenus ipſe Cimbrorũ tempore pertingere potuit. Nam quod hodie confuſis Rheni & Scaldis oſtijs libero mari in aduerſum Scaldin ex Cauchis ac Friſijs innauigetur, id tunc obſtãtibus terrarum interuallis, & diſcretis integriſque Rheni brachijs intermedijs fieri non potuiſſe ſupra abundè declarauimus. Hinc etiam iudicari poteſt quàm verè hic dictum ſit à Goropio, hunc locum in quo Antuerpia cõdita eſt, viſum eſſe Cimbris natura munitiſsimũ, & commeatui importãdo per flumen idoneum eſſe. Nos enim Cimbros in Brabantiam nunquam veniſſe, & hunc locum in quo Antuerpia eſt ætate Cimbrorum in rerum natura non fuiſſe ſupra liquidò declarauimus, & ipſe Goropius quaſi ſui oblitus paulò inferius, vbi de proiectis agit cõmeatui importando inidoneum fuiſſe ſcribit, quod quanquam verum ſit ob eas cauſas, quas ipſe illic reddit, verius tamen eſt ob eas quas nos reddimus, videlicet ꝓpter Friſios,

Goropius ipſe ſecum diſsidet.

qui à

qui à tergo cõmeatum intercipere aut certè impedire potuiſſent. Porrò autem Cæſar indicat præſidium Cimbrorum Auſtrũ verſus poſitum fuiſſe ſupra Belgas, quia cùm Rhenum circa Moguntiam traieciſſent, Belgæ eos arcuerunt, ne fines eorum intrare poſsét. Goropius Antuerpiam Septentrionem verſus in extrema Brabantia, hoc eſt, in vltimis Belgarum finibus collocat, vnde ſine dubio intelligitur Antuerpiam nõ eſſe præſidium Cimbrorum. Quod ſi autem nec Pręſidiũ, nec Aduaticum Cimbrorum eſt Antuerpia, vt ex his apparet, vtique ſequitur eſſe neutrum: Itaque res ipſa loquitur Goropium non alio fundamento Antuerpiæ ſuæ Aduatici titulum vendicare, quàm communi ſcribentium opinione ex Althamero potiſsimum cõcepta, qui primus, vt equidem hactenus comperio, Cimbros per Cauchos ac Friſios in Brabantiam deduxit. Quem quidem cùm à vero longiſsimè aberrare ſupra demonſtrauerimus, ex conſequenti etiã fundamentum Goropij neceſſario concidit: ex quo conſequitur omnes dimenſiones eius quas Aduatici declarandi gratia multiplices in determinãdis terrarum interuallis ac ſpatijs habet, erroneas ac falſas eſſe, qui centrum his omnibus falſum ponit, dum interſtitia earum omnia metitur ex Antuerpia, quæ nec Aduaticum eſt, nec ad Cimbros quicquã pertinet: Cętrum enim Aduatici conſtituendum erat in meditullio Regionis iſtius, quam hoc nomine à Cimbris cultam fuiſſe ſcribit Cęſar. Hinc dimenſiones in omnes plagas faciendæ erant. Quarum quæ Septentrionem verſus tenderẽtur, non niſi ad Auſtrales vſque Belgarum fines produci poterant. Hic enim Aduaticorum fines terminari ex Cęſare diſcimus, vt ſupra declarauim⁹.

Situs præſidij Cimbrici Goropium confutat.

Andr. Althamerus Goropium in errore fulſit.

Dimenſiones Goropij falſo centro nixæ, erroneæ ſunt.

Hinc igitur intelligi poteſt, quàm ſolida delibe-ratio illa fuerit, quam Cimbris hic attribuit Goropius, dum conſultant, quo itinere Belgium penetrare poſsint, in Galliam & inde in Italiã profecturi, per apertos Eburonum, Neruiorũ ac reliquorum Belgarum campos, an per aſperrimas Arduennę difficultates: Nam ſi Straboni ac Tacito verum iter Cimbrorum deſcribẽtibus potius quã Althamero auſcultaſſet Goropius, illi Cimbris, neq; Arduennam ſyluam ſuccidendam, neq; per apertos Eburonum, Neruiorũ & reliquorum Belgarum cãpos iter faciendũ fuiſſe indicaſſent. Pręſidium enim Cimbrorum, vnde iter inſtituebant, non infra, ſed ſupra Belgas erat in ipſa Gallia, vnde in prouinciam Romanorum & Italiam profecturi, nõ Septentrionem verſus per Belgas deſcendere, ſed Auſtrum verſus per Gallos aſcendere debuerunt. Ideoq; Belgę illos impedire nõ potuerunt. Itaque verba Cæſaris Goropius hic non modò perperam citat, ſed etiam præpoſterè interpretatur: Cæſar enim tantum hoc dixerat, ſolos Belgas eſſe, qui omni Gallia vexata Teuthones ac Cimbros intra fines ſuos ingredi prohibuiſſent. Quo ille ſignificare voluit Cimbros ex Gallia vbi præſidium habebant, Septentrionem verſus in Belgium nunquam veniſſe, nedum Aduaticum ibi condidiſſe: Goropius autem Cæſarem perinde hic citat, ac ſi dixiſſet, Cimbros numero ac virtute Belgarum prohibitos fuiſſe, ne ex Septentrione, vbi eos fuiſſe Goropius pręſupponit, Auſtrum verſus per apertos Eburonum ac Neruiorum campos iter facerent in Galliã. Hinc enim neceſsitatem colligit, quæ per Aduennam ſyluam eos proficiſci coëgerit. Cuius abſurditatis illi non alia fuit cauſa, quàm quod Antuer-piam

Cimbri per Belgium profecti nõ ſunt, in quo præſidium eorũ non fuit. Goropius Cæſarem inſyncerè tractat.

piam conſtituerit profectionis Cimbricæ prin-
cipium; vnde & ipſe hic ſecum pugnantia locu-
tus eſt. Nam ſi, vt ipſe dicit, Cimbri virtute & nu-
mero Belgarum prohibiti ſunt, ne per apertos
Eburonum ac Neruiorum campos iter facerent,
quo modo in Eburonum finibus præſidium re-
linquere, & Aduaticum condere potuerunt? &
quo modo Arduennam ſyluam ſuccidere potue-
runt, Belgis omnibus inuitis?

Goropius ipſe ſecum diſsidet.

Nemo igitur miretur hæc in Goropio, qui
ſeruit inſtituto ſuo, & exercendi ingenij ſui gra-
tia ludit in argumento adynato. Quod quò cla-
rius appareat prætextum eius detegamus, quo
ex Gallia tranſiliuit in Brabantiam ad condendũ
Aduaticum ſuum. Ptolemæus libr. 2. in tabul. 3.
Europæ capit. 9. vbi de ſitu Galliæ Belgicæ agit,
in Tungris vrbem collocat nomine Aduacutum,
quam nonnulli putant ab Aduaticis eſſe condi-
tam eo tempore, quo ipſi Eburonibus impera-
bant: Arripit hoc Atuacutum Goropius, & quaſi
mendum ſit in Ptolemæo Atuaticum vocat, quo
poſito perinde ac ſi Cæſarem Ptolemæus inter-
pretetur, ipſe porrò aſſerit Ptolemæum in Tun-
grorum finibus collocare Atuaticum, quod in
Antuerpiæ nomen poſtea tranſierit. Atque ita
ſub ſpecie fidei ac diligentiæ lectorem incau-
tum ludificatur, dum ipſe elabitur ac tranſit quo
vult, & vtrumque authorem obtorto collo tra-
hit, quo lubet. Diſcutienda eſt igitur hæc no-
minum confuſio, vt repurgatis codicibus appa-
reat, quid Cæſari, quid Ptolemæo ſuum, quid
lectori vtrobique ſequendum ſit. Fallitur au-
tem quiſquis putat, vel Aduaticum idem eſſe
quod Aduacutum, vel vtrunque ibidem reperi-
ri. Itaque neque Aduaticum in Ptolemęo, neque

Larua Goropij ſub qua ſe velitat ocu-lis incautorum.

Ambiguitate Aduatici et Atuacuti lectorem Goropius ludificatur.

Atuacutũ in Cæſare vſquam reperias: Apud Cęſarem enim vbique conſtanter Aduaticum eſt, hoc excepto, quod in quibuſdã codicibus, quos commodo ſuo ſequitur Goropius d in t mutato Atuaticum ſcribatur. Apud Ptolemęum autem vbique conſtantiſsimè reperitur Atuacutum, quod & Ortelius teſtatur in ſuo Onomaſtico geographico, & ἀτουάκουτον etiam in omnibus exemplaribus græcis legitur. Falſum igitur eſt, quod Goropius aſſerit Ptolemæum ponere Atuaticum in finibus Tungrorum, cùm Ptolemæus Aduacutum tantum agnoſcat, Aduaticum nuſquam memoret, vtpote quod ignorat. Non ſufficit autẽ Goropio ſub hac nominum confuſione à Cæſare ad Ptolemæum, à prouincia, vt mox oſtendemus, ad ciuitatem tacitè incautum lectorem traduxiſſe, ſed & ciuitatem ipſam quam fabricat non ex deſcriptione Ptolemæi quem allegat, ſed ex arbitrio ſuo collocat, vbi vult: Dicit enim Ptolemęum collocare Atuaticum ſuum (ſic enim ipſe vocat) in Tungrorum finibus, cùm Ptolemæus finium mentionem nullam faciat. Verba Ptolemæi hic proponam, vt lector conſpiciat ac iudicet, qui vbi à Morinis ad Tungros deſcribendos tranſit: Poſt hos (inquit) Morini ad ortum, quorum mediterranea ciuitas Taruanna. Deinde poſt Tabudam fluuium Tungri, & ciuitas eorum Atuacutum. hæc ille, vbi finium vtique mẽtionem nullam facit: Vnde vel ſtultus intelligat Goropiũ ſeruire inſtituto ſuo. Nam ſi Atuaticum Ptolemæi (vt ipſe iam vocat) ſit in Tungrorum finibus, quomodo poterit id Antuerpia credi cùm ætate Ptolemæi tota campeſtris Brabantia vnà cum Antuerpia ſua ſub aquis adhuc fuerit, vt & actis publicis, & multis eruditis viris atteſtantibus abundè conſtat: quorum

Goropius lectorẽ ludificatur ambiguitate finium.

rum teſtimonijs confutandis occupatur Goropius in Niloſcopio ſuo pari fide ac dexteritate atque hic. Quis autem ætate Cimbrica Tungrorum fines ad campeſtrem Brabantiam vſque protenſos fuiſſe credat, cùm ſatis conſtet, Tungrorum ciuitatem etiam recentiori memoria fuiſſe maritimam. Hoc enim non modò Raymundus Marlianus, Chriſtianus Maſſæus, & complures alij viri docti aſſeruerunt, ſed & ex ipſorum Tungrenſium, Traiectenſium & Leodienſium & vicinarum gentium annalibus, & ex multorum ſanctorum vitis, qui illic poſtea verſati ſunt, ſine dubio perſpicitur, ſuffragantibus etiamnum hodie manifeſtis iſtic Oceani veſtigijs: quæ Goropius vt cætera leui ioco amolitur. Etſi autē Ptolemæi ætate Antuerpia in Brabantia, & Brabantia ipſa ſub Tungris fuiſſet, quid haberet tamē Goropius cur eam collocaret in Tungrorum finibus, cùm Ptolemæus in Atuacuto ſuo finium mentionem nullam faciat? Etſi Ptolemæus Atuacutum ſuum maximè collocaſſet in Tungrorum finibus, vt falſo Goropius aſſeuerat, quid haberet tamen Goropius cur Antuerpiam ſuam collocaret in finibus Aquilonaribus, niſi vt inſeruiret inſtituto ſuo? cùm fines cuiusque ditionis quadrifariam vtiq; ſumantur, & non modò ad Septentrionem, ſed & ad Auſtrum; non modò ad Orientem, ſed & ad Occidentem porrigantur. Non fuiſſe autem Atuacutum Ptolemæi in Tungrorum finibus, ſed in ipſo meditullio ditionis Tungricæ ſitum, ex ipſo Ptolemæo facilè colligitur, qui cùm in Morinis vnicam duntaxat ciuitatem nominaſſet, Taruannam, vt ſupra apparuit, eandemque Mediterraneam eſſe dixiſſet, & ſimiliter in Tungris vnam duntaxat nominaſſet, Atuacutum, etiam idē Mediter-

Tungrorū ciuitas olim maritima.

diterraneum intelligi voluiſſe credẽdus eſt, ſuffragantibus præſertim tabulis antiquis, qualem edidit Ioannes Schottus Argentinẽſis anno Chriſti 1513. in qua Tabulla Morinos à Tũgris, Schaldis Tungros à Menapijs dirimit, & Atuacutum in Meditullio ditionis Tungricæ collocatur. Vbi diligenter proinde conſiderandus eſt locus Goropij, qui non modò vrbẽ ex meditullio regionis in fines extremos trãsfert; ſed etiã Schaldin cũ Tabulla cõfundit, ipſumq́; Tabullam cõmodo ſuo Tabudã vocat, ſicut in quibuſdã exẽplaribus habetur, eũdemq́; Tabudã populari nomine Sta buten, hoc eſt, Sta foris, antiquitus ab indigenis eſſe vocatũ fingit, eo nimirum cõmento, vt ſubindicaret hic ab ſe ad hiſtoriæ Cimbricæ veritatem lectoribus ſuis eſſe clauſam ianuam: alioqui enim codicum diſcrepantiã tolleret, & quid lectori in dubio ſequẽdum eſſet, explicaret. ex Tabullę autem ſitu ſatis apparet, Tungros Tungrẽſium ciuitatẽ olim ad ſinũ maris fuiſſe ſitam, in quẽ Schaldis influebat.

Authorum opinio de Atuacuto Ptolemæi.

Quæ res ignorata magnos errores multis peperit, quos in Rheno noſtro diligenter fauente Deo ſumus diſcuſſuri. Certè quotquot hactenus Atuacutum Ptolemæi diligentius inueſtigarunt, Auſtrum verſus & in Mediterranea magis aſcenderũt. Sunt enim apud Althamerum, qui putant eſſe Traiectum ad Moſam. Hubertus Thomas Leodius putat eſſe Abbatiam Tungerloenſem. Abrahamus Ortelius in itinerario ſuo teſtatur eſſe, qui contendunt caſtrum illud eſſe non longè diſſitum ab vrbe Leodienſi, quod alij Varucam, alij Vatucam nominant, ipſe iudicat eſſe oppidum illud, quod itinerarium Antonini vocat Atuacam Tungrorum, quo nomine etiam in tabulis geographicis ipſe appellatũ reperio, & à Peruiſia

eo ipſe ait Rhenum verſus miliaribus quatuorde cim diſtare, alij aliter. Quorum omnium coniecturas huc congerere & longum & inutile foret, nemo ſaltem à me repertus eſt, qui Ptolemæi Atuacutum collocaret in campeſtri Brabantia, prę ter vnum Sebaſtianum Munſterum, qui hoc loco apud Ptolemæum diſertis verbis Atuacutum interpretatur Antuerpiam, ſicut & Tungros Brabantiam. Cuius tamen authoritate ſe Goropius nuſquam fulſit. Ideo fortaſſe, quod ipſe videri velit inuenti huius tam præclari author primus, vel eo potius, quod Munſtero citato ſe de gradu deiectum iri putet, cùm ipſe Atuaticum apud Ptolemæum in Tungrorũ finibus collocet, Munſterus aũt Atuacutũ ibi ponat, & de finibus mentionem nullã faciat. Etſi enim interdũ & in finibus eſſe dicam⁹, quod intra fines eſt, ſic vt omnes cuiuſq; ditionis ciuitates intelligimus, Goropi⁹ tamẽ Antuerpiã ita in finibus Tungrorum collocat, vt fines limitẽ, & Atuacutũ inſtar Antuerpiæ limitaneã vrbẽ intelligi velit: quod vt in Antuer pia verũ, ita in Atuacuto falsũ eſt. Cùm igitur ſub cõfuſione nominũ Aduatici & Atuacuti lectorẽ Goropius hoc modo ludificetur, quo tãdem Criterio lector iudicabit, quid ſibi de Antuerpia tenendum ſit? Reſpõdemus. Meminerit lector Atuacutũ ab Aduatico, vt ſcriptura, ita etiam authoribus & rebus ipſis diſcrepare. Reſtituat Ptolemęo ſuum Aduacutum, & Cæſari Aduaticum: & ſciat Atuacutum Ptolemæi eſſę ciuitatẽ, Aduaticum Cæſaris eſſe integram regionem, & facilè deprehendet Antuerpiam non eſſe Aduaticum Cimbrorum, tum quod Antuerpiam ipſe Goropius Regionem hic non vocet, tum quod ſuum Aduaticum Ptolemæi indicio ipſe vrbẽ eſſe declaret.

Goropij ambiguitas diſcuſſa.

Hec

Hoc tamē quò clarius intelligatur age paucis hic demonſtremus Antuerpiam Goropij ab Aduatico Cæſaris toto naturæ ordine, manifeſta loci qualitate & viſibili mœnium ſtructura diſcrepare.

Antuerpia ab Aduatico tribus modis diſcrepat.

Primum enim certum eſt Aduaticū apud Cæſarem eſſe totam illam Regionem, quam Aduatici iſti Cimbrorum coloni incoluerunt. Aduaticos enim Cæſar vocat integræ ditionis Aduaticæ incolas. Quo modo Brabantos dicimus incolas ditionis Brabanticæ. Hoc enim declarat Cæſar vt alibi diſertis verbis, ita etiam hic certiſsima demonſtratione, cùm dicit Aduaticos cunctis oppidis caſtellisque deſertis ſua omnia in vnum egregiè natura munitum contuliſſe, vt dubitandum nullo modo ſit, quin Cæſar de Aduatico hic tanquam de Regione aliqua integra loquatur, atque ita etiam Petrus Diuæus & cæteri interpretes intelligunt, vt infra mox patebit. Atqui Goropius de Antuerpia non vt de Regione, ſed vt de ciuitate loquitur, nec ipſe aliter accipit. Intelligitur id ex prima eius propoſitione, qua ſupra dixit, Cimbros eſſe, qui Antuerpiam ſub Aduatici nomine condiderunt: item qui paulo ante dixit, Ptolemæum collocare Aduaticum in Tungrorum finibus, quod in Antuerpiæ nomen poſtea tranſiuerit, vbi vtique non Regionis, ſed vrbis inſtar Aduaticum habetur. Nam ſi Goropius fortè diceret Andouerpos (vt eos S. Eligius vocat) populum fuiſſe, qui ſub ſe ditionem aliquam habuiſſet, indicio ſuo ipſe quaſi ſorex perijſſet, cùm allegare debuiſſet, quorum comparatione mox depræhenderetur: vbi enim oppida caſtellaque ſunt, quæ Andouerpos ſub ſe habuiſſe tempore Iulij Cæſaris Goropius probare poſſet? Loquitur igitur

Aduaticū eſt Regio apud Cæſ.

Aduaticū Goropij ciuitas eſt.

Andouerpi

igitur de Antuerpia Goropius,non vt de Regione,ſed vt de ciuitate,vt antea diximus:nam alioqui quo modo eam poſſet collocare in Tungrorum finibus.Ideoque lectorem toto naturæ ordine fallit,cùm Cæſar loquatur de Aduatico vt de integra Regione: & ſic quidem cæteri ſcriptores hunc locum Cæſaris intelligunt,ſic etiam Petrus Diuæus,qui & patria Louanienſis & in Belgicis antiquitatibus diligenter & profundè verſatus eſt, ex deſcriptione Cæſaris Aduaticorum habitacula fuiſſe collegit inter Neruios, Menapios, Eburones ac Treuiros, in eo tractu, vbi nunc Gallica Brabātia eſt,ſylua Sonia, pars item Hannoniæ, Hasbaniæque, Comitatus Namurcenſis. Quod ſi autem Goropius Antuerpiam contendit eſſe Aduaticorum illud oppidū munitū, vt quod deſcribit Cæſar ſub eodem genere & eadem claſſe duas ciuitates inter ſe comparet,neceſſe eſt dicat campeſtrem Brabantiam, in qua vtique Antuerpia eſt, eſſe Regionem illam Aduaticorum in qua fuerūt oppida illa caſtellaque,quæ metu Cæſaris Aduatici deſeruerunt, cùm ſua in vnum illud natura munitum comportarent.Atqui Aduaticum Cimbrorum regio erat montoſa & præcelſis rupibus aſpera, ſicut eam deſcribit Cæſar. At Campeſtris Brabantia tota plana eſt & æqualis, vnde & nomen obtinet,quod cōſtet campis apertis ac patentibus,vtpote,quę maris alluuione tota adiecta eſt. Aduaticum Cimbrorum erat regio Mediterranea,vt ex præſenti Cęſaris deſcriptione patet.Campeſtris autem Brabantia,ſi nunc nō eſt,certè Cæſaris ætate fuit maritima,vtpote quā à Septentrione mare alluebat, vt ex Chronicis cō ſtat,& ipſe Goropius agnoſcit.Cùm igitur Cāpeſtris Brabantia non ſit illa regio,quam Cæſar Ad-

Aduaticū Regionē, non ciuitatem Authores apud Cæſarem intelligūt.

tuatici nomine complectitur, vt ex his liquidò ap
paret, conſequitur nec Antuerpiam quidem eſſe
munitam illam ciuitatem Aduaticorum, quā de-
ſcribit Cæſar, cùm in Campeſtri Brabantia ſitam
eſſe Antuerpiam certum ſit. Itaq; etiam nemo om
nium eorum, quos ego quidem hūc Cęſaris locū
interpretatos videre potui, Aduaticos in campe-
ſtri Brabantia quærit, ſed vtcunq; alij aliter cóie-
ctent, omnes tamen Auſtrum verſus longè altius
aſcendūt, vt ex Diuęo, Meiero & alijs apparet. Re
ſtat ſtructura mœniorū Aduaticorum. illud oppi
dū in omnibus in circuitu partibus altiſſimas ru
pes deſpectusq; habebat, vna ex parte leniter ac-
cliuis aditus nō amplius ducentorum pedum re-
linquebatur. Quem locum duplici altiſſimo mu-
ro munierant, tum magni ponderis ſaxa & præ-
acutas trabes in muro collocarunt, vt Cæſar an-
tea dixit, à quibus Antuerpiæ munitionem plus
quàm δὶς διὰ πασῶν diſcrepare nemo negare poteſt, qui
illā viderit: vbi enim ſunt magni pōderis illa ſa-
xa? vbi præacutæ illæ trabes in muro collocatæ,
aut ſi nūc non ſunt, vbi fuerūt, aut eſſe vnquā per
naturā potuerunt? Tantū igitur abeſt, vt munitio
nē ſuam Antuerpia ex montiū altitudine college-
rit, vt ipſe etiam Goropius munitionē eius ex a-
quis ac paludibus extitiſſe doceat. Cùm igitur
& in ſitu, & in ſtructura Aduaticorum vrbs tan-
topere diſcrepet ab Antuerpia, non ratio ſed &
oculus etiam conuincit Antuerpiam non eſſe mu
nitum illud Aduaticorum oppidum, de quo ſcri-
bit Cæſar.

Sed ne quis Goropiū hic captū putet, ecce alio
effugio elabitur: Apud Gowicā in Gaesbecanorū
Lomberg. vicinia montē repperit nomine Lōberg. Hūc vul
gus ibi addito articulo vocat die Lomberg, quod
nomen

nomen eſt contractum vſitata craſi ex Loënberg: itaq; die Loënberg nihil aliud hic eſt quã cõſimilis mons prope Louaniũ, qui dicitur die Loberg, nec aliud quicquam vulgo ſignificat die Loberg, quã montẽ altitudinis, interprete etiã ipſo Goropio, qui Lo in huiuſmodi cõpoſitionibus altum, berg montẽ ſonare paulo ante docuit. Hic igitur Goropius articulũ, die, ſupprimit, & montẽ ipsũ olim Alõberg dictũ fuiſſe fingit: nã quod hodie nõ dicatur Alõberg, id factum eſſe ex imperitia Gallorum: qui putantes, a, eſſe hic præpoſitionẽ ad, quæ motum ad locum ſignificat, detracta præpoſitione nudum nomen protulerint Lõberg, quod deinceps ita vſurpatum ſit: Alomberg aũt reuera dictũ fuiſſe munitum illud Aduaticorũ oppidum ex ipſo Cæſare arguit, qui nomen huius oppidi ſua deſcriptione ipſe interpretatus ſit: cùm dicit oppidũ omnibus in circuitu partibus altiſſimas rupes deſpectusque habuiſſe; hoc enim nomen Alomberg Belgica lingua ſignificat: ad pleniorem huius rei fidem in propinquo nominat Keſter, vbi Cæſaris caſtra fuerint, & Keſtergat vbi oſtium caſtrorum eius fuerit in obſidione huius Alomberg. Quid igitur clarius dicere potuit ad tollendam ambiguitatem omnem, quã quod hic docet Alomberg eſſe munitum illud oppidum Aduaticorum, quod expugnauit Cæſar? Itaque lector facilè iam intelligit ſe à Goropio dudũ fuiſſe deluſum, cùm ille magno conatu doceret Aduaticorum illud munitũ oppidum in Mediterranea regione nõ fuiſſe, ſi hic iam conſtituit Alõberg, ſed tum iocabatur, hic ſeriò loquitur. Ideoq; gratias debemus Goropio, cuius indicio nõ modò locũ, ſed etiã nomen anonymi huius oppidi cognouerimus. Regio enim Aduaticorum eſt tractus ille

Gaeſ-

Gaesbecanus:oppidum ipſum eſt Alomberg.hoc ſi quis non credit,conferat præſens Alomberg cũ Cæſaris deſcriptione ſupra poſita,qua ille Aduaticorum oppidum depinxit: & ſi quid minus vtrimque congruit, id lector ſub terram abſconſum eſſe credat. Keſter quoque & Keſtergat vera ac ſolida nomina eſſe perſuaſum ſibi habeat, quæ latina à Cæſare indita hactenus vtcunque perdurant. Vbi his fretus crediderit Aduaticorum Regionem & oppidum hic eſſe, facilè intelliget, & concedet Antuerpiam Aduatici nomine dici nõ poſſe. Nam quo modo Antuerpia erit Aduaticũ, cum Alumberg ſit Aduaticum?Hoc ſi ita eſt,ſequitur Antuerpiam neque regionem, neque ciuitatem Aduaticorum, nec Præſidium Cimbrorum eſſe. Regio Aduaticorũ Antuerpia eſſe nõ poteſt, quia ipſa eſt ciuitas; ciuitas Aduaticorũ eſſe non poteſt,quia hęc eſt Alomberg.PręſidiũCimbrorũ Antuerpia eſſe non poteſt, propter cauſas illas quas ſupra diximus. Itaque hinc apparet Goropium non voluiſſe cenſeri inter hiſtoricos, quia veritatem ludibrio habet;neque ſcripta ſua haberi voluiſſe ſeria,ſed iocularia,quia lectorem non docere,ſed decipere nititur: nam qui docere alterum conatur, obſcura illuſtrat, ambigua diſtinguit,confuſa explicat: Goropius autem contrarium facit, & explicita confundit, diſtincta in ambiguum trahit,illuſtria obſcurat. Quorſum enim illi finium amphibologia,niſi vt ſub eius velamine tranſiliat ex Gallia in vltimam oram Belgiæ? Quorſum illa cõfuſio nominum Aduatici & Atuacuti,niſi vt ſub eius fuco Antuerpiam videri faciat Aduaticum Cimbrorum?Quorſum allegatur authoritas Cæſaris ac Ptolemæi in confuſione Aduatici & Atuacuti,niſi vt fraudem faciat occu-

Goropium non inter hiſtoricos ſed inter iocularios ſcriptores haberi voluiſſe.

his authoribus, qua perſtringat animum lectoris occupati? Quorſum illa implicatio Aduatici & Præſidij Cimbrorum, niſi vt modò huius, modò illius proprietatibus Antuerpiam coloret? Quorſum illa confuſio Aduatici & Alomberg, niſi vt videatur nihil omiſiſſe eorum, quæ ad ſcenā pertinent? Quorſum omnia hæc figmenta, omnes hæ impoſturæ tendunt, niſi ad decipiendum lectorem incautum? Nec verò quiſquā arbitretur me hæc eo fine dicere, quod aut Goropium inſectari, aut Antuerpiam ſua laude ſpoliare cupiam. Nam Antuerpiam equidem cùm figmentis Goropianis libero, non dedecore; ſed honore afficio; niſi quis putet Antuerpiam figmentis Goropianis ornatam eſſe: Goropio autem dum tribuo quod debetur, ingenij laudem, quā affectat, propriam ac ratam facio. Nemo enim Goropium arbitretur adeo fuiſſe Suffenum, vt omnes omnino homines putaret eſſe pecudes; vt nemo eius artificium intellecturus eſſet: Nam qui nihil intelligunt, his quiduis facilè perſuaſeris, neque ingenij laudem conſequaris vllam, ſi hiſce impoſueris. Itaque nec his quidem Goropius ſua ſcripſit, ſed illis, quibus iudicium eſſet, & rerum ſubiectarum peritia, quibus ſi imponere dicēdo poſſet, tum demum ſibi aliquis videretur. Planè enim Goropius Diagoræ Melij mentem obtinet: Qui cùm deos & homines ridere ſolitus, ab Athenienſibus apud Bœotos in Theſſalia exulare iuſſus eſſet, & à quibuſdam iſtuc aduentantibus interrogaretur, quid facerent Bœoti? Stupidiores (inquit) ſunt, quàm vt à me falli queant. Bœoti enim omnia à Diagora veluti propriè dicta accipiebant, nec ſe falli ab eo ſentiebant, cùm nullum acumen animaduerterent: id moleſtum erat

Propoſitū Goropij.

Diagoræ, qui perire ſibi dicta interpretabatur; que Bœoti non intelligerent. Nec igitur Bœotis, ſed Athenienſibus, hoc eſt, nõ ſtupidis aut imperitis, ſed cordatis, & in re præſenti bene verſatis Goropius ſua compoſuit, à quibus artis oratoriȩ laudem expectabat, cuius præcipua functio eſt ſcitè mentiri. Sic Lucianus in veris narrationibus, Eraſmus Roterodamus in Moriæ Encomio, Henricus Agrippa in vanitate ſcientiarum, velu ti in argumento adynato laudem ingenij captauerunt. Qui omnes ac ſinguli, tametſi hæc opera ſua omnigena eruditione refarſerunt, multaque ſcitu digna obiter tradunt, nõ tamen id alio conſilio faciunt, quàm vt ſub horum dulcoramento lectori obrepant: ſic enim

Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps;

niſi enim diuerſis leporibus & ornamentis orationem ſuam condirent, quomodo lectorem mouere ac delectare poſſent, cùm docere nolint? Nolunt enim, quia non poſſunt; non poſſunt autem, quia impoſsibilia tradunt, & quæ contra communem naturæ & rerum humanarum vſum ſunt: Quarum proinde abſurditas ne conſpicua ſit, fucis opus eſt, quibus obumbretur. Quare ab huiuſmodi authoribus, non rei veritas, ſed aurium delectatio expectanda eſt. Et proinde qui tam credulus eſt, vt his temerè fidem adhibeat, is ſe deceptum ſciat. Si quis igitur alia mente Goropium fuiſſe, & ſeriò ſcripſiſſe putat ea quæ reliquit, huic ego idem imprecor, quod ipſe Goropius, qui in fine Syntagmatis ſui, ſectatoribus ſuis irridens, Beckeſelana panis cœleſtis inſtar fore dicit: Quo proinde qui contenti erunt, ad ambas vſque aures expleantur;

Beckeſelana Goropio manna.

tur;

tur; qui minus, age nobis demonſtrent Goropium & ſeriò, & rectè docuiſſe de Cimbris ea, quæ nos hic ſupra confutauimus.

Nos interim tenemus Cimbros in Brabantiam nunquam deſcendiſſe, & idcirco Antuerpiam nihil minus eſſe, quàm Aduaticum Cimbrorum. Tenemus ex conſequenti quoque Antuerpienſem linguam nihil minus eſſe quàm Cimbricam: cùm Cimbri iſti, de quibus hîc controuertitur, Aduaticum ſuum in Gallia condiderint ſupra Belgas, & eorum coloni Aduatici hodie loquantur Gallicè, ſcimusque etiam Cimbrorum linguam tum temporis, cùm Cherſoneſum relinquerent, fuiſſe Germanicam, nec vllo alio, quàm Dialecti diſcrimine diuerſam fuiſſe à communi lingua Germanorum; eamque ipſam Dialectum linguæ Cimbricæ, maximè cognatam fuiſſe iſtarum gentium Dialectis, quæ fuerunt Cimbris in patria ſua verſantibus maximè vicinæ. Illi autem fuerunt primis temporibus Gothi, Sueui & Chauci; recentioribus verò Dani, Friſij, & Saxones: quorum omnium linguæ ſucceſſu temporis in deterius degenerarunt, maximè autem Saxonum, qui pluribus gentibus cõmixti ſunt. Dani autem Cimbris vt maximè vicini ſemper extiterunt, ita etiam in patriam ſucceſſerunt: Friſij autem Cimbris finitimi ſemper fuerunt, ipſo etiam Goropio teſte, qui illos Cimbrorum colonos facit, vt ſupra apparuit; & cum his, vt & cum Danis, commercia frequentiſsima celebrarunt; & lingua Sueuica, Gothicæ ac Danicæ cognata locuti ſunt. Ex quo colligitur linguam Cimbricam, qua Cimbri in Cherſoneſo locuti ſunt, maximè vicinam fuiſſe linguæ Danicæ ac Friſicæ, vti nunc ſunt; quarum neutram

Linguam Antuerpienſem nihil minus eſſe quàm Cimbricã.

intelligere Goropius potuit. Vnde facilè perſpicit, qui non omnino cœcus eſt, Goropium Cimbricæ linguæ fumo lectorem faſcinare, dum etymologias ſuas, quas proprio motu, ac velut ex ſcrinio pectoris ſui comminiſcitur, Cimbricas vocat. Germanicas ſi diceret, minus oſtentationis quidem, ſed plus veritatis haberet: Antuerpienſium enim lingua Belgarum lingua eſt, & Belgæ plerique ex Germanis ſunt, vti Cæſar tradit; poſt cuius ætatem Cæſar Auguſtus multa Sicambrorum; Carolus Magnus multa Saxonum milia adhuc ex Germania in Belgium traduxit: vt Antuerpienſium lingua nō alia ſit, quàm communis & recentior illa Belgarum lingua ex Germanica ortum ducens, quæ admixtione Gallicæ magis etiam nunc poſtea corrupta eſt.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

NEQVE CIMBRICAM, NEQVE *Saxonicam linguam in tractu Boreali inter Cherſoneſum & Armoricum littus vnquam fuiſſe vſurpatam.*

CVM igitur ex ſupradictis appareat, Cimbros neque in mediterraneis, vbi Thuringi, aut Geldri degunt; neque in maritimis, vbi Cauchi, Friſij, Hollandi, campeſtres Brabanti ac Flandri habitant, vnquam habuiſſe vel ſedes, vel colonias, conſequitur nec Cimbricam quidem linguam toto iſto tractu vnquam fuiſſe vſurpatam. Quod tamen quò euidentius appareat eſſe verum, paulo altius declarandum eſt.

Diſputatur inter authores, vtrum Germanica lingua olim vna eademque fuerit cum Gallica;

an verò ab hac diuerſa? Quæ controuerſia non aliũde certius finiri poſſe videtur, quàm ex quæſtione coniuncta, qua quæri poſsit, ſintne ijdem populi Germani & Galli, an diuerſi?

Vtrũ Germanica lingua olim eadem fuerit cum Gallica.

Eoſdem enim fuiſſe, veteres tum Græci tum Romani Scriptores arbitrati ſunt. Nam Græci quidem Celtas; Romani verò Gallos vno eodem que nomine promiſcuè appellârũt populos omnes, quotquot intra Galliæ Germaniæque complexum habitarunt: vnde non minus Cimbros ac Teuthones appellârunt Gallos, quàm Tigurinos & Ambrones, vt ſupra demonſtrauimus.

Vtrum ijdem ſint Galli & Germani.

Recentiores enim ex eo demum quo bellum geri cum Romanis ceptum eſt, intermedio Rheno fluuio Romanos à Gallis ſeparari didicerunt, & de origine Germanici nominis diſputare inceperunt.

Germani quando et quomodo à Gallis ſeparati.

Itaque primus horum Strabo Romanos hoc nomen Germanis indidiſſe ſcribit, quod eos ob animorum & corporũ ſimilitudinem Gallorum fratres eſſe iudicarint; vtpote quos hactenus plane eoſdem cum Gallis eſſe putarant.

Cornelius Tacitus à Strabone diſſentit, & Germanici nominis authores nõ Romanos, ſed Tungros fuiſſe aſſerit, qui poſtquam relictis patrijs ſedibus in Galliam immigraſſent, hoc nomen hactenus inauditum virtute ſua non modò genti ſuæ Tungricæ pepererint, ſed etiam vniuerſæ nationi Germanicæ communicarint.

Germanici nominis origo et cõtrouerſia.

Cùm igitur id, quod antea obſcurum fuit, iam clarũ ſit, alios eſſe Germanos, alios Gallos; quæri conſequenter poterat, quinam inter Gallos, quinam inter Germanos antiquiſsimi ſint, vt ea ratione ad antiquiſsimæ linguæ notitiam perueniamus.

Gallorum et Germanorum qui antiquiſsimi.

Gallorum tria genera.

Gallorum quidem tria genera Cæſar conſtituit, Belgas, Aquitanos, ac Gallos; qui & Celtas ipſi ſe vocant: Celtas autem à Celta, Gallos à Galatha gentis archego deduci ac dici nonnulli putant. Vtcumque hoc ſit, certè Gallicæ linguæ præ cæteris antiquitatis prærogatiua deberi videtur, cùm ſub eius complexu reliquæ omnes comprehendantur. Galli enim ſiue Celtæ velut Aborigines quidam ſunt in Gallia, qui primæuum nationis nomen, quo antiquitus noti ſunt, ſoli conſeruarunt, quod Aquitani & Belgæ non fecerunt; maximè cùm ex Tacito conſtet Belgas pleroſque omnes origine Germanos eſſe.

Gallica lingua generalis.

Deinde Gallica ſiue Celtica lingua, ſicut olim, ita etiam hactenus, veluti genus reliquas omnes quotquot ſunt veluti ſpecies ſuas ſub ſe complectitur.

Linguæ ſpeciales in Germania multiplices.

In Germanis conſimilis aut certè non admodum diſſimilis ratio quærenda eſt: cùm enim diuerſæ gentes in Germania multæ ſint, veluti Gothi, Sueui, Cimbri, Teuthones, Saxones, Friſij, Franci, Bructeri, Sicambri, Bataui, & complures aliæ; quarum aliæ alijs latius imperarunt, ſingulæ tamē ſuis quibuſdam finibus limitatę fuerunt: Ideoque nulla inter eas eſt, cuius lingua toti Germaniæ ita communis fuerit, vt ſub ea reliquæ veluti ſpecies continerentur; Teuthonicam linguam ſolam excipio, de qua mox dicturus ſum.

Linguarũ Germanicarũ ſummũ genus.

Germanorum genera quinq;.

Itaque altius aſcendendum eſt, vt linguarum Germanicarum genus aliquod ſummum inueſtigemus. Plinius quidem Germanorum quinq; genera conſtituit, Vandalos, Ingeuones, Iſteuones, Herminones & Peucinos: Sed Tacitus ea in tria contraxit, in Ingeuones, Iſteuones & Herminones.

nes.

nes. Sed an hi gentium Germanicarum Archegi fuerint, hodie controuertitur: illud ſatis certum eſt, ex horum nullo Germanicæ gentis linguam vllam denominari. Quod igitur genus his altius reperire poſſis notum & confeſſum, quàm Teuthones ſiue Tuyſcones? cùm nulla gens in Germania ſit aut fuerit, quæ horum complexu non comprehendatur, & quæuis Germanorum lingua rectè Teuthonica dicatur. Tuyſcones autem ac Teuthones plerique deducunt ex Ethnarcha Tuyſcone: cùm ipſi lingua populari ſuffragante Tuitſch, & die Teutſchen, & eorum patria Teutſchlandt, & lingua die Teutſche ſprack appelletur. Quę quidé tametſi nõ refello, tamen apud veteres Romanos, neq; Teuthones pro Germanis generaliter vſurpari; neque Teuthoniã pro Germania ſumi; neque linguam Teuthonicam omnino vſquam reperiri puto. Teuthones enim illi iſtos ſpecialiter vocant, qui Cimbrorum vicini in patria, & in itinere ſocij fuerunt; Teuthonicæ linguæ nuſquam meminerunt. Conſtanter enim & vbique Germanos nominãt, & eorum linguam Germanicam appellant. Ex quo colligi poſſe videtur, Germanorum nomen antiquius eſſe in Germania, quàm Tuyſconum, & hoc nouo paulatim inoleſcente, exoleuiſſe illud vetus.

Germani omnes Teuthones.

Linguæ omnes Germanorũ Teuthonicæ.

Teuthones & Teuthonica lingua Germanis hoc nomine ignota.

Germanorum nomẽ antiquius eſſe, quàm Teuthonũ.

Ad Tacitum igitur hinc redeũdum eſt, & paulo diligentius diſcutiendum id quod ille de Germanici nominis origine tradidit, ſi fortè diſcuſſo errore eius aliqua veritatis veſtigia deprehendamus.

Taciti opinio expenſa de origine nominis Germanici.

Ille enim nobis planè repugnat, & Germaniæ vocabulum recens ac nouum facit. Nam cùm vetera Germanorum nomina, Tuyſcones, Man-

nos, Ingeuones, Herminones, Iſtæuones, Marſos, Gambrinios, Sueuos, Vandalos commemoraſſet, in explicando Germaniæ vocabulo ad recentiſſimos Tungrorum populos delabitur: cuius verba proinde, vt conſpici poſſint, hic proponam ex Germania eius, ſicuti ſunt excuſa in octauo Auguſtæ Vindelicorum apud Michaelem Mãgerum anno 1580. quod hæc genuina eſſe iudicem, etiam ſi in M. S. Codicibus aliam lectionem deprehenderim; niſi quod interim illic flagitãte ſenſu pro eualuiſſe, legam euiluiſſe: quod à nemine hic adnotatum eſſe miror.

Cor. Taciti locus emendatus & illuſtratus.

Cæterùm, inquit, Germaniæ vocabulum recens & nuper additum, quoniam qui primi trãſgreſſi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati ſint, ita nationis nomen non gentis eualuiſſe paulatim, vt omnes primùm à victore ob metum, mox à ſeipſis inuento nomine Germani vocarentur.

Hæc Tacitus. Vbi recens Germaniæ vocabulũ eſſe docet ea ratione, quod nuper additum ſit: additum autem nuper eſſe eo declarat, quod ij, qui primi Rhenũ tranſgreſſi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati ſint: Cùm enim ijdem, qui dudum vno nomine Tungri appellabãtur, binomines eſſe ceperint, & idcirco ſine diſcrimine nunc Tungri, nunc Germani nominẽtur, arguit, his Germaniæ vocabulum nuper additum, & proinde recens eſſe.

Cùm igitur omnes, qui ab vtraque Rheni parte agebant, hactenus communi nomine Galli vocarentur, inuento hoc nomine, nationis nomen in Tũgris paulatim euiluiſſe dicit; ſaluo interim nomine gentis, ſic vt omnes tandem Germani vocarentur. Gentis enim nomen in Tungris ob nouum

uumnomen additũ non euiluit; cùm indifferenter nunc Tungri, nunc Germani appellentur: nationis autem nomen paulatim euiluit; cùm qui dudum ad Orientem Rheni dicebantur Galli, vnde Tungri prodierant, inuento ſplendidiori hoc nomine Germani dicti ſint. Inueniſſe porrò dicit omnes hoc nomen primùm à victore, mox à ſeipſis. A victore nomen inuenerunt, quod ab eo mutuati ſunt: Victorẽ enim hic intelligit populum Tungrenſem, qui cùm primus Rhenum tranſgreſſus Gallos expuliſſet, ob metum à deuictis gentibus hoc nomen inuenerit, à ſe ipſis denique nomen hoc inuenerunt, cùm & ipſi in Gallis vltrarhenanis metu ſui concutiendis paria deinceps cum Tungris fecerint; quod in Menapijs, Vſipetibus, Tenchteris, & multis alijs apparuit, qui & ipſi poſtea (vt Tacitus quidem putat) Rhenum tranſgreſsi Gallos expulerunt. Sic igitur Tacitus recens vocat Germanorũ nomen, quod primùm Tungricæ genti ſupra primitiuum nomen additum eſt ob metum deuictarum gẽtium, & hac occaſione Galli cisrhenani, qui Tungrorum parentes erant, id primùm ab illis mutuati ſint, & deinde etiam actis proprijs ſuum fecerint, & proinde omnes qui cis Rhenum habitant, vnà cum Tungris ipſis tandem appellatos eſſe Germanos. Nec enim mirum erat euiluiſſe apud hos vetus illud & hactenus commune Gallorum nomen; cùm recens illud Germanorum nomen vt hoſtibus formidabile, ita ſibi glorioſum eſſe ducerent: Huc enim facit quod Cæſar teſtatur, Belgas quoſdam circa Germanici nominis gloriam ambitioſos eſſe.

Hunc equidem puto genuinum eſſe ſenſum obſcuriſſimi huius loci, qui multos eruditos viros

mirum in modum torſit. Quod ſi eſt, conſequitur à Tungrorum migratione nomen hoc, quod recens Tacitus hic vocat, in Germania fuiſſe frequens, populare ac vulgo vſitatum; vtpote quod Germani ſibi honorificũ eſſe ducerent, & quo à Gallis diſtingui gauderent. Quocirca cùm ex vicinitate vocum quæ ex voce Germanii, quæ apud Tacitum in hac controuerſia reperitur, coniectura facienda ſit de forma vocabuli, quo populus hic non in latinis authorum ſcriptis, ſed in vſu vulgi & lingua patria vocatus fuerit, tanta hic opinionum diuerſitas ac multitudo eſt, vt meritò dubites magiſne mirandum ſit tam multos laboraſſe, an verò tam paucos hactenus mentem Taciti aſſecutos eſſe.

Cùm autem Tacitus hic manifeſtè dicat ab ipſis Germanis inuentum & excogitatum eſſe hoc nomen, ſanè qui Taciti interpretes ſe profitentur, non aliunde, quàm ex ſola lingua Germanica, vocabulum populo adaptare debent; & quidem non aliunde, quàm quod ſignificatione ſua Germanis honorificum, hoſtibus eorum formidabile ſit.

Huc autem meo quidem iudicio nulli propius accedunt, quàm illi, qui Germanen dictos fuiſſe cõijciunt, à dictione compoſita Ger, & man. Man enim populari lingua Germanicè idem ſignificat quod latinè vir. Ger autem, quod alia Dialecto Gar tractim effertur, ſignificat totum, prorſus, ac planè; vnde Germã ſiue Garmã totus vir dicitur, quaſi qui planè, & ex omni parte viri virtutẽ expleat. Hoc aũt vt genti Germanicæ meritò honorificum, ita & eorum hoſtibus formidabile eſt.

Cùm igitur hac ratione gens ipſa, quam Tacitus latinè Germanos vocat, Germannen vulgari & po-

& populari lingua dicti ſint, analogia vocis conuincit patriam eorum Germanien, & linguam die Germaniſche ſprach vulgo dictam fuiſſe, nō minus vſitatè, quā hodiè die Teuthſche, die Teutſche ſprach, & Teutſchlandt dicitur. Nam quod hæc hodie in vſu non ſint, inde fieri credendum eſt, quod nouis vocabulis inuentis vetera paulatim euiluerint; vt & Tacitus hîc docet, & Poeta teſtatur inquiens:

Multa renaſcentur quæ nunc cecidêre, cadentq́;
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus,
Quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi.

Sed Tacitus interim Germanici nominis Etymologiam deducit ex gentis actis; rectius eam deducturus ex gentis conditore, cui nomen Germa fuit, vt infra declarabitur. Sed Tacitus, qui Moyſen, vt apparet, nō viderat, & in Beroſi Catalogo, vbi Tuyſcones, Mānos, Ingeuones, & cæteros Ethnarchos legerat, Germam non repperit, hunc iuſta ratione ignorauit.

Interim tamen argumēta, quibus recēs eſſe Germaniæ vocabulū docere ſatagit, cùm perquàm futilia ſint, fidē non merentur. Non referam aūt hic iam id, quod Liuius cōmemorat, Germanos Duce Elytouio in Italiam migraſſe, regnante apud Romanos Tarquinio Priſco, quod mihi Tacitus reſpōdere poſſet, Germanos à Liuio illic per anticipationē dici; cùm Cimbri ac Teuthones iſtis multo poſteriores adhuc veteri nomine Galli vocati ſint. Illud quærā, quanto temporis ſpacio Tacitus nuper illud ſuū circumſcribat? nuperne C. Iulius Cęſar fuit, qui Tacitū non minus quàm centum & quinquaginta annis anteceſſit? Atqui huius ætate Germaniæ vocabulū in vſu populari fuiſſe Tacit⁹ ignorare nō potuit, vel authore ipſo Cæſare, qui & Ger-

Vera origo nominis Germanici

& Germaniam à Gallia diſtinguit, & Germanos non minus quàm Gallos diſertè nominat. Quinimo Germanorum nomẽ ea ætate etiam antiquũ fuiſſe non obſcurè apud Cæſarem Remi docent, cùm eos, quos antiquitus Rhenum traductos aſſerunt, à Germanis ortos dicunt; vbi vtique Germanos veluti patrio ac gentili eodemq́ue vſitato nomine appellant.

Tungri an ætate C. Iul. Cæſ. in Belgio fuerint?

Tungros igitur ætate Cæſaris in Belgio non fuiſſe, facilè demonſtrari poteſt. Primùm enim, ſi Cæſar Tungros in Belgio cognouiſſet, nullo modo eos tacuiſſet, cùm id ad ſplendorem victoriæ illi cum primis faceret. Etſi autem non ignorem, quibus coniecturis hoc diluere quidam conati ſint, tamen hactenus vidi neminem, qui veris rationibus confutaret. Et ſanè cùm Remi de numero Belgarum omnia habere ſe explorata Cæſari dicunt, & ibidem eos ex catalogo recenſent, proditionis non immeritò argui potuiſſent, ſi ſuppreſſa aliqua gente hoſtium vires extenuaſſent, atque ita Cæſarem in præſens periculum coniecisſent, quem imparatum hoſtis incognitus ex improuiſo obrueret: quare cùm Tungri in eo catalogo locum non habeant, quis eos in Belgio tunc habuiſſe credat? Confirmat hanc ſentẽtiam meam etiam alia ratione ipſe Cęſar: qui cùm non vno loco imperiorũ viciſſitudines inter Belgas commemoret, ac diligenter explicet, qui quorũ imperio aliquando ad ſuam vſque memoriam ſubfuerint, nuſquam tamen Tungros nominat; cùm interim Eburones non vno loco appellet, nõ omiſſurus, ſi (quod iſti ſuſpicantur) Tungri ſub Eburonum imperio comprehenſi tunc fuiſſent, cùm id ad gloriam ipſius non parum conferret, ſi & Tungros in Eburonibus vnà deleuiſſet. Confirmat

firmat etiam hanc ſententiam meam Strabo, qui tametſi poſt Cæſarem fere ſexaginta annis fuit, nullam tamen & ipſe in ſua Geographia Tungrorum mentionem facit; neque dici verè poteſt, quod non & Cæſarem ipſum, & ad ſuam vſq; memoriam pertinentes Romanorum de Gallia tabulas viderit, aut Decretum Auguſti in Gallia itidem, vt in Germania metuerit, quo minus etiam ſuam induſtriam poſteritati probaret in cognoſcendis gentibus hactenus incognitis. Confirmat adhæc ſententiam meam rerum geſtarum ſeries. Eſt in Francis Orientalibus oppidum circa Herbipolim nomine Tongernſe; quod cùm lacum Tungrorum ſignificet, Tungrorum veterum ſedem illic fuiſſe arguit. Inde autem eos tum mouiſſe, & Rhenum traieciſſe conſentaneum eſt, cùm deſolatos Eburonum agros, quos ad internecionem Cęſar deleuerat, occupaſſent: quod vicus arguit paululum infra Vbios ſitus, nomine Tungernheim, quod Tungrorum patriam ſignificat. Inde enim porrò occidentem verſus latius promotis finibus proceſſerunt in eas partes, quæ ſimilibus veſtigijs eorum memoriam teſtantur. In qua proinde ſententia mea, quò magis etiam confirmer, Tacitus ipſe facit; cùm nec Cæſarem, nec Strabonem, nec rē vel ætate, vel poſt ætatem eorum geſtam ignorauerit, ipſe ſatis dilucidè indicat, Tungros poſt illorum memoriam demum in Belgium veniſſe. Hoc enim vt liquidò declararet, in Tūgrorum migratione, quam nequaquam veterem vtique videri vult, ad conſiderationem æui retro elapſi, voci recens, quaſi per exegeſin, vocem nuper addidit, quæ ſpatium contineret annorum centum, qui à Strabone ſcilicet ad ipſum vſque elapſi erant; intra quos Tūgrorum res

in Belgio & principium & incrementum habuerint, quod ipſe vidit. Atqui ſi hoc & verum eſt, & ab ipſo Tacito hic adſtruitur, quo modo Tacitus dicet Tungros primos eſſe Rhenum traductos, & his primis additum eſſe Germanorum nomen.

In aſſignando igitur tempore cùm Tacitus non modò errare, ſed etiam ſibi ipſi repugnare deprehendatur, nemo credat eum genuinã Germanici nominis Etymologiam tradidiſſe, cui non modò fundamẽtum abſurdum ſubiecerit, ſed etiam rationem ineptam addiderit. Fundamentum enim Etymologiæ petijt ab actis gentis, cùm petere deberet à gentis conditore, vt infra apparebit. Rationem petijt à gẽte Tungrorum, cùm à natione petere debuiſſet: longè enim credibilius eſt Belgas iſtos, qui Rhenum tranſducti ſunt, cùm natione Germani eſſent, hoc nomen quod patrium habebant in Galliam intuliſſe, quàm in Gallia nouum peperiſſe, & ad totam nationem ſuam paulatim tranſmiſiſſe. Quorſum enim huiuſmodi ambages, quæ ſui abſurditate ſe ipſas confutant: Formidabile fuit Gallis Germanorum nomẽ? fuit ergo & odioſum. Quid cauſæ eſt? quia qui Rhenum tranſducebantur expellebant Gallos. Quæro igitur primine ſoli hoc fecerint, an & alij omnes, qui hoſce poſtea ſecuti ſunt? Si non omnes hoc fecerunt, cur omnes vno nomine Germani appellantur, vt ex Cæſare diſcimus? ſi omnes idem fecerunt, cur ad primos potius, quàm ad vltimos Germanici nominis originem referimus? Quemadmodum igitur vna hirundo, quod dici ſolet, ver non facit; ita nec Tungrorum, nec quorumcũque aliorum, qui primi, vel etiam poſtremi Rhenum tranſducti ſunt, vnicus acceſſus Germanorum nomen vel peperit, vel inuiſum reddidit in Gallia. Iterata enim ſæpius Germanorum ir-

ruptio, quia metum expulſionis incutiebat Gallis, odioſum reddidit nationis nomen, ita vt quæcunque gens Rhenum tranſgreſſura nunciata eſſet, tota Gallia conclamáretur rurſus ingruere Germanos. Eadem ratione Britanni poſtea cùm ab Angloſaxonibus impugnarentur, odioſo nationis nomine Germanos appellabant: nec diſſimili ratione ipſi Germani olim VValen en Polen appellarunt omnes gentes, quæ ex Vãdalia & Polonia in Germaniam diuerſis temporibus irruperunt, vt infra docebimus. Cùm igitur Cæſar teſtetur Belgas in Gallia circa gloriam Germanici nominis fuiſſe ambitioſos, quo modo credem' nomẽ Germanorum vel recens eſſe, vel in Gallia partũ? Hoc enim naturale eſt, & cunctis mortalibus ſolẽne, vt priuati ex familia, familiæ ex gente, gẽtes ex natione ſua nobilitatis documenta petant; quæ quò antiquiora & ſplendidiora ſunt, eò etiã plus gloriæ conferunt. Itaque & Belgæ iſti, qui vno nomine Germani dicti ſunt, non ideo gloriati ſunt hoc nomine quod nuper inuentum eſſet, vt Tacitus nugatur, ſed quod eſſet vetus: nõ quod eſſet in Gallia partum, ſed quod eſſet in Galliam periplos inuectum. Gloriati enim ſunt ſe gente Tungros, natione autem Germanos eſſe; vt ſi & aliæ gentes fortè Rhenum traductæ eſſent, quæ Germanæ non erant, hunc titulum nationis ſuæ ipſi tuerentur, quo poſteris ſuis teſtatum facerent, ſe originem non aliunde, quàm ex Germania ducere: nam cùm poſteri omnes maiorum ſplendore exultare ſoleant, illi Germanicæ nationis gloriam ſuæ gentis gloriam eſſe ducebant.

Alioqui de nomine hoc, ſi nuper & in Gallia partum eſſet, quo modo gloriari poſſent, ex quo non decus vllum, ſed præſens dedecus ad ipſos

ſos redūdaturum eſſet, vtpote quo & ſeipſos nouitatis, & maiores ſuos obſcuritatis arguerent. Recentes enim eſſe conuincerentur, ſi ipſis Rhenum nuper tranſgreſſis hoc nomen additum profiterentur: obſcuritatis arguerent maiores ſuos, ſi nomen memorabile, quod hactenus nullū habuiſſent, à ſe mutuatos eſſe aſſererent.

Planè igitur ex his apparet, Germaniæ nomen eſſe vetuſtiſsimum, vtpote quod ante Belgarum omnium tranſmigrationem in Germania vſitatū fuerit. Non igitur authoritas Taciti tantum apud nos valere debet, vt cognita rei veritate, manifeſtum eius errorem pertinaciter defendamus. Nam Tacitus in hac controuerſia ſolitam modeſtiam ſuam non ſeruauit: Nam cùm ſupra enumeratis Germanorum cōditoribus in medio relinquit quod non intelligit, ita vt neque confirmet, neque refellat; in hac re idem faciendum erat, cuius nunc litem ſuam fecit. Sed Tacitus Germanis conditores ſuos referentibus non credidit: Romanis ſuis credidit; qui cùm olim per imperitiam tum Galliæ, tum Germaniæ incolas communi nomine Gallos vocauerint, idem Germaniæ vocabulum, quod apud Romanos inſolitum erat, etiam apud Germanos inauditum eſſe putabat: ideoque vero nomine Romanos vſos eſſe arbitratus eſt, & idcirco noui nominis originē tradere ſatagit, quo Germani nuper, vt putat, à Gallis diſtincti ſunt. Ex eo igitur pendet error Taciti, quod putarit ad Orientem Rheni non fuiſſe cognitum Germaniæ nomen, antequam id cognitum eſſet Romanis, & celebratum Romanorum ſcriptis: Atqui Germaniam ipſam & cunctas Germanorum gentes Romanis bellum aperuit.

Ideoque gentes omnes, quæ ante Romanis obſcuræ

ſcuræ erant,nomen tūc adeptæ ſunt, non in Germania quidem, ſed in hiſtorijs Romanorum:ſingulæ enim gentes in Germania ſuum nomen iam ante bella iſta habebant, quo inter ſe diſtinguerentur; ſic vt alij Sueui, alij Cauchi, alij Batavi, alij aliter vocarentur:Romani autem tum demū hęc cognouerunt,ex quo bellum his gentibus intulerunt. Tum demum enim & quales eſſent, & quo nomine ſingulæ vocarentur, intellexerunt. Sic enim Tacitus, vbi cladem ex Olennij temeritate Romani à Friſijs accepiſſent, hinc clarum (inquit) inter Germanos Friſiorum nomen; vbi impendio ridiculus ſit, ſi quis intelligat,tum demum clarum fuiſſe in patria ſua Friſiorum nomen, hoc enim Tacitus dicit: hinc iam Romanis porrò clarum fuiſſe Friſiorum nomen, cùm hactenus ignoraſſent inter Germanos etiā gentem eſſe, quæ Friſiorum nomine vocaretur. Quanquam igitur Tacitus de Germanorum generali nomine aliter ſentiat, eadem tamen illius quæ ſingularū gentiū fuit ratio,quæ tametſi Romanis incognita, in Germania tamen vſitata fuerunt, etiam ante cepta bella: Quod ex Iulio Cæſare ſatis patet, qui vt Romanorum primus Germaniam impugnauit, ita etiam veteri nomine ſuo, quod vſitatum vulgo reperiebat,eam vbique appellauit.

Teuthonici nominis origo.

Adeo autem verum non eſt,quod Tacitus contendit,Germaniæ vocabulum ſua ætate fuiſſe recens & nuper additum, vt non multò poſt idem hoc Germaniæ vocabulum tanquam vetus exoleuerit, inoleſcente paulatim nouo nomine Teuthoniæ:ijdem enim qui Taciti memoria Germānen vulgo dicti ſunt,ætate ſequēti Teutſchen populariter appellati ſunt. Conſtat hoc inde adeo,

quod neque in Latinorum monumentis, qui vel circa, vel ante ætatem Taciti ſcripſerunt, vſquam Teuthonum nomen reperias: neq; Germanorum nomen reperias in eorum monumentis, qui populari lingua interea ſcripſerunt. Quemadmodum igitur nomen Germaniæ poſt ætatem Taciti vulgò in tantum euiluit, vt nūc nuſquam locum habeat, niſi vbi Latina lingua vtimur; ita è contra nomen Teuthoniæ vulgo in tantum inualuit, vt nihil aut in ſcriptis, aut in negocijs popularibus agatur, niſi ſub nomine Teuthonico. Huic autem nominum mutationi occaſionem præbuiſſe videtur diſsidium, quod Germani cum colonis dudum in Belgium deductis ſucceſſu temporis conſecuti ſunt. Narrat Cæſar Belgas ſolos obſtitiſſe, quò minus Cimbri ac Teuthoni in fines ſuos intrarent, eoq; nomine ſibi etiam mirum in modū placuiſſe. Fuit ea res ſine dubio moleſta Germanis, quod à gentilibus ſuis nō modò ſedibus quas quærebāt, ſed etiam tranſitu prohiberentur: Fuit etiam moleſta res colonis, quod accedentibus ſubinde nouis è Germania hoſpitibus, ipſi non minus iam congentiles ſuos metuere cogerētur, quàm ipſos dudum metuebant Galli. Itaque cùm in pari Germanorū metu ipſi cum Gallis eſſent, contra cōmunes hoſtes operas mutuas tradiderunt; & proinde non amplius iam hoſtiū nomine Germani, ſed Belgæ dici voluerunt: Germani etiam priſtinū illud nomen ſuum, ne qua eius cō munio ad ingratos ac degeneres Belgas amplius pertingeret, nouo Teuthonū nomine aſcito reiecerunt. Sic igitur poſt ętatem Taciti populariter ad Orientem Rheni Teutſchen; ad Occidentem VVelſchen dici cœperunt, qui antea communiter Germanen vocabātur. Et quoniā ex huiuſmodi diſsi-

diſsidio, cui originem cauſſa iſta dederat, perpetuum & irreconciliabile odium inter eas gentes inualuit, Germani non modò Gallos omnes, ſed & quoſuis etiā extraneos, qui Germani non ſunt, VVelſchen appellāt, vt planè declarent ſe Belgas iſtos pro colonis ſuis nō agnoſcere. Excluſis igitur hac de cauſa à nominis communione Belgis, illi qui hactenus Germannen dicti fuerant, iam Teuſchen vulgò appellantur: Teutſchen autem à Teuthonibus, Teuthones à Tuyſcone dicti ſunt, gentis Teuthonicæ conditore. Et videtur ſane ad memoriā antiquiſsimæ gentis, quæ conditorem ſuo nomine referebat, Teuthones dici voluiſſe; non alio conſilio, quā vti etiā nunc, ſicut antea à conditore ſuā nobilitatē metirentur. Eodē enim modo quo Tacitus refert eos ætate ſua circa Germanici nominis gloriā ambitioſos fuiſſe, ita nūc ætate noſtra ambitioſi ſunt circa Teuthonici nominis gloriā, quod nuſquā non inculcare ſolent. Eſſe enim nomen Germa, vnde olim Germānen dicti ſunt, eius proprium, qui vnà cum Tuyſcone conditor nationis Germanicæ fuit, ex Moyſe diſcimus; qui Iapheto filio Noe primogenitum filium Gomerū, Gomero tres filios aſsignat, quorum primus Aſcenes, ſecundus Riphath, tertius Thogorma dictus fuit: ex quorum ſingulis & domos & colonias ſuas fuiſſe fundatas, mediocris hiſtoriarum lectio deprehendit. Nos autem ex Thogorma Germanos eſſe, & ex eius nomine reiecto articulo Gorma, & o in e mutato Germa fieri dilucidè iam alibi docuimus; ideoq; lectorē eò remittimus, vt hic eo tanquam probato interim vtamur, nixi ſuffragatoribus cùm alijs viris doctiſsimis, tum etiam Hadriano Iunio & Reinero Reineccio, quos & ipſos lector videat.

Germa Germanorum conditor.

Deprehenſo igitur ad hunc modum Germanicæ gentis conditore, apparet non ab euentu aliquo, vt quidam opinati ſunt, qui Strabonem ac Tacitum authores ſequũtur, ſed ab illo ipſo conditore, cui Germa nomẽ fuit, etymologiam eius eſſe repetendam: & proinde non aliter Germanos à Germa, quàm Hebræos ab Hebro, Græcos à Græco, & Latinos à Latino dictos eſſe. vnde conſequitur ab eodem etiam Germa tum Germaniꝗ, tum etiam Germanicæ linguæ nomenclaturã dependere; pari ratione qua & à cæteris iſtis ſupradictis tum terræ, tum linguæ ſuæ apud poſteros eorum appellatio remanſit.

Hinc igitur apparet non recens aut nuper additum, vti Tacitus putauit, eſſe Germaniæ nomen, neque à Tungris inuẽtum, & ab ea gente ad totam eius nationem eſſe traductũ; ſed huic terræ mox à diluuio poſt gentium diuiſionem vnà cum primis cultoribus inuectũ eſſe: & inde porrò in vſu continuo permanſiſſe, donec ob ſupradictas cauſas, inoleſcente nomine Teuthonico, paulatim euileſceret, ac tandem prorſus exoleſceret.

Linguæ duæ in Germania vicisſim generales, ſub quibus reliquæ tanquam ſpeciales continentur.

Itaque cùm in Germania vna eademq; totius nationis generalis lingua viguerit, quæ primùm Germanica, poſtea Teuthonica dicta fuit, reliquꝗ omnes ſpeciales extiterunt, & ſuæ cuique genti peculiares, nec alio diſcrimine vllo quàm Dialectis inter ſe diſcreparunt. Quod ad internum Germanorum conſenſum referendũ eſt, quo ipſi communiter inter ſe generalem hanc linguam ſuam hactenus appellarũt. Nam extraneæ gentes eandem generalem linguam, vt & ipſam natiõ Germanorum diuerſis nominibus appellârunt. Quꝗ vt diligenter collegit Reynerus Reynecius,

ita

ita ad præſens hoc inſtitutum noſtrum nihil pertinent.

Hoc cùm ita ſit, apparet Cimbricam & Saxonicam linguam illo Boreali tractu, quem Friſij obtinent aut obtinuerunt, planè non eſſe vſurpatam; quia nec ipſi quidem Cimbri aut Saxones eo tractu vnquam habitârunt. Huius rei quodnam poſsit argumentum certius dari, quàm quod linguam Friſicam, neque Saxones, neque Cimbri, ſi qui ſuperſunt hodie, intelligant. De Saxonibus teſtetur Albertus Crantzius, cuius verba ad noſtrum inſtitutũ accommodata hic ſubijciemus: „ Cernere eſt (inquit)a vnam gentem, vnis moribus, longo licet interuallo diſtantem, per littora Germaniæ, ab Hollandia in occiduum ſumpto „ principio Orientem verſus per Diœceſes, Tra- „ iectenſem, Monaſterienſem, & Bremenſem: De- „ inde ex latere Holſatiæ in Iuthiá interciſæ ſunt, „ aliquando paludibus, aliquando maris finibus, „ totæ ſunt aliquando littorales, vndiq; mari clau „ ſæ, quod pontus continẽti interuenit. Thietmar- „ ſos gentem accolam Albis & Eydoræ fluuiorum, „ quibus clauditur, ab hac communione, licet pa- „ luſtris ſit, excipio, quod ſemper Germanica vſa „ lingua Saxoniæ ſit adnumerata. Ita Crantzius. Vbi „ cùm Thietmarſos eo nomine à Friſijs ſegregat, & Saxonibus adnumerat, quod Germanica lingua (vt ipſe dicit) ſemper vſi ſint, vtique hoc dicit, Saxones vſos eſſe lingua Germanica, Friſios non item. Ex quo conſequitur ſecundum Crantzium vtique, toto hoc Germanici littoris tractu, de quo contendimus, ad illius vſq; memoriam linguæ Saxonicæ nullũ fuiſſe vſum, quod in eo Friſij degerét, quorum linguam ille ne Germanicam quidem, nedum Saxonicam eſſe iudicauit. Sed

Cimbri & Saxones et Friſij vbi ſiti, et qua lingua locuti ſint.

a Saxoniæ lib. 11. c. 6.

Crantzius hiſtorias haſce ſuas ſcripſit circa annum milleſimum quingenteſimum, & proinde potuit interea temporis mutatæ linguæ Friſicæ Saxonica ſuccesſiſſe, cùm certum ſit, Ducem Saxoniæ Albertum, & filium eius Georgium ea tempeſtate in Friſia rerum aliquatenus eſſe potitum. Sed id & exiguo admodum tempore durauit, & ille, quanquam dux eſſet Saxoniæ, non linguam Saxonicam, ſed Belgicam in iudicijs vſurpauit, popularem linguam Friſicam vulgò liberam reliquit. Idem fecit etiam ſucceſſor eius Carolus V. & deinde filius huius Hiſpaniarum Rex Philippus: Belgicam autem linguam à Saxonica plurimum diſcrepare nemo negauerit, qui vtramq; cognouerit. Friſicam autem linguam ab eo cardine, in quo Crantzius eam cognouit, non longè eſſe dimotam hactenus illuſtri exemplo demonſtrari poteſt. Anno 1547. cùm Louanium ſtudiorum gratia veniſſem, cõperi noſtrates more maiorum in comitijs, quæ ſtatis temporibus in templo S. Barbaræ celebrabant, vti non alia lingua, quàm Friſica; nam cùm locus eſſet publicus ac ſacer, & proinde nemo excludi poſſet, & nulla tamen natio Louanij eſſet, quæ non aliquando vel de induſtria interdum accederet, vel ſaltem fortè fortuna templũ illud tranſiret, quod peruium erat; plena ſecuritate loquebamur, quę res poſtulabat: cùm neque Gothi, neque Daui, aut Cimbri, neque Saxones, neq; Cauchi, neq; Veſtphali, neque Geldri, neque Bataui, neque Brabanti, neq; Flandri, neq; vlli alij vel inferiores vel ſuperiores Germani, nedum Galli, aut Hiſpani, aut Itali nos intelligerent. Quod autem de lingua Friſica hîc dico, de illa ꝓpriè intelligi volo, quæ adhuc hodie vſurpatur in Friſia, quam hodie Occiden-

Lingua Friſica quatenus degenerauerit.

talem

talem appellamus, cuius caput eſt Leouardia: Hęc enim antiquiſsima eſt Friſiorum lingua, quę olim toti nationi communis fuit, & duas ob cauſas in ſuo vigore permanſit. Primùm quod ante tempora Saxonum & Burgundorũ linguis externis mixta nõ fuerit: Deinde, quod etiam per maiores noſtros publico decreto fulcita ſit, ad conſeruandas patriæ antiquitates. Orientales Friſij, etiamſi vicinarum gentium commercio ab Occidentalium lingua deflexerũt longiuſculè, tamen à lingua Saxonica magis diſcrepant.

Lingua Saxonica quatenus degenerauerit.

Cùm autem Crantzius hoc loco Saxones Germanica lingua vti dicat, recentiores occaſione hinc, vt videntur, arrepta, linguam Saxonicã ita latis pomerijs extendunt, vt videantur eam toti fere Germaniæ communem facere: quæ Crantzij mens nunquam fuit. Crãtzius enim ſuperiorum Germanorum linguã à Saxonum lingua dilucidè ſeparat, ac ſuperiores illos præ Saxonibus contẽnit, quos frendere potiùs quàm loqui dicit: Superiores viciſsim linguã ſuam Saxonicæ præferunt, quibus per totã Germaniã omnes iam ſuffragantur: cùm in vniuerſis Germanorũ Principũ curijs, conſeſsibus, actis publicis, hanc linguam cuncti affectẽt. Imò verò, ne illæ quidem prouinciæ, quæ Saxoniæ Ducibus hodie parent, omnes lingua Saxonum vtantur: quando Miſnenſes ac Thuringi, quàuis Saxonibus contermini ſint, nõ Saxonica, ſed ſua lingua vtuntur, quam ipſi Germanicam appellari volũt. Saxones enim illi cum ſua lingua deridẽt, & ſolœciſmos eorum palam exagitant in lingua Germanica, quod proprietatem in articulis der, die, das, ad nominũ genera diſtinguenda factis, tueri nequeát, quo nihil abſurdius in loquendo committi poſsit. Plura qui-

dem Saxonibus reſpōdere poteramus; ſed ne quis nos peruicacia potius quàm veritate duci putet, ad Cimbros hinc tranſibimus.

Lingua Cimbrorū. De Cimbris autem multa multi nugati ſunt. Crantzius Cimbros non modò Germania tota, ſed & vniuerſa rerum natura excludit, qui nullam hoc nomine gentem fuiſſe aſſerit, vt infra patebit. Alij Sicambros, Saxones, Francos, itemq; Tungros & Campeſtres Brabantos cum Cimbris eoſdem faciunt, quos partim iam ſupra, partim infra ſuo loco confutauimus.

Vt autem iſtæ gentes ſingulæ ſui generis & inter ſe diuerſæ fuerūt, ita ſatis cōſtat, Cimbros & in Germania recentē fuiſſe gentem & obſcuram, & quæ Occidentem verſus extra Cherſoneſum ſedes nō promouerit. Nec enim de Cimbris Germanicis dici verè poteſt, vel quod ante Friſios in Germania diu fuerint, ſi rectè calculat Herodotus in Thalia; vel quod Rempub. aliquam legibus bene conſtitutam, vel gentem amplam habuerint, ſicuti de Cauchis, Bructeris, Sueuis, Gothis, Vandalis, Friſijs, Saxonibus, ac Francis legimus. Quorum alij vt alijs vel ceſſerunt, vel ſucceſſerunt; ita ſinguli ſua ætate non modò ſedes ampliſsimis finibus conſpicuas, ſed & inſtitutis honeſtis memorabiles habuerunt. Plenæ quoque ſunt Germanorum hiſtoriæ, de rebus ab his gentibus belli domique laudabiliter & cùm virtute geſtis: de Cimbris ne gry quidem, ſi vnicā illam Italicam expeditionem excipias, quam ſuæ victoriæ memores Romani celebrarunt. Alioqui enim nihil vſquam de his memorabile reperitur, quod laude dignum ſit: Imo verò in contrarium legimus, Cimbros gentem fuiſſe inquietam, va-

gabun-

gabundam, alieni appetentem, latrocinijs deditam, & quæ ex prædis ac direptionibus aliarum gentium ſe ſuſtentaret. Teſtatur hoc ex veterum traditione Strabo, qui ſcribit eos vſque ad Mæotidem paludem excurſiones facere ſolitos: idemque tradit, Tigurinos alioqui opulentos ſpe amplioris fortunæ ſe Cimbris in expeditionem comites adiunxiſſe, quod viderent apud Cimbros diuitias rapto partas ſuis longè ſplendidiores eſſe. Teſtati ſunt hoc ipſum etiam Romani, qui cùm Cimbrorum aduentu exterriti perquirunt, qui & quales Cimbri eſſent? compererunt Cimbros veteri Germanorum & Gallorum lingua latrones dici; vt ex Strabone, Plutarcho, Feſto percipim⁹. Ex quo ſatis euidenter patet, eos extra Cherſoneſum occidentem verſus neque in Germania, neq; in Gallia ſedes vnquam habuiſſe. Quis enim credat Cimbros gentem ſuam, ac non potius externam latrocinijs infeſtare? Et quis credat Germanos ac Gallos tam atroci conuicio Cimbros fuiſſe notaturos, vt eos latrones dicerent, niſi extraneos & hoſtes ſuos indicarent? Quorum gentile nomen factis ſuis infame redderent, vt quemadmodum fœdifragi ac periuri nominantur Pœni, ita latrones ac prędones vocarentur Cimbri. Certè gratam Germanis gentem Cimbros non fuiſſe ſatis inde colligitur, quod communem ac popularem linguam ſuam, quæ dudum Germanica vulgo dicebatur, ad recordationem Teuthonum Teuthonicam dixerint: Cimbricam haud dubiè dicturi, ſi Cimbrorum apud eos magis grata memoria fuiſſet. Quæ cùm ita ſint, ſatis iam apparet, neque Cimbricam, neque Saxonicam linguam eo littoris Germanici tractu, de quo agimus, vſurpatam fuiſſe, vt vel Cimbricam, vel Saxonicam gen-

tem Friſios fuiſſe quiſquam arbitrari poſſit.

Friſiorum habitus. Habitum enim corporis, quem cœli ſoliq́ue natura fabricat pro qualitate cuiuſque loci, non in Friſia, non in Germania ſolum, ſed & vbique terrarum quoque in ſua quaque gente ſimilem ſemper generari ſolitum experientia conuincit: ita vt, ſi maximè aui aduenæ à ſuis æqualibus habitu corporis diſcrepent, nepotes tamen cum æqualibus ſuis indigenis fere côueniant. Quæ cùm ita ſint, cautè Viglius Zuichemus, Lud. Guicciardino Friſios Aborigines eſſe dixit; ne, ſi tempus aliquod eorum aduentui certum definiret, ſuo, quod dici ſolet, inuento ſibi negocium accerſeret: Neque enim Guicciardinus Viglium obtundere vnquam deſijſſet petendis antiquitatibus Friſiorum; cui, vt illius voluntati ſatisfaceret, ocij tantum à Reipub. negocijs non erat. Maluit igitur eos Aborigines dicere, quorum antiquitates curioſius rimari nihil aliud fuerit, quàm bonas horas malè collocare. Aborigines enim illi vetuſtiſſimi, durante adhuc aureo ſæculo, extiterunt, ex quibus aliæ gentes originem ſuam traxerunt: Cùm ipſis Heſiodus originem aſſignet ἐκ μελιᾶν, id eſt, ex fraxinis, quem & Viglius imitatus ait:

Gens'q; virum truncis, & duro robore nata.

Hoc enim Poetæ ideo ſic finxerunt, vel quod in cauatis arborum truncis olim habitauerint, vt Ouidius aſſerit,*a* vel quod ex Arca Noę deducant, quæ ex lignis compacta fuit; vnde Cato in originibus ſuis hos vocat primas Vmbrorũ proles, cùm Vmbros ipſe eos faciat, qui imbribus diluuianis ſuperfuerunt.

a I. Metamorph.

CAPVT

Capvt Decimvmqvintvm.

FRISIOS ESSE ADVENAS IN Germania.

FRiſios igitur non indigenas, ſed aduenas in Germania eſſe certius ex maiorum traditione ex ipſorum cultu, inſtitutis, lingua & nominibus depræhendimus: Habemus enim tempus certis annorum numeris conſignatum, quibus primi noſtræ gentis Archegi in has terras appulerunt, vt & ſupra diximus, & infra rurſus commodiori loco declarabimus.

Friſios autem antiquitus ab alijs Germanis cultu & veſtitu diſcrepaſſe, & eundem exoticum fuiſſe in eo tractatu demonſtrauimus, quem de cultu Friſiorum peculiarem ſcripſimus.

Inſtituta quoque diſciplinæ publicæ apud Friſios more Græcorũ habita fuiſſe proprio opere docuimus, quibus iuuentutem in Gymnaſijs, tã in armis quàm in literis exercebant: quod in reliqua Germania ante Caroli Magni ætatem nuſquam viſum fuit. *Friſiorum inſtituta.*

Linguam quoque Friſiorum fuiſſe exoticam ſatis arguunt infinita vocabula adhuc in ea reliqua, quæ nequaquam Germanica ſunt. Nam etſi tum cùm in Germaniam veniſſent, linguam popularem commercij ergo didicerint; multa tamen retinuerunt ex patria lingua, quam ſecum huc attulerunt, quæ ſanè tot ac tanta ſunt, vt non aſſueto etiam hodie Friſica lingua videri poſſit, vt Crantzio viſa eſt, exotica; multa enim ex Hebræis, multa ex Græcis, & plurima, vt puto, ab Indis deſumpta ſunt. de quibus ex profeſſo latius acturi ſumus in eo libro, quem proprium linguę Friſonicæ dedicamus: in quo diligen- *Friſiorum lingua.*

ligentem promittimus lectori comparationem linguarum, quæ Germanicis nationibus, præſertim Septentrionalibus olim fuerunt vſitatæ.

Friſiorum nomina. Iam verò ſi ſingulis quibuſque gentibus ſuorum hominum nomina quædam ita propria ac peculiaria ſunt, vt ipſo ſono ſtatim indicent atq; arguant, quo pertineant; quid obſtat, quo minus & in Friſia idem contigiſſe dicamus? vbi cùm quatuor generum nomina reperiantur, dilucidis interuallis recepta, nos id quod horum antiquiſſimum eſt, exoticum eſſe, & proinde primos iſtos maiores noſtros, quibus id patrium fuit, peregrinos & aduenas fuiſſe iudicamus: reliqua enim tria genera habemus cum alijs gentibus Germanicis communia.

4. Genera propriorũ nominũ in Friſia.

1. Primi generis ſunt Adel, Gailo, Aeſgo, Scholto, VVirdt, VVijt, Taco, Harco; item Tied, Liupck, edel, quorum originem nullam certam, nullam Etymologiam reddere poſſumus.

2. Secũdo loco ea ſunt, quę fixis iã ſedibus in Germania, vnà cum ipſa lingua à Germanis acceperunt: qualia ſunt, Folkirdt, Freerck, Siurd; item Suob, Imck, But, & ſimilia infinita, quæ etſi Friſij ſuo modo contrahant ac forment, ſignificatione tamen ipſa Germanicam originem teſtantur.

3. Tertium ordinem ea tenent, quæ à Romanis deducta ſunt, ex quo inter Friſios ac Romanos cõſuetudo cepta eſt, quod accidit nõ longo interuallo poſt expeditionẽ Cimbricam: tunc enim audiri ceperunt in Friſia Iulius, Gellius, Titus, Gabinius, Vibius, Mæuius; item Saſſia, Clementia, Gellia, Emerentiana, & ſimilia, quæ tametſi à Friſijs truncatim proferantur, ad hanc tamen originem pertinere ſtructura docet.

4. Quarto loco ſunt quæ à Diuis Friſij mutuati ſunt,

ſunt, poſtquam Chriſto dederunt nomen: qualia ſunt Petrus, Paulus, Ioannes, Andreas, Matthias, Iacobus; item Maria, Elizabetha, Anna, Catharina, Agatha, & conſimilia, quæ cum cæteris nationibus Chriſtianis habent communia. In his igitur tribus vltimis generibus, cùm fontes in conſpicuo ſint, vnde deriuata ſunt, in primo illo non ſint, apparet primum genus illud exoticum eſſe ac peregrinum. Nec enim vel in vlla Germanicæ nationis gente ſimile his vllum reperitur; neque Etymologiæ aut originis ratio in his ſicut in illis reddi vlla poteſt. Nec eſt quod quiſquam ſuſpicetur hæc à me magis, quàm reliqua illa eſſe conficta, cùm omnia in hunc vſque diem in Friſia æquè vulgo vſitata ſint: Hæc enim ipſa potiſſimum ſunt illa Friſiorum nomina, quæ velut inſolentia ac peregrina reliquæ gentes admirantur; cùm in cæteris & ipſæ aliquam analogiæ rationem deprehendant, quam in his nullam vident. Hæc igitur certiſſima antiquitatum veſtigia vicinis noſtris Saxonibus, Brunſuicenſibus, Veſualis, Geldris, Brabantis, Flandris, Hollandis fere perierunt: Qui cùm omnes aduenæ ſint, non minus quàm Friſij, haud ſcio tamen an poſſint vlla nomina recenſere, quæ non intra tres poſteriores ordines, de quibus locuti ſumus, reſtringenda ſint. Hollandi certè reliquis neglectis adeo ſe extremo ordini alligarunt, vt apud eos fere tertius quiſque Ioannes appelletur. Apud nos autē qua ratione ac modo hæc vnà cum lingua Friſica conſeruata ſint, infra plenius dicemus. Hæc igitur cùm ita ſint, quid obſtat, quo minus, vt & antea diximus, veluti certiſſimo horum nominum indicio, quæ primi ordinis ſunt, arguamus primum gentis noſtræ conditorem fuiſſe aduenam, quod

Primū genus nominum exoticū, arguit Friſios eſſe aduenas in Germania.

popu-

populus,quem ſecum̄ adduxit, nomina haberet
peregrina,& indigenis hactenus incognita? Ea-
dem certè ratione Albertus Crantzius cùm no-
a li. 2 cap. uem primos Verdenſis Eccleſiæ Epiſcopos enu-
30. Me- meraſſet,*a* Suibertum,Pattonem,Taconem,Hor-
tropol. tilam,Ceuilonem,Rortilam, Hengerum, Haru-
chium,& Erlulphum,omnes eos arguit eſſe pere-
grinos, quod nomina habeant peregrina: VVal-
therum verò ordine decimum,eſſe Saxonem ar-
guit,quod nomē eius apud Saxones vſitatum ſit.
” VVerdenſis (inquit) Eccleſia, poſt Erlulphum
” Martyrem in Ebbeckſtorp cum agmine Chriſtia-
” norū pro Chriſto cæſum, Epiſcopū habuit VVal-
” therum,virum eo loco digniſſimum,primū(vt ar
” bitrātur)ex huius nationis hominibus ortū;nam
” prędeceſſores fere omnes Schotici aut Anglicani
” generis fuēre,quod tituli teſtantur Abbatiarū, à
” quibus ſunt tranſlati,& ipſa vocabula & nomina
” virorū indicio ſunt,quod non noſtræ ſint gentis:
” VValtheri autem nomen apud noſtros quia vſi-
” tatiſſimū eſt,arbitrantur hunc eſſe primū noſtræ
” originis hoc loco Pōtificem.Idem eodē Criterio
b Vādaliæ vtitur in arguenda Vandalicæ nationis proprie-
li. 1. ca. 19. tate,cùm inquit: *b* Niniſlaus fili⁹ ex Libyſſa regiū
trahens ſanguinē, patri ſuccedit. Gentile nomē
” quod ſua terminatione teſtatur eſſe Vādalicum:
” His enim in omni gente vtuntur Dalmatæ,Bohe-
” mi,Poloni,Pomerani.Nā Hermolaus,Staniſlaus,
” Bodeſlaus,Ladiſlaus,Buggeſlaus,Pribiſlaus,nomi
” na ſunt cōformia Vandalorū,quibus in hodiernū
” omnes vtūtur,& vnā eſſe gentem,etiam hoc argu
” mento accedente ſermone eodem certus perdiſ-
” cas.Cōſimili etiā ratione Hūfredus Lhuyd,ex cō-
memoratis Cimbrorū Regū nominibus, Clodic,
Lhes, Bel, Lhud, Thutfach, Berich, arguit Cim-
bros

bros fuiſſe Britanniæ Cambros, quod eadem nomina apud Cābros in Britannia hactenus vſitata ſint. Hac etiā ratione VVolfgāgus Lazius in inueſtigādis ac diſcernendis gentiū generibus, velu ti Lydio quodam lapide vtitur, vt cuiq; ſuos duces aſſignet in earū migratione. Hac igitur via & nos exotica ab intraneis diſcernimus, & antiqua à recentibus dignoſcimus, non modò in ſingulorum hominum, ſed etiam in ampliſſimarum familiarum nominibus, quæ cùm certis quibuſdam terminationibus compræhendantur, facilè diſcerni poſſunt à cæteris.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

ALANOS ET SVEVOS VICISSIM INcoluiſſe illum tractum terræ ante Friſiorum aduentum, quem Friſij nunc occupant.

IAm verò quò certius appareat Friſios eſſe aduenas, perſpicue iam hîc declarabimus, quinam ante ipſorum aduentum has terras tenuerint, vt deinde diſpiciamus, vnde ipſi prodierint, & quo pacto remotis cultoribus antiquis ſucceſſerint: Andreas Althamerus in cōmentarijs ſuis in Germaniā Taciti ſcriptis aſſerit, Francos eos, qui modò Mœnū amnē adhabitant, eos fines & oſtia Rheni primitus tenuiſſe, vbi nunc eſt Hollandia, Zelādia, populi Traiectenſes, Geldrēſes, & Friſij: ſed cùm dictis ſuis hic nec rationē, nec teſtē ſubijciat, nobis certiora quęrenda ſunt. Diſtribuitur Friſia, quæ hodiè Occidentalis cōmuniter vocatur, in Oeſtergo & VVeſtergo, & ſeptem ſyluas; vnde quidam arguunt, Gothos olim has terras obtinuiſſe, ex quibus hæ terrarum partes nomen traxerint: Sed hoc ridiculum, cùm hæc diſtributio nō totius Friſiæ ſit, ſed eius tantùm partis, quæ nunc Occidētalis dicitur. Deinde Oeſter

go & VVeſtergo Friſij per Apocopen dicunt, pro Oeſtergou & VVeſtergou,quod ſonat orientalis & occidentalis gubernatio. Gou enim gubernationem ſiue Iuriſdictionem ſignificat, vt patet in Henegou,Briſgou,& ſimilibus. Et iſtas duas Friſiæ partes olim ſeparabat elix Fleui fluuij, qui dicebatur Mediterraneus,ſiue mare Mediterraneũ, vt ſupra diximus;cuius reſpectu altera Orientalis,altera Occidẽtalis dicebatur. Tradunt autem vnanimiter omnes rerum Britannicarum Scriptores,Brutum , qui de nomine ſuo Britanniam dixit,quæ hactenus Albion appellata fuerat,exturbaſſe ex ea inſula gigantes nomine Slauos. Quos eoſdem Chronica Hollandiæ *a* patria extorres, quærendis nouis ſedibus occupatos appuliſſe tradunt ad littora inferioris Saxoniæ,quæ nunc Friſia vocatur,& cùm neminem offenderent , in terram eſſe egreſſos,ſed mox ab incolis ex improuiſo irruentibus inde reiectos, conſcenſis nauibus altius Occidentem verſus abnauigaſſe , donec per oſtium Moſæ ingreſſi , ſedibus ibidem fixis, paulo poſt haud longè iſtinc prope veterẽ Vlardingam cõſtruerent arcem munitiſſimam , quam de nomine ſuo Slauenburgum appellauerunt. Id factum eſſe eo tempore quo Samuel Iſraelem iudicaret annis nongentis ante Chriſtum. Hanc hiſtoriam veram eſſe, vicinarum gentium conſenſus Hollandis atteſtatur, præterquam in paucis. Nam etſi Slauos ex Britannia ſub Samuele pulſos eſſe conſtet à Britannis, qui Bruti ſui exordium ponent ad annũ mundi 2829. qui in nonum annũ Samuelis incidit tamẽ in collectione inſignis error eſt,cùm ab eo tẽpore ad Chriſtum vſque non modò nongenti anni, ſed mille ducenti & amplius effluxerint. Deinde Saxones inferiores ſiue Friſij

Slaui in Friſiam.

a Diuiſ. 1.cap.21.

Friſij hîc per anticipationem dicti ſunt, pro ijs qui tunc ſedes iſtas, quæ Friſiorum nunc ſunt, occupabant: tunc enim neque Friſij in Germania, neque Saxones vlli erãt, vt ex infraſcriptis apparebit. Illi enim qui Slauos repulerũt, Sueui erãt, qui Alanis dudum pulſis, totum illum maritimũ tractum à Fleuo fluuio, vſq; ad fluuium Sueuum incolebant. Alanum autem in Friſia fuiſſe, ſunt qui aſſerunt, & ſedem habuiſſe in tertia eius prouinciæ Zelandia, quæ nunc terra Gruningana dicitur, nomenque ſuum indidiſſe fluuio, qui eandem tertiam Zelandiam ceu legitimus ac naturalis terminus diuidit à ſecunda, quæ nunc dicitur Oſtergoa; de qua plura diximus in topographia Friſiæ. Itaque hunc fluuium primitus Alanum, poſtea Lanum, ad extremum tandem Lauicam eſſe dictum. Sanè Lani meminerunt ſcriptores Francici, vt aliâs patebit: Lauicæ nomen hodie vſitatum eſt, etiamſi fluuius ipſe iam fere emarcuit. *Alanus an in Friſia fuerit.*

Huius Alani filium quidam, teſte Lud. Guicciardino, Friſium faciunt, à quo Friſia dicta ſit: ſed apud Moyſen in Ducum genealogijs nec Alani vlla mentio eſt,[a] nec Friſij. Apud Beroſum legitur Alanus ex Getulo, Getulus ex Aramæo, Aramæus ex Samo, Samus ex Noa natus; de Friſio nihil habetur. Occaſio quidem fingendæ huius fabulæ procliuis fuiſſe videtur, vt Friſiam deriuarent ex Friſio iſto, ſicuti Gruningam ex Gruno Troiano. Nos autem de Friſio hoc Alano, ſicuti de Gruno Troiano, in hiſtorijs noſtris nihil vſquam ſcriptum reperimus, & ipſius Friſiæ, vt & Gruningæ, nomen eſt recentius, quàm vt ad Troianum Grunum, & Friſium Alanum pertingere queat. Alani autem Sueuis ingruentibus ceſſe- *Alani filius.*

[a] *Geneſ. 10. 11. & Paralip. 1.*

runt,& in Sogdianam Aſiæ regionem, quæ hodie Coraſena eſt, ad fluuium Iaxarten ſe receperũt; vbi etiam collocat eos Ptolemæus. Deinde Media vaſtata ad Meotidis paludes conſederunt, vt ex Dione & Dionyſio apparet. Tandem iſtinc in Europam reuerſi, ſuperatis Hercineis, in mediterranea Germaniæ ſe effuderunt. Hinc rurſus in Galliam; inde porrò in Hiſpaniam traiecerunt, & nonnullis ibi reſidentibus, reliqui vnà cum Vandalis in Aphricam ſe receperunt, annis circiter quadringentis poſt natum Chriſtum. Sueuorum verò natio cùm multiplex fuerit, vtpote quæ in 54. gentes diſtincta, maximam Germaniæ partem continuerit, vt Paulus Oroſius teſtatur lib. 1. cap. 2. vt ſciri poſsit, cum qua nobis res fuit, ex authorum obſeruatione in genera quinque nõ incommodè diſtribui poteſt. Primò enim ſunt Auſtrales; vt Hermunduri, Nariſci, Marcomanni, Quadi. Secundò ſunt Occidentales; vt ij quos Cæſar ad Rhenum collocat ſupra Vbios veteres. Tertiò ſunt Orientales, Pannoniæ Sarmatiæque finitimi; vt Lygij, Arij, Heluecones, Mamini, Elyſij, Naruali. Quartò ſunt Aquilonares; vt Sennones, Longobardi, Rudigni, Auiones, Angli, Varini, Eudoſes, Suardones, Suithones. Quintò ſunt littorales aut maritimi; vt Guttones, Rugij, Lemouij, Suiones, Aeſtiones, Sitones. Omnes hi quãquam nominibus & ſedibus diuerſi, eiuſdem tamen gentis Sueuicæ ſunt. Cuius quanta fuerit olim inter cæteras nationes Germanicas ob rei militaris diſciplinam excellentia atque potentia, diligenter & ad inſtitutum noſtrum opportunè explicat Cęſar de Occidentalibus loquens, his verbis.[a]

Sueuorum nationes quænam Friſijs ceſſerint.

a Lib. 4 de bell. Gall.

Sueuorum gens (inquit) eſt longè maxima & bel-

& bellicoſiſsima Germanorum omnium: ij cen- „
tum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis „
ſingula millia armatorum bellandi cauſa ſuis ex „
finibus educunt. Reliqui qui domi remanſerint, „
ſe atque illos alunt. Hi rurſus inuicem anno „
poſt in armis ſunt: illi domi remanent. Sic ne- „
que agricultura, neque ratio atque vſus belli in- „
termittitur. Sed priuati ac ſeparati agri apud „
eos nihil eſt. Neque longius anno remanere von „
in loco incolendi cauſa licet. Neque multum „
frumento, ſed maxima parte lacte atque peco- „
re viuunt, multumque ſunt in venationibus. & „
poſt pauca his addit: Publicè maximam putant „
eſſe laudem, quàm latiſsimè à ſuis finibus vacare „
agros. Hac re ſignificari, magnum numerum ci- „
uitatum ſuam vim ſuſtinere non potuiſſe. Itaque „
vna ex parte à Sueuis circiter millia paſſuum „
ſexcenta agri vacare dicuntur: Ad alteram par- „
tem ſuccedunt Vbij. Quemadmodum igitur Oc- „
cidentales iſti Sueui, Vbijs, Tencteris, & Vſipijs vltra Rhenum abactis, eorum ſedes occuparunt, vti Cæſar *a* & Strabo *b* teſtantur: ita etiam Septentrionales iſti & maritimi, eiectis Alanis, totum illum tractum ad Oceanum Septentrionalem inuaſerunt; quem poſtea ſuperuenientes Friſij, Saxones & Brunſuicenſes illis viciſsim ademerunt. Hinc enim Oceani Germanici pars illa, quæ tractum hunc ambit, etiam mare Sueuicum appellari ſolet, vt ex Tacito de Germanorum moribus colligitur.

a *Libr. 4. Gall. bell.*
b *Libr. 7.*

Lucanus *c* rem totam paucis verbis eleganter explicuit, inquiens:

c *Lib. bel. Pharſal.*

Friſij Sueuorum nomine appellati.

Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Nam cùm Poetis id ſolenne ſit, vt antiquioribus incolis nominandis memoriam vetuſtatis conſeruent, Lucanus hîc Sueuorum nomine Friſios appellauit, vt declararet Friſios in ea terra Sueuorum eſſe ſucceſſores: Sueuos enim eodem terræ ſpatio concluſit, quo Friſios memoria ſua degere cognouerat. Sueuos enim ad Aquilonem vltimos facit, quod Friſijs rectè cópetebat: Sueuos Orientem verſus ad Albin vſq; extendit, quò & Friſij pertingunt; nam quod vtriſque vlterius competebat, id Romanis hactenus incognitum erat, quibus vltra Albin edicto Auguſti inquirere non licebat. Sueuis porrò Occidentem verſus terminum aſsignat indomitũ Rheni caput, quod interpretor Fleuum fluuium, quem & Friſijs ab illa parte terminum fuiſſe certo certius eſt: Fleuus autem fluuius ſecundum Plinium Rheni brachium maximè Orientale eſt: Quæ autem Rheni brachia vocat Plinius, ea Cæſar appellat capita, qui ſcribit Rhenum multis capitibus in Oceanum influere, quę nos ſuo loco indicauimus. Itaque Fleuum hunc Lucanus rectè vocauit indomitum Rheni caput, ob recentem memoriam cladis Olennianæ, quam Friſij excuſſo iugo, teſte Cornelio Tacito, ad oſtium Fleui Romanis nuper inflixerant, vt ſupra in Chronologia noſtra diximus cap. 9. Nec eſt quod quiſquam hic Rheni caput à Lucano Rheni fonté appellari putet, cùm nec Sueui ætate Lucani ad fontes Rheni fuerint, quo demum ſub Imper. Honorio venerunt; neque Epitheton, quo caput indomitum vocat, alio accommodari poſsit, quàm ad Fleuum, propter hiſtoriam, quæ ad ſolos Friſios Fleui accolas pertinet. Certe Cornelius Tacitus Lucano ſubſcripſit, *a* qui Sueuos iſtos, quos nos Aquilonares &

Fleuus fl. indomitũ Rheni caput.

a Libr. 2. cap. 11.

res & littorales ſupra diximus, eo tractu, quatenus quidẽ ea tempeſtate habitabilis illa erat, Friſijs proximè vicinos fecit: cui & Ptolemæus etiã ſuffragatur, vt ex vtriuſque monumentis manifeſtè patet. Hinc enim Suitẽſes & Heluecones Suevi ſunt illi, qui hodie Suitſeri & Heluetij dicuntur, antiqua vicinitate & mutua affinitate Friſijs coniuncti; vt & ipſi Cimbri ſeu Vitæ, ad quos, ob eãdem memoriam, etiam magna pars Friſiorum diuertit eorum, qui victores ab expeditione Romana, quam in gratiã Caroli Magni ſuſceperant, reuertentes, vlterius progredi nolebãt, quod illic ſe apud ſuos & in patria ſua eſſe interpretarentur. qua de re in colonijs Friſiorum plenius dicturi ſumus; lector interim Tſcudum, Cimlerum, & Rhenanum videat. Videtur autem Rheni brachium iſtud, quod Friſiæ terminus olim ab Occidente fuit, & nunc mari Hollandico abſorptum eſt, à Sueuis iſtis Sueuum primitus fuiſſe dictum, progreſſuque temporis hoc nomen declinaſſe in Fleuum: nec mirum id quidem, cùm Sueuus alter fluuius ab ipſis ſine controuerſia dictus, quem iuxta Sundenſem ciuitatem in mare Septentrionale effundi aliqui ſcripſerunt, nunc appelletur Spreuus. Huiuſmodi enim nominum mutationes procliues ſunt, præſertim obſcurata primitiuæ originis veritate. Nam eadem ratione & alter ille fluuius in Friſia, qui olim ab Alanis Alanus dictus fuit, poſtea Lanus, & ad extremum Lauica vocatus eſt, vt ſupra diximus.

Sueui Friſijs vicini et adfines.

Fleui nomen.

Friſios igitur cùm in Germaniam appellerent, in Sueuorum ſedes ad Aquilonem vltimas ſucceſsiſſe ex his apparet; quod & partim bello, partim pactis conuentis obtentum eſſe dilucidis rationibus in vita Friſonis, & in annalibus noſtris

Friſij quibus modis ſucceſſerint in ſedes Sueuorum.

docebimus: vbi non modò bella aduerſus aduenas Friſios à Sueuis geſta, ſed & fœdera cum ijſdem percuſſa, & pacem tandem initis matrimonijs compoſitam, eandemq; etiam ordinum Germaniæ conſenſu priuilegijs æternis conceſsis firmatam eſſe demonſtrabimus. Itaq; his nixi, non modò linguam ipſam, ſed & inſtituta quoque Sueuorum ad nos deriuata eſſe deprehendimus, quæ in hiſtorijs noſtris legimus; cùm dubium nō ſit, aduenam populum etiā mores eorum potiſsimum imitari, quorum linguam addiſcit. Quæ res facit, vt de gentium migratione, de linguarum ſucceſsione, quæ per Germaniam poſt aduentum noſtratium factæ ſunt, certius nos iudicare poſsimus, cùm exactam temporum rationem ab initio maiores noſtri habuerint, neque neglexerint adnotare, quæ poſteris ſcitu digna erant. Ioannes Funccius in ſuis Chronicis ad annum Vrbis Romanæ 368. qui ante natalem Chriſti 384. fuit, ex Ioanne Tritthemio Hunibaldi abbreuiatore: Priamus (inquit) Antenoris ex Cambra filius apud Sicambros regnat annis 27. Hoc regnante Sicambri Saxonum lingua vti ceperūt. Hîc mihi cōſidera, amice lector, quàm paucis verbis quàm multiplicem errorum ſementem fecerit: Nam ſi Sicambri iſti Cimbri mediterranei erant, vt illi dicunt, quos nos ſupra confutauimus, cur non à Cimbris maritimis potius, vtpote congentilibus ſuis linguam didicerunt, quàm à Saxonibus? Atqui loci intercapedo id impediebat, cùm Sicābros in Geldria, Cimbros maritimos in Cherſoneſo habitaſſe omnium conſenſu conſtet. audio. ſed vt hoc friuolum eſt, ita præſentius ineptias detegit, quod non inter interpretes conſtet quinam Cimbri mediterranei ſint; cùm Crantzius

Sicambri qua lingua vſi ſint.

tzius

tzius eos Saxones, Volaterranus Thuringos, Trit themius Francos interpretetur: omnium autem errorem patefacit & côuincit, quod ea tempeſtate, qua Sicambros iſtos linguam Saxonicam didiciſſe Funccius aſſerit, Saxones adhuc in Germania nulli fuerint: Saxones enim vnà cum Friſijs ac Brunſuicenſibus anno demū 313. in Germaniā adueniſſe infra clariſsimè demôſtrabimus. Quo poſito, ſi Sicambros à Saxonibus linguā didiciſſe dicamus, ratio temporis côuincit eos in Germaniam ſerius adueniſſe; & ratio vicinitatis arguit, eos linguam didiciſſe à Friſijs, qui vt Sicambris proximè vicini ſemper fuerunt, ita etiā Saxonū nomine appellati ſunt.

Quod quidē ne quis temerè potius quàm conſultò accidiſſe putet, ſcire debet, Sicambros in Germaniā aduentantes, ideo potiſsimum ſe Friſijs proximè adiunxiſſe, quod congentiles his eſſent: Sicambros enim Indicam eſſe gentem, & in India ab Alexandro Magno ſubactam eſſe, lib. 12. refert ex Trogo Pompeio Iuſtinus. Ideoque & Friſij eos cùm appellerēt ex cognata gente oriundos agnoſcentes, lingua ſua, Neo megen, id eſt, nouos cognatos appellarunt, comparatione Saxonum & Brunſuicēſium, qui vetuſtiores eorum cognati in Germania erant. Sedes Sicambrorum inde Neomegen primitus, & deinde Nimmegen vulgo dicta fuit, quam Latinè poſtea Nouiomagum & Neomagum appellarunt. Vocant autem Friſij in hunc vſq; diem cognatos Megen, & Neo dictione monoſyllaba, nouum: nam, e, in ea dictione liqueſcens, proprietate linguæ, i, conſonanti æquipollet, ſicuti cùm populum dictione monoſyllaba dicunt Leod. Quæ quidem cùm ita ſint, apparet Sicambros, neque Saxones, neque

Cimbros, neque Francos eſſe;neq; ex Phrygibus, neque ex Scythis eſſe; neque antiquiores eſſe,ſed recentiores in Germania Friſijs aut Saxonibus. Interim verò hinc apparet noſtratibus & eorum ſocijs aduenientibus, Sueuicam linguam inter Germanicas latiſſimè patuiſſe, & quidem maximè ad partes aquilonares: eamque fuiſſe cauſam cur Friſij maximè linguam ſuam à Sueuis didicerint, & maximè etiam incorruptam conſeruauerint; quia neque ſedes ipſi mutauerunt, neque gentes exteras ad ſe receperunt. Saxones autem & Brunſuicenſes, etſi aliquam linguæ ſuæ partem etiam Sueuis debeant, tamen & pluribus gentibus obnoxij fuerunt, Cimbris, Cauchis, Bructeris, Franconibus, Longobardis, Vandalis, & foras aliquando militatum abierunt, & domi interdum externos hoſpites receperunt, vt mirum non ſit eorum linguam à primitiua longiuſculè declinaſſe, & proinde cum Sueuica minus conuenire; præſertim cùm & ipſa Sueuica ſucceſſu temporis alijs linguis admixtis in veteri puritate non perſeuerauerit.

Friſij Sueuicam linguam diſcunt, & fideliter conſeruant.

Saxones & Brūſuicenſes vnde linguā didicerint.

Hactenus igitur iam docuimus Friſios aduenas eſſe in Germania, nunc porrò declarabimus vnde, & ex qua mundi plaga, & ex qua natione huc venerint. Qua in re cùm diuerſorum authorum diuerſæ ſint ſententiæ, nos eas deinceps hic lectori ob oculos ponemus, & ſingulatim ſingulas paucis diſcutiemus, interpoſito iudicio noſtro, ac demum, quid veritatis loco tenendum ſit declarabimus.

CA-

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

PRIMA OPINIO DE ORIGINE *Friſiorum.*

ORdo igitur iam poſtulat, vt declaremus vnde Friſij in has terras aduenerint: Sed cùm diuerſos authores hac de re diuerſum tradidiſſe comperiã, cóſultè mihi facturus videor, ſi prius ineptas quorũdam opiniones hic ordine propoſitas confutem, vt diſcuſſis errorum nebulis, ipſam veritatis lucem clarius intueamur. Clariſſimus vir, & de re literaria, vt & de Friſia optimè meritus Ioachimus Hopperus, eos ab Hyperboreis deducere videtur: Nam in Themide ſua, quam Regum Friſiæ tabulam appellat, ſenem quendã Hyperboreum introducit huius opinionis authorem. Quod mihi hic admonendum duxi, ne quẽ fortè liber, vbi in lucem prodierit, perturbet: Hopperus enim illic non de gentis, ſed de doctrinæ Friſonicæ origine diſputat, quã ab Hyperboreis ad Friſios deductam videri vult, quo illam impenſius commendet. Quanquam enim Tacitus Germanis omnibus adimere videatur ſecreta literarum, Hopperus tamẽ id in Friſijs illi non conceſſit; ſed longè diuerſum probaturus erat in 12. illis libris, quos de antiqua Friſiorũ Repub. promiſit, niſi & negocia publica, & immatura mors eius id nobis inuidiſſet. Quanquã & Tacitus Cauchis, quos à Friſijs, vt & alios quoſdã populos, eruditos eſſe ſuo loco declarabimus, inſignẽ Reipub. formã domi militiæq́ue tribuerit, quæ ſine literis vtiq; conſiſtere non potuit. Huc igitur pertinet, quod inter haſce gẽtes vltro citroq; facilẽ ſemper fuiſſe nauigationem dicit: Eadem enim ratione doctrinã Hopperi ſenex Hyperbo- *Friſij an ſint ab Hyperboreis.*

 reus

reus authoritate ſua commendat, qua doctrinâ Platonis ſenex Aegyptius. Singulari enim ſapientia celebres olim fuiſſe Hyperboreos nemo ignorat: Ex his enim Olen Lycius Achæiam; ex his Melampus Cumæus Opin & Hecaergen; ex his denique plures Abaridem prodijſſe commemorant: Cuius incomparabilem ſapientiam ſagittæ nomine veteres innuebant, quam illi Apollo dederit, ea virtute præditam, vt quocunque dimiſſa eſſet, illi celerrimo volatu ſubſequenti, nihil arduum, nihil imperuium reliquerit.

Caput Decimvmoctavvm.

Opinio secvnda de origine Friſiorum.

Friſij an ſint ex Iudæis.

Cornelius Kempius lib. 1. cap. 12. refert, Venerabilem patrem Reinerum, olim apud Colonienſes Carthuſianum, in eo libro, quem de origine, laude & illuſtribus viris Friſonicæ gẽtis conſcripſit, Friſios ab iſtis Iudæis deducere, quos Hieroſolyma capta à Veſpaſiano Cæſare, vita quidem donatos, ſed pœnæ tamen nomine in hanc terrã relegatos eſſe ſcribit. Idem etiã ex eodẽ Vorperus Thaborita refert hiſtoriæ ſuæ lib. 1. cap. 3. ſed mihi hunc authorem videre hactenus nõ contigit: Carthuſiani Coloniẽſes negant vllũ vnquã fuiſſe apud ſe Patrẽ Reinerum, & VVarnerũ hunc VVeſtphalum fuiſſe putant, cognomine Roleuinckum, cuius extat faſciculus temporum. Huius ego librũ vidi de laudibus antiquæ Saxoniȩ ſeu Veſphaliȩ, in quo tamen huiuſmodi nihil hic author dicit, ſed ſatis innuit de Friſiorum origine peculiare quoddam ſcriptũ extare. Sed huius Reineri opinionem Kempius & Vorperus ſatis luculenter confutarunt, cùm multis ſæculis ante natum Chriſtum Friſij hanc terram incoluerint.

rint. Diceret aliquid Carthuſianus, ſi de Pomeraniæ quadam gente hęc narraret, apud quam, vt ex Pomeranis quibuſdā olim accepi, ruſtici ad ſtiuam, cuculi in morem, eandem ſemper cantilenam canunt, paucis verbis idētidem lugubri voce ingemināres; Ieru Veſpa, Ieru Veſpa, Ieru Veſpa, quaſi in patriæ veteris recordatione lamententur, Hieruſalem à Veſpaſiano eſſe euerſam.

Capvt Decimvmnonvm.

OPINIO TERTIA DE ORIGINE *Friſiorum.*

IOannes Tritthemius in compendio de Regibus Francorum ait, Friſium Clogionis Francorum Regis filium à patre ei regioni eſſe præfectum, quæ mari Germanię proximè adiacet, & ex huius nomine Friſiam eſſe appellatam: Hunc regnum Friſiæ conſenſu omnium Francorum ſuſcepiſſe ea lege, vt Friſiæ Reges Francis ſubiecti eſſent, & ſingulis annis ducentos & ſexaginta boues pro tributo ſoluerent, & cum Francis, vt cæteri quoque amici & ſocij communia bellorū munia obirent. Hæc Tritthemius ex Hunibaldo (ni fallor); ex Tritthemio certè Ioannes Funccius; ex Funccio Henricus Panthaleo totidem fere verbis in proſopographia ſua repetiuit. Funccius tempora diſtinxit, & Friſium nomen Friſiæ dediſſe, anno Chriſti primo, Regnum Friſiæ inchoaſſe anno eiuſdem Chriſti decimo in Chronologia ſua adnotauit. VVolfgangus etiam Lazius de migratione gentiū hanc Friſiorum originē tradit li. 3. vbi de Cimmerijs agit, ſed in aſſignatione tēporis à Funccio diſcrepat, imò & à ſeipſo diſcrepat, qui alibi Friſios deducit à Phrygibus, vt infra capite proximo apparebit. Hæc tāetſi ſpeciē aliq̃ veri- *Friſij an ſint ex Francis.*

veritatis habere videantur, ab ea tamen eſſe longiſſimè remota ex infra dictis facilè apparebit: Vtcunq; enim Francus iſte Clogio filium habuerit Friſiũ, ab eo tamen Friſia nomẽ non obtinuit, quod ante illũ natum tot iã ſæculis obtinuerat, vt proximè dictum eſt. Deinde quod nec Regnum quidem Friſiæ à Clogionis filio exordium ſumpſerit, conſimilis temporum ratio conuincit: cùm Friſij Reges non habuerint ante annũ Chriſti 392. quo primus Friſiorum Rex eſt inauguratus Richoldus Vffo. Illo enim anno, quem Tritthemius Clogionis filio aſsignauit, Friſiorum non Rex, ſed Princeps fuit Aſinga Aſcon; & hunc alij principes tres, & hoſce ſeptem duces ad Richoldum vſque ordine continuo ſubſecuti ſunt, indigenæ omnes, non aduenæ. Itaque Friſios quidem à Francis originem non ſumere ex his quæ diximus abundè patet. Illud fortaſſe veriùs fuerit, quod Beatus Rhenanus aſſerit, & Adrianus Iunius ſentire videtur, Francos ex Friſijs originem ducere; cui & illi ſubſcribunt, qui primam eorum ſedem fuiſſe putant Franekeram ciuitatem Friſiæ non ignobilem, vt in ſuo Geograph. theſauro indicat Abrahamus Ortelius. Nos hic de Francorũ origine non diſputamus, quod commodius facturi ſumus in opere de colonijs Friſiorum; hîc ſaltem negamus Friſios originem ducere à Francis.

Capvt Vigesimvm.

Qvarta opinio de origine Friſiorum.

Friſij an ex Troianis ſunt orti.

Hvbertus Thomas Leodius, in eo libro quẽ de Tungris & Eburonibus conſcripſit, cap. 19. à Troiano Grunio Friſios deducit, qui

gru-

Gruningam, & in ea templum admirabile condi derit, ipſamque terram vnius literæ inflexo ſono Phryſiam quaſi Phrygiam, & gentem ipſam Phryſios quaſi Phrygios appellarit. Hanc opinionem etiam allegat haud ſcio vnde Lud. Guicciardinus in prooemio deſcriptionis Friſiæ. Huc etiam VVolf. Lazius inclinat, vt infra videbimus. Huic ſuffragatur Occidentalis Friſię ciuitas prope Snecam, populari lingua hodie vocata Ilſt, quam etſi nonnulli Eloſtum, alij tamen Iliacum appellant, quaſi Ilium à Troianis cõditum. Conſimiliter in terra Gruningana Aſcanij memoriam referre videtur pagus Aſchondorp, quem Aſcaniam Latini vocant. Hiſce palam ſuffragantur apud Gruninganos non pauci qui contendunt Gruningam etiam Stauria vetuſtiorem eſſe, & Friſiæ totius olim fuiſſe Metropolim, cuius conditorem faciunt Grunium Troianum. His etiam tacitè aſtipulari videntur, qui non Friſios, ſed Phryſios ſcribunt, ſcriptura ſcilicet originẽ gentis arguente. Aduerſus hæc Huberto reſponderi poteſt, in Phrygiorum & Phryſiorum homœographia ſi magna, in prolatione ſi maior ſimilitudo eſt, in indole certè eſſe longè maximam differẽtiam: cùm Phryges, iuxta vetus prouerbium, plagis emendentur; Friſij deprauentur: Friſium enim ſi tractes humaniter, obſequẽtem habebis; ſi crudeliter, efferatum & refractarium ſenſeris. Sed vtcunq; Phryges animũ mutarint dum trans mare currunt, velim nobis tempus definiuiſſet Hubertus, quo Grunius ad nos venerit. Nam ſi eum mox atque ex equo Troiano dilapſus eſt huc aduolaſſe contendit, antiquitate ipſa excluditur, cùm Friſiæ nomen recentius ſit, vt ſupra dictum eſt; a ſi diutius alicubi moratus hæſit, in Clogio- *a cap. 19. lib. 1.*

nis

nis filio ſubſidit, de quo Tritthemius agit, vt ſupra dictum eſt; *a* vtrumcunque acceperis, vides in eo crambem eſſe recoctam. Quid autem Grunum iſtum impulit, vt terram appellaret Phryſiam, quam Phrygiam intelligi vellet? Phrygiam enim commodius dixiſſet, ne nebulas poſteris offunderet, quibus nomine ipſo memoriam rei geſtæ commendaret: mirum verò cur non regionem ipſam Gruniam, & oppidum in ea Phrygiam appellaret. Etſi ergo Grunus aliquis Gruningam condiderit, non ideo rectè mox Hubertus colligit, Troianum hunc fuiſſe, ſi contrarium gentis acta probent. Fuit autem Gruninganæ ciuitatis conditor Friſonis pronepos populari nomine dictus Gryns, ac denominatione hominũ etiam Grunus. Is circa annum centeſimũ & quinquageſimum ante natum Chriſtum, in tertia Friſiæ *Zelãdia*, quæ illi auita erat, arcem condidit, quæ ab authore tùm Gryns, tum Gruneburg dicta fuit; quæ etſi poſtea in ciuitatem egregiam excreuerit, primi tamen fundatoris vtrumque nomen hactenus conſeruauit: cùm in hunc vſque diem Friſica lingua Gryns, Germanica Gruningen appelletur. Itaque ſi Gruningani Gruningam ſuam Stauria antiquiorem faciunt, & Friſiæ totius Metropolim fuiſſe dicunt, credendi ſunt id commendandæ ſuæ patriæ gratiã facere, interim tamen à veritate aberrare: Stauria enim Friſiæ totius Metropolis fuit totis centum & quinquaginta annis, antequam prima ciuitatis Gruninganæ fundamenta iacerentur, vt in Geographia noſtra & annalibus plenius declarabimus; idem facturi & in Iloſto & in Aſcania, quæ & recentiora, & non alterius quàm Friſicæ originis eſſe ibidem demonſtrabimus,

a cap. 19. lib. 1.

Conditor vrbis Gruninganæ.

vt

vt & in ciuitatibus Friſiæ, ne ſingulis hic diu inſiſtendum ſit. Quantum igitur huiuſmodi Etymologijs & proſonomaſijs tribuendum ſit, facilè animaduertat Hubertus Thomas, ſi conſideret non eũdem ſonum apud nos eſſe, quem apud ſuos eſſe, innuit inter G & S: Nam ſi quos Phrygas, & Phrygios ſcribit, Phryſas & Phryſios apud Gruninganos pronunciaret, omnibus ridiculus eſſet. Sciptura autem quomodo gentis originem innuat, cùm Friſij à Phrygibus non dependeant, & gentis nomen non omnes vel extranei, vel intranei eodem modo ſcribant. Sunt enim, teſte Huberto, qui Phryſios & Phryſiam ſcribunt; ſunt qui ſcribunt Phriſios & Phriſiam, imitati nimirum Ptolemæum & cæteros Græcos qui φρισίοι vocant; ſunt his confines, qui Phriſones & Phriſoniam proferunt, & interdum etiam Friſones & Friſoniam ſcribunt, inter Græcos & Latinos medij, analogia ducta à primo gentis conditore, quem ſiue Phriſonem, ſiue Friſonem dixeris, nihil à recto aberraueris: vtroque enim modo ſcriptus apud veteres reperitur. Sunt qui Friſios & Friſiam proferunt, ſicuti Plinius ac Tacitus & cæteri veteres Latini, & qui hoſce ſecuti ſunt, quorum numerus eſt ſanè maximus; quod Latini ph pro f non vtantur, ſi nomina græcæ originis non eſſe ſciant, vt infra patebit. Sunt denique qui Freſos & Freſios, & Freſiones & Freſiam ſcribunt, vt videre eſt apud Saxonem Grammaticum, Albertum Stadenſem, & nõnullos alios rerum Danicarum, Sueuicarum, Gothicarum, Vandalicarum & Saxonicarum ſcriptores. Quæ cùm ita ſint, quo colore ſuam ſcripturam hic cæteris ad originem gentis indicandam magis congruã eſſe dicet Hu-

Friſici nominis orthographia.

bert.

bertus Thomas? Imò verò quando in hæc litera-
rum ac ſyllabarum aucupia nos coniecit, audiat
ille quo modo nos probemus illius ſcripturam
omnium longiſsimè abeſſe ab eo, quod intendit;
vt intelligatur illos ſolos ineptos eſſe, qui, ipſo
approbante, Phryſios & Phryſiam ſcribunt: Il-
los verò ad originem gentis indicandam pro-
ximè accedere, qui Freſos, Freſios, Freſiones &
Freſiam ſcribunt; reliquos in medio omnes lon-
go vſu authore excuſari in ſcriptura ſua poſſe.
Nam ſanè cùm nomen ipſum patriæ noſtræ vt-
cunque ſcribatur, tribus modò conſtet ſyllabis,
& harum prima duntaxat controuerſa ſit, de con
ſonantibus quibus ea conſtruenda ſit exilis eſt cō
tentio: ſiue enim per ph, ſiue per f ſcribatur, eo-
dem recidit; cùm ratio altera Græcorum, altera
Latinorum vſu ſuſtentetur. Vocales hîc in diſcep
tationem tres veniunt y, i, e, de quarum prærogа
tiua in huiuſce ſyllabæ ſtructura litigatur. Quod
igitur ad y attinet, qua ratiōe id hic tolerari poſ-
ſit, cùm nec à Græcis, nec à Latinis recipiatur, &
ad ſolam Phrygię memoriam ſuggerendam irrep
ſerit, cum qua Friſia nihil habet commune, ſic vt
qui Phryſios & Phryſiam ſcribunt, manifeſtè ab
orthographia vera declinent. I verò, quàm & Græ
ci & Latini agnoſcunt, maximè ſuſtentat vſus cō
munis, vt Friſios & Friſiam, nec non & Phriſones
& Phriſiam promiſcuè ſine reprehenſione ſcri-
bamus. E autem ſicuti antiquitas commendat,
ita genuinæ Etymologiæ veriſſima ratio flagitat;
vt qui Freſos, & Freſiones, & Freſones, & Freſiam
ſcribunt, gentis originem ſcriptura ſua proximè
indicent, vt infra clarius apparebit. a Quare ridi-
a cap. 6. lib. 3. cula illa proſonomaſia, qua Phryſij & Frygij ijdē
ab Huberto Thoma arguuntur, non aliunde pen-
det,

det, quàm ex Gallorum inepta pronunciatione, ſicut & amicus noſter Boetius Epo *a* eleganter admonuit. Ne quid autem ſcientes omiſiſſe videamur, addemus hic opinionem VVolfgangi Lazij, qui itidem ex Phrygibus, ſed alia ratione Friſios deducit: Qui de migrationibus gentium lib. 3. Quare (inquit) nec mihi diſplicet coniectura illa Io. Auentini, & Phrygas Aſiaticos Teutonas fuiſſe lingua, à libertate ſic nominatos, die Phreyen, qui poſtea ab eadem libertate deprauata pronunciatione die Frianc, & addita aſpiratione in fine die Frianchkn, hoc eſt, Franci appellati ſunt; vnde & Friſios deſcendiſſe, ab eademq; libertate cognominatos, mutata ſecundũ locorũ diuerſitatem pronunciatione exiſtimo. Hæc ille. Quæ cùm nec ratione, nec teſtimonijs, ſed ſolis coniecturis nitantur, nos his tantum deferimus, quantum iſtis ſuperioribus ab Huberto Thoma prolatis; quæ veris actorum noſtrorum codicillis confutantur, quæ nos à primo noſtræ gentis conditore nomen accepiſſe docent: qui cùm Freſo dictus ipſe ſit, prouinciã quam occupauit Freſiam, & poſteros ſuos Freſones de nomine ſuo dixit; quos & ſcriptores etiam veteres ita appellare ſolent. Et quanquam interdum Freſos, Freſios & Freſones proferant, vocalem e tamen in prima nominis ſyllaba retinent, quæ vtique nullam arguendæ libertatis anſam præbet. At cùm ſuccedens ætas in hac ſyllaba e in i mutauerit, & Friſonem ſcripſerit, indeque conſequenter Friſiam, & Friſones, & Friſiones, & Friſios protulerit, quæro, ſi manente eadem nominis origine eadem etymologia manet, vnde Lazius libertatem potius Friſijs arguit, quàm Freſijs; cùm ijdem, qui dudum Freſij, nunc Friſij appellentur? Deinde

a *In orat. Satur de gente Friſic.*

K cùm

cùm nominum popularium ſignificationes cui-que genti non ex peregrinæ, ſed ex indigenæ lin-guæ etymologia reddendæ ſint, patria noſtra ſiue Freſia, ſiue Friſia Latinis diceretur, tamẽ ſemper indigenis Frieslandt appellata fuit: quod nomen incolis deſignandis aptatũ ſimpliciter ſignificat terram Friſiorum; qui & ipſi nomen ſuum à primo gentis conditore obtinent. Itaq; Lazius ſi ad qualemcunq; Latini ſermonis etymologiam reſpicit, quo modo ex Friſia libertatis Friſonicæ ſignificationem vllã colliget? Si ad etymologiam linguæ Friſonicæ reſpicit, cur ex Frieslandt non frigoris potius, quàm libertatis ſignificationem colligit? cùm Frieſen communi Germanica lingua gelare ſignificet; vt ſupra diximus cap.4. vbi opinionem hanc refutauimus. Sed Lazius huius temeritatis ſuæ mereatur veniam, qui Friſiorum veram originem falſa etymologia fortè imprudens obſcurauit, vtpote qui Friſonicæ libertatis originem ac rationem ignorat. Sed in eo, quo Francos à Phrygibus occaſione libertatis, quàm ex Phrygum nomine arbitrio ſuo transformato eruit, quis Demoſthenes, aut Cicero eum defendat proditæ veritatis? qui non ignorat Phryges, à conditore ſuo Phryge, quemadmodum & Troianos à Troe, & Ilienſes ab Ilo, & Dardanios à Dardano dici; ex quorum nominum etymologijs Germanicam ſignificationem velle eruere æquè abſurdum ſit, ac dicere Phryges Aſiaticos lingua Germanica fuiſſe viros: quanquam & hoc aliqui ſcribere non erubuerint contra veritatem vtique ſanis omnibus manifeſtam. Sed has nugas cogerronibus Beckeſelanis relinquamus, nos inſtitutum noſtrum proſequamur. Reſtabat vna adhuc opinio de origine Friſiorum, quam

pro

proponit Ienco à Douma, vir nobilis apud nos, & ſua ætate magnæ authoritatis, qui aſſerit ſe in iuuentute ſua olim vidiſſe librum quendam, in quo Friſiorum origo arceſſebatur à Medis, vt & Saxonum à Perſis: ſed cùm neque libri iſtius authorem nominauerit, neque aſſerti teſtimonium vllum produxerit, putamus virum bonum eſſe memoria lapſum, & idem fortè ſentire, quod nos capite proximo aſſeruimus. Procliuem enim illi memoriæ lapſum fuiſſe conſentaneum eſt, non modò ex ipſa hiſtoriarum vicinitate, ſed etiam ex longitudine temporis, ex quo librum iſtum non viderit, præſertim cùm ſe omni librorum neceſſaria ſupellectili deſtitutum fuiſſe cõqueratur. Hoc mihi hîc admonendum duxi noſtratium gratia, ne quis putaret me Ienconem vel ignoraſſe, vel diſsimulaſſe, vel etiam indignè traduxiſſe.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

OPINIO QVINTA DE ORIGINE *Friſiorum, quam vt ſuo iudicio veram author ſolam tuetur.*

SIC igitur ſupradictis opinionibus ordine confutatis, hoc nobis iam breuiter & perſpicuè agendum reſtat, vt lectori conſtet, quid nos probemus, cùm hactenus declarauerimus, quid improbemus; ſic tamen vt in ſequentibus, quemadmodum & præcedẽtibus vnicuiq; ſuum iudicium liberum relicturi, & veriora proferentibus lampadem libenter tradituri ſimus: nec enim dubitamus, quin lector ſingulari deſiderio teneatur cognoſcendi, quid tandem ceu verum & ſolidum tenendum ſit.

Friſiorum originem ex Indiis eſſe.

Accepimus igitur Freſonem gẽtis noſtræ conditorẽ vnà cum duobus fratribus Saxone & Brunone oriundos ex Indiæ quadam prouincia, cui nomen fuit Benedicta Freſia, & poſt militiam Alexandro Magno aliquandiu præſtitam, cùm eo mortuo in præſidijs, vbi collocati erant, Ducibus inter ſe de Regni partitione digladiantibus, ſubſiſtere non auderent, nauibus arreptis & impletis quas poterant, traiecto mari veniſſe in hanc terram, & eam de patriȩ ſuæ nomine appellaſſe Freſiam, quam & fratribus ſuis tandem dimiſsis, ſibi ſuiſque poſteris incolendam reſeruarit. Reliquam hiſtoriam, quæ huc pertinet, infrà plenius exequemur; hic enim alioqui plus quàm ſatis iam dictum fuerit, niſi in ipſo huius narrationis exordio prius illis occurramus, qui ſuo præiudicio aſſertioni huic noſtræ pondus adimere conati ſunt.

FINIS.

DE

DE ANTIQVITATE ET ORIGINE FRISIORVM LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

IN HISTORIIS CVM IVDICIO *verſandum eſſe, nec aliorum præiudicijs temerè credendum, veritati ſemper inſiſtendum eſſe.*

ALBERTVS enim Crantzius Saxonum hiſtoricus in cauſa coniūcta aduerſus nos præiudicium tulit, dum de Saxonum Archego Saxone, quaſi fabulā & plusquàm anile deliramentum exſibilauit, id quod nos hic de Friſone Friſiorum principe, vt veram hiſtoriā proponimus. Itaq; cùm nos Saxonem Friſonis fratrem fuiſſe, & vnà cum eo in exercitu ſub Alexandro Magno militaſſe, & eo defuncto ſimul huc veniſſe aſſeramus, & Albertus Crantzius id factum neget; videt candidus lector nobis hanc impoſitam eſſe neceſsitatem, vt prius illius ſententiam viuis ac ſolidis argumentis confutemus, antequā ad probādam noſtram procedamus. Ac profiteor equidem me inuitum admodum in hāc arenam protrudi, cùm odioſum videri poſsit opinionē hanc Crantzij conuellere, plurium ſcriptorum ſuffragijs Crantzio aſtipulantibus iam confirmatum, & mul-

Occaſio cur authori cō tra Crantzium diſputandum ſit.

Falſa priꝰ confutanda, quàm confirmanda vera.

& multarum nationũ tacito conſenſu receptam, & Friſiorum ſilentio tam diuturno comprobatam. Interim verò cùm veritas in hiſtorijs præcipuè ſpectanda ſit, neq; Crantzio prodeſſe, neque nobis obeſſe debet ſilentium noſtrũ, cùm veritas temporis longitudine non præſcribatur: Namq; quod Crãtzio ex noſtratibus nemo hactenus reſponderit, non rationum, ſed ſcriptorum penuria fecit; cùm nullus noſtratium hiſtoricorũ hactenus, quod equidem ſciam, in lucem prodierit, præter Cornelium Kempium, cui tamen per occupationes contra Crantzium velitari nõ licuit. Crantzius autem longè melius exiſtimationi ſuę conſuluiſſet, ſi hanc opinionem de Saxone, vel cum Friſijs recepiſſet, vel certè eadem modeſtia reieciſſet, qua cæteras, quas non probat: Sed cùm videret Saxones æquè aduenas repertum iri atq; Friſios, ſi eos cum illis ex eadem origine pẽdere concederet, hanc opinionem præiudicio ſuo retundendam iudicauit. Huic Crantzio accidit, quod & quibuſdam alijs, qui affectibus obcœcati, pro veritate, quam promittunt lectori ſua cõmenta obtrudunt. Fuit patrum noſtrorum, & eſt hac etiam noſtra ætate genus hominum, qui Cornelio Tacito credunt generaliter aſſerenti Germanos eſſe indigenas, & proinde quaſi fabulatores reijciunt eos omnes, qui nationem vllam aliunde in Germaniam adducunt. Aſſertionis huiuſçe ſuæ cauſam velut ex euentu reddunt, qua ſerum fuiſſe dicũt inter Germanos literarũ vſum, & idcirco primos iſtos rerum Germanicarũ ſcriptores maiorum ſuorum origines fabulis plerumque condiuiſſe, cùm præſcriptum nullum haberent, quo coargui poſſent. Atqui horum cenſorum pleroſque ego non tam ad veteres fabulas

conuel-

conuellendas, quàm ad condendas nouas proſi-
lire deprehendo: Nam quod conſilium huic in-
ſtituto magis idoneum excogitare poſsis, quàm
vt luxanda alterius fide tuam ſtabilias? Quod ſi
inter veteres aliqui reperiuntur fabuloſi, an igi-
tur inter recentes inueniuntur nulli? Si autem v-
trobique & boni ſunt & mali, vtrobiq; nimium
delectus adhibēdus eſt, vt nec reijciatur aliquid
temerè, nec recipiatur; Sed tantum fidei quiique
obtineat, quātum argumentorum ſoliditate me-
retur. Cùm igitur non ſcriptorum authoritate,
ſed ipſa rerum veritate ſit ponderanda fides in
hiſtorijs, nemo Crantzij præiudicio moueri de-
bet, qui non probat id quod dicit: Nec enim ſuf-
ficit magnis conuicijs & cachinnis veluti fabu-
las exagitare, niſi dictis ſuis præſto ſit legitima ra-
tio. Veteres quaſi fabuloſum reiecerunt quod de
Antipodibus ferebatur; & quod de tēperie quin-
que Zonarum iactabatur velut oraculū ſunt am-
plexi: Atqui noſtræ memoriæ præſens experien-
tia rem veram in Antipodibus, & fabulam in Zo-
nis eſſe deprehendit. Itaque euenit non rarò tum
in his & horum ſimilibus, tum etiam in gentium
migrationibus, quæ multiplices & crebræ olim
factæ ſunt, vt ex affectu ſcribentium vera pro fal-
ſis reijciantur, & pro veris falſa defendantur.
Ideoque & Crantzius, tametſi in archiuis noſtris
legerit, aut legere certè potuerit, atque etiam de-
buerit, hiſtoriam Friſonis ac Saxonis ante me-
moriam ſuam plus quàm mille octingentis an-
nis integris conſignatam fuiſſe, tamen eam quaſi
fabulam deſpuit, & Tacito nititur aſſerenti,
Germanos eſſe indigenas: cùm ex ijſdem archi-
uis noſtris pateat Friſonem & Saxonem qua-
dringentis amplius annis ante ætatem Taciti

Qui fabularum nomine maiorũ ſuorum monumēta nimis tragicè exagitant ipſi plerunque veritatis titulo nobis figmēta ſua obtrudunt

Rerum veritas, non ſcribentiũ authoritas in hiſtorijs ſpectanda.

Crantzius conſultò diſſimulat originem Friſiorũ

aliunde huc aduectos eſſe. Aduerſus hunc igitur ſi in coniuncta cauſa maiorum noſtrorum traditionem non defendero, veritatem vtique ſilentio meo prodidero; ſi tuear, quis falſitatem detegẽti iure indignari queat? Nec enim dicere verè quiſquam poterit, nos vel in Crantzium iniquos eſſe, ſi in communi cauſa archiuis noſtris fidem aſſerimus, quam ille detraxit ſuis; præſertim cùm nos controuerſiam hic illi nullam moueamus, niſi quæ ad originem gentis pertinet: neque etiam quiſquam dixerit, nos in Saxones eſſe contumelioſos, ſi eos eiuſdem originis participes faciamus, quam nobis glorioſam ducimus. Imò verò bene de ipſis merebimur, ſi quæ Crantzius obſcurauit illuſtremus, quę ſuppreſſit eruamus, quę exploſit reſtituamus, ad laudem & gloriam Saxonicæ gentis; cui quantum nos tribuamus cùm toto opere hoc noſtro, tum infra lib. 3. cap. 5. patet. Nos certè veritati ſemper & vbique inſiſtemus: Quæ cùm hiſtoriæ fundamentum ſit, nullius quãtumuis magni ſcriptoris authoritati poſtponi debet.

Author nõ odio Crantzij, ſed amore veritatis hanc cõtrouerſiã illi mouet.

CAPVT SECVNDVM.

CRANTZII RATIONES ESSE INEPTAS *ac futiles, quibus declarare nititur fabulam eſſe de reliquijs Macedonici exercitus.*

RECTO autem ordine Crantzius procedit, vt prius quidem eorum opiniones confutet, quos de Saxonum origine perperam ſentire aſſerit, vt deinde ſuam ſtabiliat, quam pro vera poſteritati commendat; in neutro tamen legitimè verſatur, ſed in vtroq; lectori fucum facit. Recitat *a* autem ille diuerſas de Saxonum origine ia-

a in proœmio Saxoniæ.

ne iactatas opiniones decem , quarum cùm ipſe nullam probet, nullam tamẽ legitimè confutat; in vna interim conuellenda pluri mũ operæ collocat, quo doceat Saxones ex Macedonico exercitu non pendere: quod ideo nimirum facit, vt præiudicio ſuo Friſijs in coniuncta cauſa frenum inijciat, vt patet diuerſis locis *a*. Noſtra autem nihil refert quàm ſolidè opiniones reliquas confutauerit, quas & nos etiam ipſo tacente falſas eſſe vltro credimus; cùm plus vna non poſſit eſſe vera. Illud ad nos pertinet, quod vnam, de qua ſupra diximus, illam efficaciter non confutaúerit, nec docuerit quod intendit; fabuloſum ſcilicet eſſe commentum, quo dicitur: Saxones eſſe reliquias Macedonici exercitus. Quinque enim argumentis id probare voluit, quæ nos hic ordine proponemus, & ſingulatim confutabimus.

Opiniones apud Crãtzium de origine Saxonum.

Crantzij propoſitum & conſilium.

a *in proœmio lib. 2. cap. 21. Saxon.*

Itaque illud, quod primo loco ex authoritate Cornelij Taciti velut oraculum non vno, ſed pluribus locis inculcat, Germanos indigenas eſſe, plusquam ridiculum eſſe ex ijs apparet, quæ ſupra contra Tacitum diximus *b*. Nec enim illud Crantzio prodeſt, quod alia ſignificatione indigenas & aduenas accipiat, quàm Tacitus: Nos enim id contendimus, Saxones ea ipſa ſignificatione, qua ille intelligit, aduenas eſſe, hoc eſt, poſt occupatam à primis Germanis hanc prouinciam Saxones aliunde ſuperueniſſe. Hoc autem falſum eſſe Crantzius præſenti argumento non conuincit, quod non niſi ſola authoritate Taciti nititur, quam nos hic nullam eſſe declarauimus. Nec enim vllius ſcriptoris authoritas digna videri debet, vt ſola controuerſiam finiat, præſertim ſi rationes in contrarium ſuppetant, quibus authoritas eleuetur, quod hic víu venire in-

Cõtrouerſiæ inter authorem & Crantzium cardo, & quinque capita.

1.

b *cap. 5. lib. 1.*

a In Prox: fra patebit. a Secundum argumentum ex eadem
wio Saxō. pharetra eſt, quod ad verbum ex Crantzio hic
2. ſubijciemus: Sed huius (inquit) fabellæ fictores
„ ignorant Duces Alexandri Magni poſt eius exi-
„ tum in ſe verſos, omnibus indiguiſſe copijs mi-
„ litum, quas ille reliquit: nam totis incubuêre
„ viribus pro ſe quiſque terras occupare. Atqui
„ Crantzi, dum Ptolemæus Aegyptum; Antipater Greciam; Seleucus Antiochiam pariter & Syriam & Babyloniam; Caſſander Lyciam & Pamphiliam; Antigonus maiorem Phrygiam; alij alias prouincias affectarent, quis milites per Alexandri morte ſacramento militiæ ſolutos ſignis ſuis inuitos ſubijcere potuit? Aut quis vnus pre ceteris eos facilè ſibi aſciſceret, qui ad montes Aemodios Indis præſidio ſeruandis impoſiti erant? Imò verò quis illis fatis tutum fuiſſe putet illic tantiſper commorari, donec alterutrum iſtorum fieret, ob incolarũ rebellantium metum? Subijcit
3. loco tertio Crãtzius: Et inſcitia eſt (inquit) dice-
„ re milites timuiſſe ab Orientalibus opprimi,
„ qui tanto iam tempore erant ſub iugo, vt ſibi ti-
„ merent, non timerentur. Diceres aliquid Crantzi, ſi Alexander ſuperſtes eſſet, cuius metu in officio gétes conſeruari potuiſſent. Nunc verò cùm ipſius mors Ducibus ipſis ſic reuerẽtiam omnem abſterſerit, vt ijdem qui dudum concordes fuerant, nũc inter ſe de certis Regni partibus ſibi vendicandis contenderent, quis miretur gentes præſertim lõgius remotas, & quæ nulli iſtorũ Ducũ priuatim fidelitaté iurauiſſent, arrepta hac occaſione concepiſſe ſpem recuperandæ libertatis? & proinde remouendis præſidijs mox toto pectore incubuiſſe? Quod & factũ eſſe, ſicut alij nõnulli, ita etiã Abbas Vrſpergẽſis teſtatur Pauli Orozij verbis,

verbis, ex lib. 3. cap. 23. petitis, cuius teſtimonium hic ad verbum fidei ergô proponemus. Seleu- " cus quoq; (inquit) ex Aſia maiore diſcedens, no- " uus Antigono hoſtis acceſſit. Hic itaque Seleucus " plurima per Orientem inter ſocios regni Mace- " donici bella geſſit. Principiò Babyloniam expug " nauit: Bactrianos nouis motibus aſſurgẽtes per- " domuit: tranſitum deinde in Indiã fecit, quæ poſt " mortẽ Alexandri, velut detracto excuſſoq; cerui " cib⁹ iugo, præfectos eius occiderat. Subijcit quar 4 to loco Crantzius: Et eſt (inquit) Babylon, in qua " Alexãder occubuit, longè à mari ſubmota, vt non " ſit veriſimile inde profectos milites maritimo i " tinere abijſſe. Reſpõdemus nihil eſſe cur ſuſpice " mur Saxones Alexandro moriẽte Babylone fuiſ- " ſe, vt tantũ iter terra emetiri debuerint, vt ad ma re Caſpiũ peruenirent, quos ad mõtes Aemodios præſidiũ tenuiſſe ſcribunt, vbi collocatos tũc eſ- ſe putant, cùm debellato Perſarũ Rege Dario ad- uerſus Porũ Indorũ Regem Alexander tenderet: Hi enim à mari Caſpio nõ longè aberant. Addit " Crãtzius: Nec vſquã lectum aut cõpertũ eſt à ma- " ri Caſpio ad occiduas præſertim mũdi partes vl- " lã fuiſſe nauigationem, obſtante mari congelato " poſt Riphęos mõtes, qui lõgè procurrunt in Bo- " reã. Non eſt hîc longis ambagibus vtendũ, cùm ex periẽtia magiſtra ſatis iã compertum ſit, nullam omnino Oceani plagã nauigantibus eſſe inuiã; & proinde meras eſſe nugas, quæ de mari cõgelato dicit Crantzius; qui non alio fundamẽto nititur, quàm imperitia veterũ, qui ſimilia multa de quin que mũdi Zonis per cõiecturas fabulati ſunt, quę nũc res ipſa refellit; ſicut & illud quod hic ex ve- terũ phantaſmate Crãtzius dicit de mõtibus Ri- phæis, quos immani quadã altitudine eſſe, & lõgè in Boreã pcurrere putat. In eo ſaltẽ, quod hic de

Mare congelatũ quomodo intelligendum citra fabulam.

Montes Riphæi fabuloſi.

mari congelato dicit, errorem Taciti non ſtabilire, ſed diſcutere debuerat, homo in Saxonia natus, qui ſciret non ex eo mare dici congelatum, quod ſemper & in totum, ſed quod hyberno tempore, & in confinio littoris aliquo vſque glacie obducatur. Hoc enim nos non modò ex nautis & mercatoribus ijs diſcimus, qui mercimoniorum gratia mare illud nauigant, ſed & ipſi coràm videmus, qui Cimbricum Oceanum accolimus; cùm etiam intra Hollandiam & Friſiam mare, quod Auſtrale dicitur, & iſtius Oceani brachium eſt, interdum gelu concreſcat: Hoc autem neque ſemper fit, neque in perpetuum durat, ſed elapſa hyeme, glacies reſoluitur. Idem etiam fit in iſto mari, quod congelatum dicitur: Ideoque nautæ ac mercatores noſtri, qui Orientem verſus illud mare ſulcant, ſtatis temporibus hyeme domo exeunt, & finita æſtate reuertuntur, nec impedimẽtum ex glacie vllum ſentiunt. Hoc igitur Crantzius diſſimulat, vt imperitis perſuadeat, mare congelatum, teſte Tacito, obſtetiſſe, quò minus Macedonici exercitus reliquiæ in Germaniam appellerent; quod eo magis mirandum eſt, quod Saxo Grammaticus, quem Crantzius vtique non ignorauit, author ſit, Reges quoſdam Daniæ Byzanthium vſque piraticam exercuiſſe: idemque etiam alij tradant factum eſſe à Francis. Proſequitur quinto & vltimo loco Crantzius, & fabulam, vt vocat, ratione tẽporis arguit eſſe falſam: In quo quantum ipſe fallatur, infra commodius declarabitur capite proximo. Hæc igitur cùm ita ſint, Crantzius ſuprà poſitis ſuis argumentis nequaquam conuincit errare nos, qui Saxones deducimus ab exercitu Macedonico, & proinde aduenas eſſe dicimus.

CAPVT.

CAPVT TERTIVM.

INEPTA QVOQVE ESSE ARGVMENta Crantzij, quibus colligit Saxones eſſe indigenas, & de tribus diuerſis ſedibus, quas Saxones in Germania occupaſſe memorantur.

FRiuola igitur ac futilia eſſe ea argumēta Crātzij, quibus negatiuam partem tueri vult, dum aſſerit, Saxones non eſſe aduenas, ex his quæ ſupradicta ſunt, luce clarius apparet. Age nunc trutinemus & illa, quibus affirmatiuam tueri nititur, dum contendit eos eſſe indigenas. Quanquam enim verbis profiteatur, ſe lectori liberum relinquere, vt ſentiat, quod velit; ipſe tamen opinionem ſuam, quam animo concepit, pertinaciter vrget, ac toto opere inculcat, & contendit Saxones eoſdem eſſe, quos Cornelius Tacitus appellat Cattos, non alio conſilio, quàm vt declaret eos eſſe indigenas: Has enim ſedes, quas Tacitus Cattis aſſignauit, Saxonum primas & antiquiſſimas eſſe aſſerit. Cuius quidē aſſerendi gratia, tempora temporibus, perſonas perſonis, acta actis, & loca denique locis permiſcet, omniaque inter ſe mirum in modum cōfundit. Quibus nos proinde ſingulis ſingulatim inſiſtemus, quò euidentius lectori oſtendamus, quantum aberraturi ſint à veritate in hiſce antiquitatibus, qui Crātzium ſectantur ducem.

Quot ſedes in Germania Saxones habuerint.

Primùm igitur, quia de antiquiſſima Saxonum ſede diſputatio maximè ſuſcipitur, operæ pretiū erit hic lectori in initio indicare, quot ſedes in Germania Saxones habuerint. His enim rectè diſcretis faciliimum erit ratione circumſtantia-

Gentiũ ſedes trifariã æſtimari.

rum eruere veritatem. Hoc autem quò certius & expeditius faciamus; conſiderandum eſt gentium ſedes trifariam æſtimari; prima ſcilicet occupatione, Iuriſdictionis prorogatione, & quacunq; in corpus deſcriptione. Primam enim occupatio nem hîc dicimus primum ingreſſum in ſedem ſuam, quam primo aduentu quæque gens accepit, cùm foris & aliunde aduenir et, cùm nulla gens hic in terris indigena ſit. Iuriſdictionis pro rogationem appellamus, qua gens fines ſuos amplificat, & antiquæ ſedi ſuæ recentes addit; quod vel bello, vel pacto, vel connubijs, vel colonijs deducendis, & alijs multis modis fieri ſolet. Quamcunque in corpus deſcriptionem appellamus, qua amplioribus populis interdũ tenuiores firmitatis cauſa aggregãtur: Quemadmodum Carolus Magnus in deſcriptione Epiſcopatuum fecit, qua Saxoniæ fines multum dilatauit, aggregatis huic finitimis nationibus, quæ antea Saxonicæ non erant.

Nobis igitur in præſenti controuerſia non niſi de prima occupatione cõtentiõ eſt; nec enim quærimus, quantum Saxones in Germania quocunq; modo profecerint, ſed quam ſedẽ occupauerint, cùm primùm in Germaniam appellerent.

Saxonum tres ſedes.

Sanè verò Saxones (vt ferè conuenit inter eruditos huius gentis, quorum ductum veritatis eruendæ gratia hîc ſequimur) tres ſedes notabili temporum ac locorum intercapedine diſcretas obtinuerunt. Harum prima eſt ad littus Oceani Germanici circa Hadeleriam, ſupra Cimbrorum dorſa, hoc eſt, prope Iutiã in Holſatia, quam paulatim ampliatam Nordalbingiæ nomine ſcriptores compræhendunt; ideo quod ad Septentrionẽ Albis fluuij ſita ſit, quam & incoluiſſe dicuntur

Prima ſedes Saxonum.

vſque ad deuictum à Francis Ermenfridum Thuringorum Regem, quem plerique conſtituunt ad annum Chriſti 524.

Secũdam Saxonum ſedem conſtituunt in Veſphalia, & coniunctis locis, quos dehinc occuparint, tranſmiſſo Albi, in qua permanſerint vſque ad Carolum Magnum annis fere trecentis. *Secunda ſedes Saxonum.*

Tertiam Saxonum ſedem ponunt trans Veſeram in terra Brunſuicenſi, Magdeburgenſi, Halberſtadenſi, & ſi qua alia his cõnexa eſt, quas nũc tenent: Nam cũ Carolus Magnus eos bello fatigaret, multos aiũt vltra Viſurgim ex Veſualia profugiſſe, & fixis ibi ſedib⁹ Oſualos dictos eſſe, quod ad Orientem fluminis iſtius agerent, vt & illos Veſualos, quod ad Occidentem remanſerint. *Tertia ſedes Saxonum.*

Primam igitur iſtam ſedem antiquitatis ignorãtia obſcurauit; cuius occaſione Crantzius eam cõtrouerſam fecit, vt lector plenius apud ipſum videre poteſt: a de duabus iſtis poſterioribus nemo fere dubitat. Ideóque in controuerſia de antiquiſſima Saxonum ſede, quam prima occupatione acceperint, nulla iſtius primæ habitâ ratione, inter poſteriores haſce duas eã, quæ prior eſt, antiquam Saxoniam plerique vocant; adeo quidẽ, vt Erneſtus Brotuff ſcripſerit, in Veſualia Regni Saxonici ſedem olim ſtetiſſe, vt eum refert Petrus Albinus. Sed quantum in eo erratum ſit, infra patebit. Erroris autem huius cauſſæ potiſſimũ duæ ſunt. Prior eſt ignorantia vetuſtatis: quod ſcilicet paucis conſtet etiam Saxonibus fuiſſe ſedem duabus his antiquiorem, cùm in præſenti non Saxones eam incolant, ſed Obotriti, atteſtante Crantzio his verbis: Annus erat (inquit a) quartus Imperij, itemq; poſt octingẽtos à Chriſto cùm omni iãSaxonia quieſcẽte ſoli trãſ- *a Saxon. li. 5. ca. 27.* *a Saxon. li. 2. ca. 19.*

Albini

,, Albini(nunc Holſati)motus continuarunt: Quã-
,, rum rerum pertœſus Imp.miſit exercitum, qui
,, omnes trãs Albim habitantes duxit in Franciam,
,, & pagos trans Albinos dedit Obotritis.

,, Hæc eſt illa Germanicę nationis origo per ru-
,, ra Galliarum diſſeminata: Inde ſunt Brabantini,
,, inde Flandrenſes in ſolo Gallico manentes ori-
gine Germanica. Altera cauſa eſt, quòd ad memo-
riam originis conſeruandam nomen antiquæ Sa-
xoniæ tribuatur Veſphaliæ; non modò vt ex hac
profecti intelligantur Oeſtphali; ſed multo ma-
b *Saxon.* gis vt Veſtphalis occurratur, qui ſe Saxones ho-
li.2.ca.2. die dici non patiuntur. Quod & ipſum quoque
,, teſtatur ipſe Crãtzius his verbis: *b* Ipſe verò Hiſ-
,, panico bello peracto, iterum copias traiecit in
,, Saxoniam per Rhenum & Lupiam amnes, totam,
,, quæ nunc eſt Veſtphalia, peruagatus, rebelles ſub
,, egit, fugauitque contumaces, vt Viſurgo, nũc Ve-
,, ſera, tranſmiſſo, ſedes ibi facerent inter Vanda-
,, los, antiquis pulſis habitatoribus: ex quo tempo
,, re cepta eſt habitari à Saxonibus prouincia trans
,, Viſurgim(quæ nunc eſt terra Brunſuicenſis cum
,, conterminis)vt fieret exinde diſcrimen Saxonũ
,, Orientalium & Occiduorum; qui vltra & citra
,, Viſurgin habitant: vnde eſt etiam nata illa di-
,, ſtinctio in vna natione Oeſtphalorum, qui vltra,
,, & Veſtphalorum, qui citra Viſurgim incolunt.
,, Nam Saxonum Principes pro inſigni armorum in
,, militaribus ſignis pullum equinum habuerunt,
,, atrum ante Baptiſmum, poſt verò candidum. In-
,, de Oeſtphali & Veſphali: Nam equinum pullum
,, Saxones ſua lingua dixêre Valen. Hoc autem no-
,, men in Orientalibus euanuit, & permanſit appel
,, latio generalis Saxoniæ, quod terra illa nouis
,, principibus ſępè paruit: Nam à temporibus Hen-
rici

rici Leonis ducatus eſt ortus Brunſuicẽſis; poſtea & ille ſciſſus in aliquot principatus, quod ſuo tempore commemorabimus. In occidua verò prouincia manſit appellatio Veſtphalorum, hoc eſt, Occiduorum, qui equinum pullum prætulerunt. Eò tamen deuentum eſt, vt ea gens iam ſe Saxonicam appellari non patiatur, probro ducens, ſi quis ex Veſtphalis hominem appellare contendat Saxonem. Hoc autem ſuperbiæ genus vnde proceſſerit, non ſatis intelligo; præſertim cùm rebus geſtis ita claruerint Orientales Saxones, vt Imperatoriam dignitatem, quam meruerunt, diutiſsimè in ſua domo fouentes habuerint, & fortiſsimis ſemper viris pares, ſi non ſuperiores extiterint.

His ita diſtinctis, intelligi non difficulter poteſt in præſenti controuerſia, quid peculiaris Crantzij, quid plerorumque Saxonum communis error ſuſtineat, quid veritas ipſa dictet de antiquiſsima Saxonum ſede: Crãtzius enim Veſualos Saxonum parentes conſtituit; Saxones communiter Veſualos Saxonum filios aſſerunt; veritas ipſa docet Saxones in Veſtphalia nullas vnquam habuiſſe ſedes: Ideoque Veſualos neq; parentes eſſe Saxonum, neque filios.

Hi ergo errores vnde nati ſint, Deo fauente, dilucidè declarabimus. Quod quia citra cuiuſquam contumeliam facturi ſumus, hanc nobis gratiam à benigno lectore præſtari cupimus, vt patienti animo quæ adferemus accipiat, & vbi acceperit, tùm demum iudicet, & quod ſibi legitimè probatum eſſe ſenſerit, ſepoſitis affectibus, candidè retineat.

Primùm enim cùm Crantzius Veſtphalos ſuperbiæ arguit, eò quod ſe Saxones dici non pa-

tiantur, quos ipſe Saxonum antiquiſsimos eſſe contendit, ordo poſtulat, vt errare Crantzium declaremus: Planè enim arbitramur non ſuperbiæ, ſed ingenuitati Veſualorum hoc eſſe tribuendum, quod Saxones, quos parẽtes genuinos non agnoſcunt, filios ſuppoſitios habere nolint.

Crãtzianæ diſputatiõnis ſcopus. Totius autem diſputationis baſis Crãtzio hæc eſt, vt doceat Veſualiam primam & antiquiſsimam Saxonum eſſe ſedem; quo perſuaſo inferat Saxones in Germania eſſe indigenas. Quod proinde vt obtineat, omnibus modis obſcurare ac tollere nititur notitiam ſedis iſtius Holſatianæ: anſam verò huius aſſertionis ſuæ arripuit ex Alberto Stadenſi potiſsimum, dum veluti fabuloſum arguit ſcriptum eius de aduentu Saxonum, cùm is primo eorum aduentui tempus aſsignauerit, quod debebatur ſecundo. Alberti verba vt conſpici poſsint hic ſubijciam:

a Ad annũ 917. vbi Saxonum originem refert in Henrico Aucupe. Tempore (inquit a) quo Thiadricus Rex Francorum contra Hirminfridum Ducem Thuringorum dimicabat, Saxones ſtudio & neceſsitate quærẽdarum ſedium Germaniæ littoribus ſunt appulſi, in loco Hathuloga, qui nunc vrbanius dicitur Hatheleria. Hæc ille.

In quibus octingentorum viginti quatuor annorum lapſum fecit, qui à prima Saxonum ſede ad ſecundam, quam in Veſualia conſtituũt: colliguntur, vt infra demonſtrabimus. Hoc igitur arripiẽs Crantzius, fabulæ nomine exagitat.

b In præf. Saxon. Sed & fabella (inquit b) de temporibus ſe confodit; nam illa commemorat in aduentu primo Saxonum contigiſſe, quæ poſt natum Chriſtum annis non minus quingentis facta docebimus, cùm tempora Magni Alexandri, quæ aſsignant Saxonum aduentui, pertingant ad annos

Ex ratiõe temporis Crantzius arguit fa-

quin-

quingentos ante natum Chriſtum: Aiunt enim *bulosū eſſe* tum aduenisſe Saxones, cùm Theodoricus Rex *aduentum* Franciæ Ermenfridum Thuringum perſequere- *Saxonum.* tur. Quod omnino friuolum eſt, & veri inane; » nam diu ante ea tempora in ſua prouincia de- » morati ſunt Saxones. Hæc ille; vt ego nunc me- » cum dubitem, magiſne temeritatem Stadenſis hic admirari debeam, an inſinceritatem Crantzij: nec enim video quid Albertum mouerit, vt Saxones ſub Ermenfrido in Germaniam appuliſſe ſcriberet, qui Videkindum Corbeienſem, quem in alijs fideliter nobis refert, etiam hic ſequi debuerit, qui inter primum Saxonum aduentum ad Hadeleriam, & ſecundum in Thuringiam ſub Ermenfrido factum, tempora notabiliter diſtinguit, & multa commemorat acta Saxonum. Bellum ſcilicet aduerſus Thuringos in principio aduentus, occupationem portus, & mox fœdus, & deinde emptionem terræ, tum rupto fœdere bellum rurſus & victoriam de Thuringis, ac pacem iterum, ac deinde expeditionem in Britanniam, ac tum demū bellum aduerſus Ermenfridum. Crantzium verò, qui vtrūque & Albertum dico & Vitekindum vidit, quid mouere potuit, equidem non video, niſi propoſiti ſui pertinacia, vt diſsimulato Vitekindo, penes quem præſentis hiſtoriæ veritas eſt, Albertū, qui ab ea deflexit, arripuerit confutandum. Nam ſi ſyncero animo, ac veritatis declarandæ ſtudio Stadenſem arguere voluiſſet, id quod ex officio facere tenebatur, admonere lectorem debuerat, errare eum hic in calculo temporum, & proinde hæc eius verba candidè intelligi de primo Saxonum aduentu oportere: Hoc enim vel ſolo Vitekindi teſtimonio docere

poterat, ſcriptoris vtique vetuſtioris, & à cuius authoritate ille temerè deflexiſſet.

Crantzius non diſtinguere, ſed cōfundere tempora nititur.

Non igitur eo conſilio Stadenſem confutat Crãtzius, vt diſtinctis temporibus rei veritatem eruat, ſed vt his confuſis, eam obruat: Nam cùm hoc illi propoſitum ſit, vt lectori perſuadeat Saxones in Veſtphalia ſemper fuiſſe, vtpote quos illic indigenas videri vult, abutitur errore Stadenſis ad inſtitutum ſuum. Et quia facilè conuincit Saxones non eo tempore aduenïſſe, quo ille dicit, infert fabulam eſſe confictam de aduentu Saxonum, in qua nihil veri, nihil ſolidi ſit.

Vtcunq; autem Crantzius hoc agat, ex incongruo tamen temporis attributo facti defectũ efficaciter arguere non potuit: Nec enim rectè ſequitur, Saxones ad Hadeleriã prorſus appuliſſe nunquam, quod non appulerint eo tempore, quo dicit Albertus Stadenſis. Alioqui enim ſimili cõſequentia inferri poſſet, Alexandrum Magnum nunquam fuiſſe, quod eo tempore nõ fuerit, quo dicit Albertus Crantzius, qui eum pene ducentis annis hic iuſto vetuſtioré facit: Alexander enim vita defunctus eſt anno ante natũ Chriſtum 321.

Mirari itaque candidus lector non immeritò poterat Crantzium, ſi ita ipſe in calculo temporum labitur, præſertim ita celebri, tam infeſtum eſſe Alberto Stadenſi in calculo obſcuro; eò magis quod Stadenſis infelici ac barbaro ſæculo natus, librorũ ſubſidijs deſtitutus fuerit, qui Crantzio affatim ad manum erant, renatis iam literis, & reperta typographia; cùm paſsim iam extarent Euſebius, Oroſius, & complures alij Chronologi vnde diſceret.

Crantzij quadruplex contentio.

Itaque ergo vt perſuadeat Saxones eſſe indigenas, magno conatu demonſtrare nititur, Saxonibus

xonibus ante Ermenfridũ multa effluxiſſe ſæcula, multos fuiſſe viros illuſtres, plurima eſſe geſta bella, & ſedem illis non aliam fuiſſe interim quàm Veſphaliam.

1.
2.
3.
4.

In quibus proinde quàm admirabilem faciat temporum, perſonarum, rerum ac locorum confuſionem, veritatis ergò lectoris intereſt cognoſcere. Ideoque nos id iam in ſingulis ordine dehinc demonſtrabimus. Et quoniam temporum diſtinctio plurimum lucis adfert rebus rectè intelligendis, nos ad eam primò accedemus.

CAPVT QVARTVM.

CRANTZIVM TVM INTRANEIS, *tum extraneis hiſtoriographis deſtitutum fuiſſe, & idcirco non certa aliqua temporum definitione, ſed coniecturis hyperbolicis vti ad comprobandum propoſitum ſuum.*

Conſilium Crãtzij in augenda Saxonum antiquitate.

CRantzius igitur in adſtruenda Veſtphalicæ ſedis antiquitate ſingulari quodam conſilio vtitur, quod lectori diligenter conſiderandum eſt. Primùm enim, cùm alij ſcriptores ad fidem dictis ſuis conciliandam authores proponere ſoleant quàm maximè ſpectabiles, vnde ſua habeant, Crantzius contrarium facit, qui ſe tam intraneis quàm extraneis authoribus deſtitutum eſſe declarat, præterquam vno Saxone Grammatico Danorum hiſtorico. Deinde cùm hic hiſtoricus rebus ab ſe commemoratis nuſquam tempus aſſignet, Crantzius arrepta hac occaſione dat operam vt res Danorum faciat quàm antiquiſſimas, quod earum comparatione, etiam Saxonum

antiquitas effulgeſcat, quas iſtis aut æquales, aut certè non multo recentiores eſſe collatio docet, cùm Saxonum Rex quidam à quinto Danorum Rege trucidatus eſſe memoretur. Itaque tantum abeſt vt Saxonem ipſum temporibus aſsignatis vſquam illuſtret, vt omnia etiam vltrò diſcutiat & remoueat, quæ hanc antiquitatem, quam ille infinitam eſſe, & ſupra omnem hominum memoriam aſcendere contendit, aliqua annorum certitudine definitam redditura ſint, vnde nouitas rerum Danicarum deprehendi queat. Hoc propoſitum, & hoc conſilium Crantzij eſſe ex ſubiectis apparebit: Itaq; primùm nobis Crantzius declaret, ſe authoribus ad probãda ſua eſſe deſtitutum.

a Saxon. lib. 1. c. 16.

Crantzius declarat ſibi idoneos authores defuiſſe ad probãdas Saxonum antiquitates.

Vſque ad hæc tempora, (inquit *a*) circiter annos poſt natum Chriſtum trecentos in Romana hiſtoria nullã comperio Saxonum mentionem ſub eo vocabulo: ſed (quod ſæpe querimur) ſi Tacitus & Plinius loquerentur, (qui aut laceri, aut nulli extant) ex montibus & fluminibus deſignatis facilè intelligeremus gentem Saxonum, etiamſi alijs vocabulis inſcriberetur. Sed vtamur conceſsis. Primus Eutropius, & eum ſequu-
„ tus Oroſius, temporibus Diocletiani & Maxi-
„ miani Imperatorum hanc gentem nominauit.

Romanos ſcriptores ſibi ad probandam Saxonum antiquitatem nihil adiumenti adferre aſſeruit; age declaret idem iam etiam de Germanicis.

b Saxon. lib. 1. ca. 7.

Hoc mihi loco interfandum putaui, (inquit *b*)
ne quis miretur ſolas eas Saxonum res ſermone
„ perſtringi quæ illis fuêre cum Danis, nihil verò
„ ex mediterraneis attingere. Sed & illud moue-
„ bit fortè lectorem, in cunctis quas memoraui-
mus

mus controuerſijs Danos ſemper Saxonum vi- ,,
ctores oſtendi: quod contra poſterioribus ſæcu- ,,
lis vſu compertum eſt. Vtriuſque autem rei vna ,,
cauſa eſt, quod ex antiquitatibus tantæ vetuſta- ,,
tis nullus nobis, præter vnum Saxonem Sialan- ,,
dicum Daniæ illuſtratorem, author eſt, & ideo ,,
rerum mediterranearum, quas ille non attigit ,,
(quæ tamen non minores, etiam illuſtriores pu- ,,
tari poſsint) nulla nobis memoria eſt: nec in ea ,,
parte habent cæteræ nationes quod illis inuide- ,,
amus, aut quod noſtræ antiquitatis obliuione ,,
poſſunt oſtendere: nam pauci mille annorum ,,
memoriam vix explicant: ineptias enim plures ,,
præferũt, quæ ſomnijs ſimillimæ ſunt: quod nos ,,
de Francis congentilibus noſtris, ab olim Ger- ,,
manis, ſuo loco oſtendemus. Hæc ille. ,,

Saxonicos ſcriptores ad inſtitutum ſuum nihil conferre Crantzius affirmat, tum quod recentiores, tum etiam quod inepti ſint: Cedo igitur quem tandem ſequetur authorem Crantzius in declaranda Veſualicæ ſedis antiquitate.

Saxonem (inquit *a*) Grammaticum virum Sialandicum, Danicæ ſcriptorem hiſtoriæ, teſtem optimum, nolim ſubmotum, qui ſupra mille annos ante Chriſtum nomen Saxonum introduxit. Hæc ille. ,,

a *In proœmio Saxoniæ.*

Sed quid ita prouocat ad ſolos Danos reliquis gentibus vniuerſis diſsimulatis? Friſij certè multo certiora conferre poterant.

Sed ignorant (inquit Crantzius *b*) illi, quod in Dania noſtra oſtendimus, ab annis ante natum Chriſtum mille inextricabile fuiſſe odium gentis Danorum ad Saxones. Ita Crantzius. Videamus igitur in Dania, quo modo Saxonibus

b *In proœmio Saxoniæ.*

ſuis ante Chriſtũ annos mille Crantzius aſſeruerit: tũ enim hoc ſolũ reſtabit, vt porrò doceat Saxones toto iſtius tẽporis tractu egiſſe in Veſualia.

Lib. 1. ca. 2. Daniæ. Daniam (inquit *a*) primus tenuiſſe regno Dan indigena memoratur, multis ante ſæculis quàm
„ Chriſtus mundi ſalus in mundo naſceretur: fa-
„ ctaque ſupputatione, antiquius hoc regnum Ro-
„ mano reperietur. Ante enim quàm Romulus lu-
„ pam matrem ſugeret, Dan in ſua Dania, de eius
„ nomine ſic appellata, regnum tenuit.

Quis hic ſupradictæ promiſſionis memor, exactam quandam Chronologiam non expectaret? cuius indicio deprehenderet Saxones in Veſualia pluſquam mille annis fuiſſe ante natum Chriſtum; præſertim cùm ſupputatione facta id repertum iri dicat, & tanta fiducia Danum Romulo antiquiorem faciat? Atqui ille neque de Danis id quod intendit vlla ſubiecta ſupputatione vſquã probat; neque de Saxonibus verbum vllum facit. Debuerat autem catalogum Regum Danicorum hic texere, vt computatis annis, quibus eorum quiſque regnaſſet, antiquitatem Regni Danici perſpicuè demõſtraret, vnde porrò indicium de Saxonibus iniri poſſet, quod ille tamen nuſquam facit.

Dixerit fortaſſis aliquis, Regum Danicorum catalogum apud Saxonem Grammaticũ in promptu eſſe, ex quo facta cõputatione lector id quod quærit non difficulter inuenturus ſit, quem Crãtzius proinde eò remittat.

Saxo Grãmatic⁹ Regum Danicorum tempora non digeſſit. Reſpondeo neque ex iſto catalogo Regum, neque ex vllo alio fundamento ſupputationem annorum vllam apud Saxonem Grammaticum inſtitui poſſe, quæ quidem extraneo ſubſidio fulta non ſit, idque ob cauſas duas. Primùm enim certitu-

titudinis illam regulam, quam in temporũ ſupputatione Aeram ſcriptores vocant, Saxo Grammaticus rebus Danicis nullam poſuit: Deinde nec in ipſis quidẽ Regibus expreſſit, quãdo quiſque eorum vel cœperit, vel deſierit; vnde fit, vt neque principium regni Danici, neque quamdiu Regum quiſq; imperauerit, vllo modo inueniri poſſit, quod ſuppreſſo vbiq; tempore, neque caput Aeræ, neque baſis vſquam appareat. Vnde tantum abeſt, vt exteris ex hoc authore captanda ſit annorum pluſquam mille certitudo elapſorum ante natum Chriſtum, vt ne ipſis quidem Danis poſſibile ſit, ex eo, non dicam vnius Regis ætatem, (Frothonem tertium excipio) ſed ne vel vnius tantum anni complexum definire.

Dixerit aliquis, Crantzium Danis non temerè tantam antiquitatem tribuere, quam haud dubiè ex ipſorum fontibus hauſerit; cùm Ioannes Magnus Gothus diſertè ſcribat, Danum primum Danorum Regem æqualem fuiſſe Gedeoni Iudici Iſraël, ipſumque Danum porrò ſurſum per continuam regum Gothicorum ſeriem referat in Magogum, quem ſub Nimrodo Babyloniorum Rege anno poſt diluuium 175. Gothos condidiſſe aſſerit: quem Henricus Pantaleo, & M. Hieronymus Hemminges, & nonnulli alij ſequuntur.

Reſpondeo mihi quidem dubiũ non eſſe, quin Crantzius iſtos Danorum fontes guſtauerit: Hiſtorias enim Danorum ſcripturus, authores ſuos ex Danis habere debuit, quorũ teſtimonijs ſcripta ſua fulciret. Itaque cùm nihil fuerit illi expeditius futurum, quàm tantam antiquitatem rata temporum diſtinctione Danis ſuis aſſerere, idque non fecerit, colligo illi incertitudinẽ Danicæ atque Gothicæ Chronologiæ diſplicuiſſe.

Danicæ Chronologiæ incertitudo.

Etſi Danorum fontes tam liquidi eſſent, vt in his Danicorum Regum Chronologia conſpici certò poſſet, cur non Saxo Grammaticus, qui vicinior his fuit, quàm Crantzius, Regibus ſuis, ſi non omnibus, certè frequentioribus tempora ſua addidit? ſaltem in Dano primo id feciſſet, vt certum ac definitum eſſet (tam altum præſertim) Danici Regni initium.

Gothicæ Chronologiæ incertitudo.

Ipſe etiam Ioannes Gothus, cùm Regibus Danicis Gothicos æquales vbique opponat, addere etiam tempora debuerat, ſi poſſet, quibus æqualitatis huius conſtaret ratio.

Quinimò, vti cætera omittamus, ipſe Catalogus Regum, quem Gothus exhibet ad tantam gentium iſtarum vetuſtatem ſolidè demõſtrandam, idoneus non eſt, ob defectus duos; quorum alter in tẽporum incertitudine, alter in perſonarũ paucitate eſt. Deeſt enim certitudo temporum; quia nuſquam definitè dicitur in Regũ ſerie, quando præcedenti ſequẽs ſucceſſerit, quanto tẽpore eorũ quiſque regnauerit: ſed vbique tempora in cumulum, idque per coniecturam conijciuntur. Deeſt etiam idonea perſonarum plenitudo: cùm temporis interuallum ab initio principatus Gothici vſque ad Chriſtum (quod hic diſquirẽdum venit) vaſtius ſit, quàm vt tam exiguo Regũ numero impleri potuerit. Vtcunque enim Chronologi alij aliter tumultuẽtur, tamen inter exactiſſimos id fere conuenit ſecũdum hebraicam veritatem, Chriſtũ eſſe natum, expletis propemodũ poſt orbem conditũ quatuor ãnorum millibus: Detrahe his igitur annos 1656. qui vſq; ad Diluuiũ, & 175. qui hinc porrò ad Magogum vſq; effluxerunt, qui ſimul efficiũt mille octingentos triginta vnũ annos;

nos;quibus remotis remanent à Magogo vſq; ad Chriſtum bis mille centũ & ſexaginta nouem: intra quod tẽpus non niſi quadraginta reges fuiſſe Gothis,quos Ioãnes Magnus recenſet,cuinã veriſimile videatur? Aut igitur plures fuiſſe Gothorũ Reges,aut primum eorum longè fuiſſe recentiorẽ,quàm Gothus aſſerit,planè arbitror; nec ipſe quidẽ Gothus videtur id inuitus agnoſcere, qui aſſerit ſe totis ſexcentis annis, qui inter Ericum, primum eius nominis Gothorũ Regem,& Bericonem interſunt, nihil potuiſſe in archiuis inuenire,præter nuda ſeptem Regum nomina, qui interea temporis regnauerunt. Totum igitur Catalogum hunc retexere, vt longum, ita etiam inutile fuerit; cùm nobis non de Gothorum ſed de Danorum Rege primo controuerſia ſuſcepta ſit: Hunc enim longè recentiorem eſſe deprehendimus, quàm à Ioanne Magno prædicatur; idque ex eodem in temporibus perſoniſque defectu,de quo ſupra diximus. Primùm enim Saxo Grammaticus nihilo magis Regum Danicorum tẽpora diſtinxit,quàm Ioãnes Magnus Gothorũ: Deinde cùm à Dano primo vſq; ad Chriſtum nõ plures quàm viginti octo Reges fuerint, longius etiam ſpatiũ temporis Crantzius his aſſignauit, quã quod hi explere potuerint. Nã cùm Chriſtus natus ſit regnante Frothone eius nominis tertio, qui Regum Danicorum ab initio viceſimus octauus fuit,cuinam veriſimile fiat, his regnantibus effluxiſſe Danis annos mille trecentos & octo, qui à Chriſto colligũtur ad Gedeonẽ,cuius æqualem fuiſſe Danum aſſerit Io. Magnus? Nec enim plures,aut pauciores, aut alios, ſed hos ipſos interea tẽporis fuiſſe Danorum Reges,qui recẽſentur à Saxone Grãmatico abundè cõuincit Gothicorum,

Dan primus Danorum rex, quo tempore fuerit.

corum,Sueuicorum, & Noruegicorum Regum collatio,qua horum ſingulis æquales ſui vbique aſſignati pulchrè reſpondent, vt apud Saxonem Grammaticum, Ioannem Magnum, & noſtros quoque ſcriptores apparet. Henricus Pantaleo calculum hunc,dum adhibita ſupputatione illuſtrare conatur,magis ſuſpectum fecit:ſingulis enim regibus æqualiter attribuit annos quinquaginta.In hoc enim calculo,non illud incommodi ſolum eſt,quod ea ſupputatione centum fere annis vltra tempora Gedeonis excurrat; ſed illud etiam,quod Regum tēpora nimis inconſultè confundat.Adeo enim verum nō eſt, iſtos Danorum Reges regnaſſe æqualiter annos quinquaginta, vt nemo eorum omnium ad eos peruenerit,præter vnum ac ſolum Frothonem tertium: fuerunt enim qui quatuor, qui tres, qui vnū annum; fuerunt qui vnum diem vix impleuerunt; nec pauci fuerunt,qui vnà cum alijs regnauerūt: quorum etſi perſonæ Catalogū numero augeant, tempora tamen ſpatium duratione non explent.

H. Pantaleonis calculatio.

Regū Danicorum inæqualia tempora.

Cautior itaq; Pantaleone Crantzius, qui cùm, vt hîc apparet, in finito facilè deprehendi poſſit falſitas, in infinito non poſſit, noluit hoc hulcus tangere,& locum ſeruauit hyperbolę ſuę, qua Saxonibus vbique adſtruit annos ante natū Chriſtum plus quàm mille.

In hunc igitur finem commento nouo ex Cimbris Danos fecit *a*, vt Cimbris ita extinctis, eorū antiquitatem Danis arrogaret,cùm Cimbros antiquiſſimos fuiſſe vulgo facilè perſuaſerit: Nam cùm productis authorum teſtimonijs docuiſſet, Cimbros veteri Gallorum ac Germanorum lingua latrones dici, quod longè lateque latrocinando graſſati ſint,infert hoc nomen non gentis pro-

a Saxon. lib. 1. cap. 8. 9. 10.

Crantzius Cimbros ad nihilum redigit.

proprium, ſed à mala iniecta qualitate (ſic enim loquitur) appellatiuum eſſe. Ideoque cùm Dani, Saxones ac Vandali, vt ipſe dicit, ex iſta Cherſoneſo, quam viciſſim tenuerunt, latrocinati ſint, diſquirit, quibus nam ex his maximè conueniat nomen Cimbrorum, multisq́ue in omnes partes diſputatis, concludit pro Danis, quod hi & omnium latiſſimè ſint latrocinati, & tum temporis Cherſoneſum tenuerint, cùm Cimbrica expeditio in Italiam fieret, vt ex hinc Danos ſcilicet cum Teuthonibus expeditionem hanc feciſſe ſignificet. Atque ita quidem Crantzius, vt fictitiã quãdam antiquitatis opinionem Saxonibus ſuis apud imperitos conciliet, lectorem veritate, Danos virtute, Cimbros vita ſpoliat ac priuat.

Cimbros fuiſſe gentem ſui generis, non autem nomen appellatiuum.

Propria autem gentium atque hominum nomina, ob qualitatem aliquam eorum, quibus ea primitus inerant, appellatiua fieri, & alijs attribui, in quibus eadem qualitas notatur, neque nouum eſt, neque mirum: Crantzius tamen interim non ignorat, hæc ipſa ſic fieri appellatiua vt ijs tantum appellatiua fiant, quibus propria non erant; ijs verò quibus propria erant, eſſe non deſinant. Horum igitur nec eſſentia, neque nomen participatione extinguitur.

à Vandalia lib. 1. cap. 6.

Crantzius enim, vbi de Vandalis loquitur, à qui Schlaui ſunt appellati: Hodie tamen (inquit) ad ſummam indignitatem apud nos traductum eſt nomen: quod cùm noſtræ regionis Vandali « ſint hodie grauiſſima preſſi à Saxonibus ſeruitu- « te, ſeruiles homines & vltimæ ſortis mancipia, « Sclauos cum indignatione ſolent vocitare.

Etſi ergo proprium huius gẽtis nomen à mala ſeruilitatis iniecta qualitate vertatur in appellati

uum,

num, quod ſeruis ac mancipijs aptatur; videt tamen ipſe Crantzius nihilo minus & gentem ipſam ſubſiſtere, & ſolitum nomen, quod antea proprium erat, retinere. Gothorum ſiue Gutarum nota gens eſt, hoc proprio nomine ſic appellata, quæ, vt alias complures nationes, ita & Belgas olim diu multumque vexauit. Gutis tandem exturbatis, cùm eorum reliquiæ ob ſcurrilitatem in contemptum veniſſent, Gutæ à Belgis, à mala hac ſcurrilitatis iniecta qualitate, ſcurræ appellati ſunt, & appellantur etiam hactenus ſcurræ Guten; tamen interim in ſua gente nihilominus durant, & nomen proprium, quod antea habuerunt, hactenus conſeruant.

Cæſaris Augusti priuignus, qui Germaniã afflixit, ꝓprio nomine Druſus appellabatur: eius autem hoc proprium nomen à mala crudelitatis iniecta qualitate in appellatiuum conuerſum eſt, maximè apud Veſualos, vbi homines inſigni crudelitate notabiles Druſos vocant; nec tamen inde ſequitur, aut nullum fuiſſe hominem, qui proprio nomine Druſus vocaretur, aut nomen hoc proprium, quod haberet, hinc amitteret. Poteram huiuſmodi exempla infinita huc congerere, ſi opus eſſet in ipſa meridie lucernam accendere.

Itaque tametſi Cimbrorum proprium nomen, quo illi ab authoribus ante multa ſecula celebrati ſunt, à mala iniecta qualitate vertatur in appellatiuum, vt Cimbri dicantur quacunque lingua, qui latrocinandi ſtudio tenentur, ob id quod Cimbri id quondam fecerint, non deſinũt tamen Cimbri hinc vel eſſe, qui dudum erant, vel nomen proprium retinere, quod antea habuerunt.

Vtcun-

Vtcunq; igitur Crantzius Danos in latrocinandi ſtudio Cimbris ſimiles faciat, nunquam tamen efficiet vt ijdem Dani ſint, qui Cimbri, cùm ſubſtantia ipſa longiſsimè inter ſe diuerſi ſint.

Dani non ſunt Cimbri.

Nec enim Clitarchus, Ephorus, Plutarchus, Appianus, Strabo, Ptolemæus, homines Græci, de Cimbris aliter, quàm de certa gente loquuntur, proprio nomine ſic dicta: & Cæſar, Liuius, Florus, Eutropius, Oroſius, & cæteri ſcriptores Romani de Cimbris, vt de Germanica gente loquuntur; cuius hoc proprium nomen fuerit, non aliter, quàm de eorum ſocijs, qui Teuthones ac Tigurini dicti ſunt. Cornelius etiam Tacitus in eo libro, quo Germanorum mores docet, inter cæteras etiam gentes Cimbros nominatim recenſet, ijſque Cherſoneſum iſtam ſedem propriam ducentis amplius annis ante memoriam ſuam fuiſſe indicat.

Quocirca ne cui Danorum, Saxonum, ac Vandalorum iſta ſucceſsione, qua eos Cherſoneſum occupaſſe dicit Crantzius, nec probat, Cimbros veros Cherſoneſi ſucceſſores elidat, hoc dicimus. Primò, Cimbros, Danos, Saxones, ac Vandalos, quatuor gentes eſſe diuerſas, proprijs nominibus diſcretas. Deinde, Cimbrorum ſedem eſſe propriam, quam Tacitus eis aſsignauit, Cherſoneſum iſtam, quæ ex ipſis Cimbrica dicitur. Tertiò, inter Vandalos ac Danos nunquam eſſe certatum de poſſeſsione Cherſoneſi, ſed ſemper de corona regni mutui; ſicuti Saxo Grammaticus in Danorũ Rege Helgone & Rege Vandalorum Scalco proponit, & in cæteris deinde proſequitur. Quartò, quod inter Saxones ac Danos nõ de tota Cherſoneſo, ſed de vna tantùm eius parte, quæ Vytlandia dicta fuit, & nunc Ducatum

Cimbri, Dani, Saxones, Vandali diuerſæ gentes.

tum Sleſuicenſem continet, contentio fuerit. Qua de re cùm infra ſuo loco plura ex profeſſo dicturi ſimus, in præſenti ſaltem hoc dicimus, ex ipſius contentionis interuallis manifeſtè deprehendi, Danos nihilò magis, quàm Saxones, imò verò horum neutros eſſe Cimbros: Nam cùm Cimbri relicta Cherſoneſo Italiam petierint, anno ante natum Chriſtum III. ſicuti ex Cornelio Tacito calculatur *a* Regum Danicorum Catalogus (de quo alibi *b* plura) conuincit, iam tum ducentis fermè annis Saxones cum Danis contendiſſe, præſentibus vtique tum adhuc Cimbris; & poſt expeditionem rurſus vel relictis, vel reuerſis, certè præſentibus vtique tum de integro Cimbris, Danos cum Saxonibus contendiſſe non minus iterum, quàm ducentis annis idem Catalogus docebit. Qui quidem Cimbri, cùm nomen hoc ſuum ad ætatem vſque Taciti vtcunque tutati ſint, vt Cimbri dicerentur, rationem ſuo loco reddemus, *c* cur idem mutato nomine poſtea Vitæ, & ad extremum Iutæ vocati ſint; & qui fons, quæ origo fuerit controuerſiæ inter Saxones ac Danos de Vytlandia ſuprà dicta Cherſoneſi parte motæ.

a in lib. de moribus Germanorum.
b li. 2. c. 5.
c cap. 10. lib. 2.

Quemadmodum igitur commentum hoc non aliò ſpectat, quàm vt inani quadam Danicæ antiquitatis ſpecie Saxonum vetuſtas oſtentetur, ita ſatis arguit Crantzium vero calculo deſtitutum, primam Saxonum ſedem, non niſi hyperbolicis iactantijs fulcire.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

TEMPORVM RATIONE CRANTZIUM perperam aſtruere antiquiſſimam Saxonum ſedem eſſe Veſualiam.

CErtiori itaque temporum definitione Saxo Grammaticus nos inſtruet, ſi ductum eius rectè ſequamur; nam etſi maiorum incuria intermiſſam Chronologiæ certitudinem in ſingulis aſſequi non potuit, Regum tamen Danicorum catalogum ab exordio nobis cõtinuum deduxit, vſque ad Chriſtum: Cum quibus proinde ſingulis, ſi æquales Saxonum, Vandalorum, Noruegorum, Gothorum, Sueonum, Anglorum, Friſiorum, & reliquarum gẽtium principes, cum quibus res Danis fuit, diligenter conferantur, ex mutua eorum colliſione veritas erui non difficulter poteſt. *Saxonis Grãmatici vtilitas.*

Quocirca cùm Ioannes Magnus Gothus Iuthonem nominet antiquiſsimum Saxonum ducem, eumque ęqualem faciat Dano primo Danorum Regi, omnes ab hoc Dano Reges, qui catalogo iſto continentur, vſque ad natalem Chriſti, collatione principum noſtrorũ per tempora ſua diſtribui ac deſcribi commodiſsimè poſſunt. *Regũ Danicorum et Friſicorum collatio. Iutho.*

Quod equidem quò euidentius appareat eſſe verum, nos Aeram Danicam terminis Aeræ Friſonicæ concludemus. Primùm, quia reliquæ gentes illæ ſupradictæ, Britannis fortè exceptis, prorſus nullam habent ante natum Chriſtum diſtinctam temporum certitudinem, quam nos habemus exactiſsimam: Deinde, quia & ipſe Iutho noſtras fuit, etiamſi Saxonum Dux vocetur, vt infra patebit; a & proinde non aliunde certius *Cur temporum certitudo à Friſiis petẽda ſit. a Cap. eo. lib. eod. infra.*

acta eius cognoſci poſſunt, quàm ex Archiuis patrijs, ex quibus & maiores eius, & nepotes, quibus cum Danorum Regibus res fuit, liquidò intelligi pooterunt.

Itaque huius Iuthonis occaſione apparebit, nō modò veriſsimam eſſe hiſtoriam de Friſone, Saxone & Brunone, quam Crantzius veluti fabulam exſibilare conatus eſt; ſed & principium regni Danici, & cauſa cōtrouerſiæ patefiet, quæ inter Danos ac Saxones de Iuthia fuit. Quæ omnia ac ſingula veriſsima eſſe nemo etiā negare poterit, ſi vt domeſticis, ita etiā externis teſtimonijs ritè comprobata viderit, quod hic futurum eſt.

Caput Æræ Friſonicæ in exceſſu Alexādri Magni. *Inter mortē Alexandri Magni & natiuitatē Chriſti an. 321.*

Conſtituimus autem æræ Friſonicæ & Saxonicæ commune caput in exceſſu Alexandri Magni, quod has gentes exercitus Macedonici reliquias eſſe aſſeramus, & baſin eius finiendæ temporum incertitudini collocamus in natiuitate Chriſti; totumq; hoc ſpatium, quòd inter extremos hoſce terminos interiectum eſt, metimur annis trecentis viginti & vno: intra quos omnes iſtos ſupradictos viginti octo Danorū Reges & cepiſſe & finiuiſſe ſole clarius demonſtrabimus.

Teſtes antiquitatis.

In quo comprobando teſtimonium nobis ferent probati ſcriptores: ex noſtratibus quidem Solco Fortemanus, Occa Scarlenſis, Ioānes Flieterpius, Cappidus Staurienſis, Vorperus Thaboritа, Andreas Cornelius, Suffridus Sterckenburgius; qui ſinguli quales ſint lector cognoſcere poteſt ex opere noſtro de Friſiæ ſcriptoribus: extranei autem nobis teſtes erūt; ex Danis quidem Saxo Grammaticus, & Petrus Paruus; ex Saxonibus Varnerus Veſualus, Ioannes de Eſſendia, Henricus de Heruordia, Henricus Bunting, M. Hieronymus Hemminges; ex Gothis Ioannes Mag-

Magnus, & Olaus Magnus; ex Germanis Henricus Pantaleo.

Primùm igitur, quia baſis æræ noſtræ, quãtum ad hoc propoſitum attinet, in natiuitate Chriſti coHocatur, applicemus primùm annis Chriſti annos Frothonis tertij, quo regnante natum eſſe Chriſtũ nemine contradicente, teſtantur omnes, vt ſolido fundamento iacto ratum firmumque faſtigium imponatur.

Aeræ Danicæ ac Friſonicæ, quãtum ad hoc propoſitum attinet, cõmunis baſis in Frothone 3. ei⁹ nominis Danorum rege.

Quanquã autem Saxo Grammaticus in deducenda huius regis vita nõ ſemper naturalem, ſed interdum arbitrarium ordinem ſequatur, tamen hoc ipſum conſideranti ex ipſis temporibus, quæ hic proponit, difficile non eſt colligere Frothonem hunc regnaſſe annis quinquaginta, & ſub finem vltimi natum eſſe Chriſtum.

Collectio igitur per partes ex vita Frothonis, quæ apud Saxonem extat, *a* huiuſmodi iniri poteſt. Frotho ætatis ſuæ anno 7. regnum ſuſcepit; anno 14. vxorem duxit, & habuit pacem per triennium: anno 17. bellum Noruegicum confecit, & pacem rurſus habuit per triennium: anno 20. confecit bellum aduerſus Hunos ac Sueuos, & habuit pacẽ deinde per ſeptẽnium: anno 27. confecit bellum Britannicum, & pacem habuit per annos continuos triginta; quibus elapſis vita defunctus eſt año ætatis ſuæ 57. Regni Danici quinquageſimo, paulo poſt natiuitatem Chriſti.

a *Lib. 5. per totum.*

Chronologia vitæ Frothonis.

Suffragatur huic calculo Io. Magnus, *b* qui ſcribit Ericũ Diſertũ, Frothonis huius intimũ, Sueonibus imperaſſe annis 38. & Chriſtũ natũ eſſe anno Erici 34. Ericũ autem Frothoni 4. annis fuiſſe ſuperſtitẽ, nõ modò ex Io. Magno *c*; ſed etiam ex ipſo Saxone Grãm. conſtat *d*, qui diſertè ſcribit, Danos mortẽ Frothonis ſubditos cælaſſe annis

b *Libr. 4. cap. 31.*

c *Ibidem.*

d *Eodem lib. 5.*

tribus, & quarto demum anno illi ſuffectum eſſe Hiarnum, quo regnante mortuum eſſe Ericum.

Collectio annorum à baſi ad caput Aeræ.

Baſis igitur huius æræ incidit in annum orbis 3979. Vrbis 752. Auguſti Cæſaris 42. Frothonis vltimum, Chriſti primum; ex quo, ſi calculum ſurſum ducas, omnibus Frothonis & antecedentium Regum annis in vnum collectis, principiũ Regni Danici comperies infra annum trecenteſimum ante natum Chriſtum. Quod quidem ſi ad demonſtrandum nõ magis operoſum eſſet, quàm difficile, per partes hic declarare non pigeret, quod aliâs proinde commodius facturi ſumus.

Saxo Saxonicæ gentis conditor quando in Saxoniam appulerit.

a In laude antiq. Saxoniæ.

Inuenta igitur Aeræ baſi, reſtat indagandum caput: Saxo autem Saxonicæ gentis conditor ad Hadeleriam appulit anno ante natum Chriſtum trecenteſimo; quod non modò ſcriptores noſtri prodiderunt, ſed & Varnerus quoque Veſualus diſertè ſcripſit, *a* ſicuti & ante illum Ioannes de Eſſendia, & Henricus de Heruordia, & Gobelinus. Septem autem annis ante aduẽtum Saxonis, Dan primus Daniæ Rex cõſtitutus fuit; vt ex Danicis, Gothicis, Sueuicis, ac Friſicis ſcriptoribus, conſtat: quorum veritas quo propius conſpici queat, Iuthonem tandem expediamus.

Iutho quis fuerit.

Fuit autem hic Iutho, qui primæuo nomine VVytt, & progreſſu temporis ab exteris Vitto, & Vitho, & ad extremum Iutho dictus fuit, Friſonis conditoris noſtri filius, qui anno ante natum Chriſtum trecenteſimo octauo vxorem duxit Cumeram, Bocchi Cimbrorum Regis filiam; cum qua in dotem à ſocero accepit partem Cimbricæ Cherſoneſi illam, quam nũc Ducatus Sleſuicenſis complectitur, & tandem toti Cherſoneſo nomen Iutiæ ex illius nomine indidit, vt infra dicetur latius. *b*

b Cap. 10. lib. 2.

Iutho

Iutho autem inſequēti anno,cùm animaduerteret Danos protectione Sueonum deſtitutos nō difficulter occupari poſſe, ſubnixus auxilio ſui patrui Saxonis,qui tum piraticam agebat,Daniam inuaſit.Dani autem impetrata venia, Humblo Sueonum Regi,à quo defecerant,reconciliati ſupplicarunt, vt ſibi contra Saxones, quorum potentiæ reſiſtere non poterant, ſuppetias ferret, quibus ille duos filios ſuos Danum & Angulum ſubſidio miſit;qui valido exercitu ſubnixi, Iuthonem cum Saxonibus ſuis Dania rurſus expulerunt. Ab hoc autem Dano ſubditi Dani,& prouincia ipſa Dania vocata fuit, qui imperauit annis viginti; cui defuncto ſuffectus eſt maior natu filius Humblus, anno ante natū Chriſtum 287.& imperauit anno vno Danorum rex ſecundus,eodemque anno vxorem duxit Adelam Iuthonis filiam,ex qua filium vnum ſuſtulit nomine Danum. Anno autem inſequenti Lotherus Dani filius natu minor, fratrem Humblum regno exuit, & regnat ipſe annis ſex Danorum rex tertius;qui vt aduerſus fratrem iniquus, ita in ſubditos crudelis fuit, in quos immaniter graſſatus eſt.In principio etiā Regni ſui fratris filium infantem clam de medio tollendum curauit, ne quando paternæ iniuriæ vindex eſſet.Iutho verò his grauiter offenſus, quinquēnio poſt oblata occaſione,cùm Lother' bello Sueones fatigaret, contractis Cimbrorum, Saxonum, ac Friſiorum copijs,Daniam iterato inuaſit,eo propoſito, vt generum Humblum in regnū reduceret, & mortem nepotis ſui vindicaret, ſatis certus ſe Danos non admodum aduerſantes habiturū, quos Lotheri ob tyrannidem iam diu tædebat. Lotherus autem hac re cognita, Sueones ex hoſtibus

Dan Daniæ, Angulus Angliæ veteris rex.

Humblus 2. rex Danorum.

Lotherus 3. rex Danorum.

Iutho Daniam iterato inuadit.

auxiliares fecit, eorumque ope ſubnixus in Daniam aduolauit; vbi commiſſo acerrimo prælio, Humblus occubuit: victor Iutho Lotherum captum ſuis tradidit. Pax ita compoſita fuit, vt Lotherus ſcelerum ſuorũ pœnas lueret, & quia Humblus ſtirpem non reliquerat, Skioldus Lotheri filius, in quo indoles videbatur eſſe bona, patri in regnum ſufficeretur: inter Cimbros ac Danos perpetua deinceps pax eſſet. Itaque Lotherum Dani obtruncarunt; Skioldum puerum Iutho cum conſenſu procerum Daniæ ſecum in Iuthiam duxit, omniq; tum ciuili tum militari diſciplina ſic excoluit, vt talem ſe patriç patrem præſtiterit, ob cuius excellentiam omnes deinde Danorum Reges nominari voluerint Skioldingi.

Lothero interfecto Skioldus filius ſufficitur Danorum rex quartus.

Skioldingi

Hæc igitur (vt à noſtris ſcriptoribus eſt traditum) occaſione Iuthonis à tribus Danorum regibus intra viginti annos ab initio regni Danici acta ſunt. Quibus quo modo ſuffragentur etiam ſcriptores extranei, operæprecium eſt audire.

Ac Iuthonis quidem meminerũt nominatim Io. Magnus Gothus, & ex eo Henricus Pantaleo, & M. Hieronymus Hemminges, & nonnulli alij, qui Principum Saxonicorum genealogias texũt, qui hunc in ducum ſuorum linea ſupremum faciunt. Ioannis Magni verba hic ita vt ſunt proponemus, quemadmodum author ipſe poſuit: a

a Cap. 2. lib. 2. hiſt. Goth.

„ Euolutis deinde aliquot annis, (inquit) Hu-
„ mulus Humulphi nepos, ad auiti regni ſceptra
„ peruenit, cuius tempore cùm Dani animaduer-
„ tiſſent, maximã Gothorum multitudinem cum
„ Rege ſuo Bericone olim in alias terras emigraſ-
„ ſe, eoque potentiam Gothorum, qui in patria re-
„ manſerant, & ad mutuas diſſentiones redierant,

plu-

plurimum extenuatam, non diſtulerunt Gothicum Imperium, cui per multa ſæcula paruerant, à ſuis ceruicibus excutere. Quod cùm Saxones prudentius conſideraſſent, mox arma in Danos, duce quodã Iuthone (à quo Iuthia, vel Iuthonia nomen accepit) conuertebant, nihil dubitantes, quin ſicut Principatui Gothorum ſe incautè ſub duxerant, ita etiam eorum neceſſaria ope ſe non ſatis prudenter ſpoliauerant. At Dani in eas difficultates adducti, cùm viderent ſe Saxonum potentiæ nequaquam reſiſtere poſſe, Humulum denuò ſupplices adeunt, impetrataque errorum venia, in gratiam recipiuntur: eisque duos filios ſuos Danum & Angulum, quos ex Geſilda nobiliſsima coniuge Suetica ſuſcitauerat, præficiendos curauit, qui valido exercitu muniti, commiſſo acerrimo prælio, Daniam, (quæ tunc primùm à Dan nomen accepit) fugatis inde Saxonibus, liberauit. Et conſequenter idem proximo capite tertio: Hic enim eſt (inquit) ille Dan Humuli Gothorum Regis filius, quem pater Danis primum Regem conſtituit, duoque ei præcepta tradidiſſe memoratur. Primum, ne in aliqua parte Daniæ delubra conſtrueret, ſed apud Vpſalam Sueorum metropolim diuinitatis cultum venerabundus proſequeretur: Alterum, vt conſiderata Danicæ telluris anguſtia, nulli, niſi grauiſsima laceſsitus iniuria, bellum inferret. Angulus autem Dani frater, cùm ad regni conſortium admitti contenderet, à fraternis inſidijs vix elapſus, in Angliæ regnum fuga ſeruatus euadit. Crediderim tunc parum abfuiſſe, quin Danicum Regnum fraterno ſanguine fundatum fuiſſet, quemadmodum Romanum, quod longè poſterius ſurrexit, de quo ſcriptum eſt:

Dan primus Danorum Rex.

Angulus Dani frater Rex Angliæ veteris ſiue Iuthianæ.

" *Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.*
" Attamen Saxo Danicus affirmare videtur, " Angulum Angliæ regno præfuiſſe, nomenq́; ſuum prouinciæ, cui præerat, aptandum curauiſſe. Hactenus ille. Cuius verba propterea fuſius hic retulimus, quod in ſequentibus his opus futurum ſit. Quæ quidem vt cùm archiuis noſtris rectè congruere declarētur, in primis hoc eſt conſtituendum: Eundem hunc Danum à nobis hic prædicari primum Danorum Regem, quem & Saxo Grammaticus, & Ioannes Magnus tradit, & vterque facit Humbli filium, & Anguli fratrem; non alium inquam, ſed illum ipſum, à quo velut à capite Regum Danicorum catalogus dependet.

Hic author malè intellexit Saxonē de Angulo loquēti, vt infra declarabitur.

Conſtituendum etiam eſt, Iuthonem non alium eſſe apud Ioannem Magnum, quàm hunc ipſum, quem nos dicimus Vithonem Friſonis filium: Ab hoc enim Ioannes Magnus atteſtatur Iuthiam ſiue Iuthoniam eſſe dictam; & nos hujus rei cauſam aſsignamus, & rationem nominis mutati reddimus infra, vbi ex profeſſo declaramus, qui ſint apud Bedam Vitę, & cur ijdem apud Saxonem & Crantzium dicantur Iutæ. *a*

a cap. 10. lib. 2.

Aequales igitur fuiſſe hunc Danum & hunc Iuthonem, non modò præſens ſupradictorum authorum teſtimonium, ſed & mutua actorum cōmunicatio conuincit, quæ vtramque hanc perſonam in eadem ætate coniunxit.

Dan & Iutho æquales.

Nam cùm Iutho cum Saxonibus inuaſiſſe Daniam, & Dan Iuthonem cum Saxonibus Dania rurſus expuliſſe vtrimque dicitur, rectè nimirum colligimus, eodem tempore vixiſſe Danum & Iuthonem.

Idem etiam arguunt acta filiorum ac nepotum

tum vtriuſque,quos non minus inter ſe tempore coniunctos fuiſſe quàm parentes ipſorũ proximo capite apparebit.

Hoc cùm ita ſit,apparet Danum inchoaſſe Danorum Regnum, anno ante natum Chriſtum trecenteſimoſeptimo: Hoc enim anno æqualis eius Vitho primam expeditionem ſuam in Daniam fecit, cuius occaſione ipſe Dan mox Daniæ Rex conſtitutus fuit. Nec verò antiquiorem haberi Iuthonem patitur, vel conſanguineorũ eius æqualitas, qui eadem illa tempeſtate fuerunt in viuis, vel Aeræ Friſonicæ ratio, cuius caput ab exceſsu Alexandri Magni pendet, qui obijt anno ante natum Chriſtum 321. vt ſupra diximus. *Regni Danici principium.*

Ex quo manifeſtius apparet error temporis, quem & ſupra coarguimus, quo Ioannes Magnus, & qui illum ſecuti ſunt, Danum tempore Gedeonis fuiſſe aſſerunt, cùm is calculus hinc deprehendatur à veritate exorbitare pluſquam integris nongentis ac nonaginta annis.

Vnde & illud porrò manifeſtè conſequitur, hiatum illum, qui apud Ioannem Magnum inter Gothorum Reges, Ericum primũ & Bericonem, de quo ſupra diximus [a], longè pluribus quàm ſexcentis annis intermedijs duraſſe; vtcumque inter cæteros tum præcedentes, tum ſubſequentes rectè continuata ſucceſsio fuerit. [a] *cap. 4. lib. 2.*

Habemus igitur iam baſin Aeræ Danicæ in Frothone tertio, habemus caput eiuſdem in Dano primo Danorum Rege: & numeramus à primo Dani anno ad vltimum tertij Frothonis annum, qui Chriſti primus eſt, annos intermedios ſeptem ſupra trecentos. *Collectio annorum Regni Danici ante natum Chriſtum.*

Quod quidem ſicut vtrimque ſolidis argu-

mentis demonſtratum eſt, ita ex intermedio tem pore intermedijs Regibus diſpenſando hic demonſtraremus, niſi præſentis inſtituti ratio prolixitatem illam excluderet.

Dabimus tamen commodiori loco ac tempore catalogum Regum Danicorum ab exordio vſque ad Chriſtum, diſtinctis vnicuique ſuis temporibus: accommodata etiam his ipſis Ducum Saxonicorum perpetua genealogia, tam eorum, qui apud Saxonem Grammaticum, Albertum Crantzium, Ioannem Magnum, quàm etiam eorum, quos vel apud noſtros, vel apud quoſcunq; alios ſcriptores hactenus reperire potuimus.

Saxones aduenæ in Germania primã ſedem ad Hadeleriã occupant.

Ex his autem, quæ ſupra diximus, iam ratio temporum conuincit, Saxones in Germania eſſe aduenas, & primam eorum ſedem fuiſſe circa Hadeleriam.

Reges ac Principes Aquilonares in Germania interſe æquales.

Apparet hinc principiũ & origo controuerſiæ, quæ inter Danos ac Saxones de Cimbrica Cherſoneſo fuit: Apparet eam exortam eſſe, & flagraſſe inter eos Cimbris adhuc præſentibus, & proinde diuerſas eſſe gentes Danos, Saxones ac Cimbros: Apparet hinc definitum exordium Regni Danici, cuius primus Rex ante Saxonis aduentum anno ſeptimo cœpit, poſt aduentum eiuſdẽ anno decimo tertio deſijt imperare Danis: Apparet hinc denique, adueniente Saxone, Danum in Dania, Angulum fratrem eius in veteri Anglia, Bocchum in Cimbrica Cherſoneſo, Humblum in Gothia & Sueonia, Friſonem in Friſia principatum tenuiſſe, eosque omnes principes in regnis Aquilonaribus inter ſe æquales extitiſſe.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

PERSONARVM ILLVSTRIVM RAtione perperam aſtruere Crantzium, antiquiſſimam Saxonum ſedem eſſe Veſualiam.

TEmporibus diſtinctis, recta cōſequentia ſubiungendæ ſunt perſonæ, quarum gratia cætera omnia comparantur, nec eſt vllum argumentum arguendæ gentium vetuſtati efficacius, quàm familiarum illuſtrium antiquitas, quæ diuturnitate ſua declarat, quàm longo temporis ſpacio præſentem locum gens ipſa incoluerit.

Itaque & Crantzius illuſtres perſonas Saxonicæ gentis, quas commemorat, nō modò poſt Ermenfridum vſque ad Carolum Magnum; ſed & ante Ermēfridum toto tempore non alibi ſediſſe contendit, quàm in media Veſualia: quo declaret, Veſualiam antiquiſſimam eſſe ſedem Saxonum, & Hadelerianam iſtam ſedem eſſe nullam. Sic enim dicit:

Sed omiſſis (inquit *a*) querimonijs de iniuria a *Saxon. li. 1. cap. 1.* linguæ Germanicæ, ad Saxones reuertamur: qui
" etſi à limite Eydoræ ab Aquilone in Mediterra-
" nea longè procurrant, tamen à vetuſtiſſima me-
" moria ante natum Chriſtum annis ſupra mille,
" etiam maria perquirentes nauigabāt per Albim,
" per Viſurgum, perque Amaſim in mare Britanni-
" cum (quod noſtri vocant Occiduum, cùm inte-
" rim Germanicum appellent Orientale) & cum
" Danis, Suecis, etiā Phinnis, qui ad Aquilonē pene
" ſunt mortalium vltimi, nō modò commercia re-
" rum & bellorum incurſus, ſed etiam nuptiarum
" fœde-

„ fœdera conciliabant. Nam bella interceſſiſſe Sa-
„ xonibus & Danis inde certum eſt, quod Iuthia
„ (quæ eſt Cherſoneſus Cimbrica, nũc parens Da-
Crantzius hic ſimulat ſe Iuthonem ignorare. nis) tum Saxonum ditione tenebatur. Quo tamẽ duce, & quo tempore Saxones eam ceperint, non tenemus: ſed tempora & regem, qui illam prouinciam Saxonibus ademit, tenemus, & in commemorationẽ vocabimus, ſi rem quæ præceſſit prius
„ attingamus.

Saxonum Duces à Crantzio nominati. Hæc ille. quibus deinde ſubiungit, Saxonum duces à Saxone Grammatico memoratos, Henricum, Syfridum, Hundingum, Gelderum, Suertingum, Haneſum, & Siuarum, & aliunde alios, quorum rebus geſtis declarare nititur, id quod propoſuit, Saxones in Veſualia ſemper egiſſe: Quos proinde ſingulos, ſi paucis ordine diſcutiamus, facilè videbit lector, omnes vel in ipſa Iuthia, vel in contermina illi Holſatia verſatos eſſe, longiſſimè certè à Veſualia abfuiſſe.

Itaque quò commodius expediamus id quod propoſuimus, ab ipſo capite, hoc eſt, à Iuthone exordiri nos oportebit, vt intelligatur, vnde Hẽricus, vnde Syfridus, vnde cæteri iſti Saxonum duces originem ducant.

Crantzij cõſilium in diſsimulando Iuthone. Callidè enim Crantzius Iuthonem diſſimulauit, vt ex ei⁹ verbis ſupra allegatis manifeſtè colligitur, cùm alioqui eum & recenſere debuerit, qui Saxonicorum Ducum primus eſſet, & occaſionem dediſſet controuerſiæ inter Danos ac Saxones de Iuthia motæ, & ex Danorum, Gothorum, Friſiorumque fontibus eius notitiam habere potuerit.

Moleſtum enim id fuit Crantzio, quod vt temporis, ita & perſonæ ratione Iutho eius intentioni repugnaret: Iuthonem enim ex Veſualia quo modo

modo educeret, qui & Friſius fuit, & à patre ſeptimam Friſiæ Zelandiam accepit, quæ ab alluente Eidora fluuio Eidorenſis dicitur, Iuthiæ & Holſatiæ contermina, & eiuſdem Iuthiæ partem à ſocero in dotem accepit & incoluit, quæ ab ipſo Vitlandia dicta fuit, & Iuthia, & Iuthonia?

Iutho non habitauit in Veſualia.

Sequitur Iuthonem nepos ſuus Henricus, qui apud Crantzium a ex Saxone Grammatico b Saxonicorum Ducum primus eſt, quem & ipſum non in Veſualia, ſed in Iuthonia ſeu Iuthia, hoc eſt, auita ſede habitaſſe facilè apparebit, ſi & patris eius intermedij conditionem prius explicemus.

Henricus in Veſualia non habitauit.
a Saxon. li. 1. ca. 2.
b lib 1. Dan. hiſt.

Diximus autem ſupra ex Archiuis noſtris de ſecunda expeditione Iuthonis in Daniam, de morte Humbli, de ſupplicio Lotheri, de inauguratione & educatione Skioldi; quibus omnibus ac ſingulis abundè ſuffragatur Saxo Grammaticus, etiamſi Iuthonis mentionem nominatim nō faciat. Reſtat iam quintus Danorum Rex Gramus, Skioldi ſupradicti filius, à quo Henricus eſt interfectus.

Gramus Danorum Rex 5.

Habuit autem Iutho filium nomine Vbbonē, qui ex Grytha Geroldi Saxonis filia, ſuſtulit filios duos Vithonem ſiue Vittonem, & hunc Henricum. Quamdiu autem in viuis Iutho fuit, in ſumma tranquillitate dotalem ſuam Vitlãdiam in Cimbrica Cherſoneſo poſſedit. Iuthone autē defuncto, Gramus, qui quatuor annis cum patre, & totidem poſt illum ſolus regnauit, Vbbonem Iuthonis filium Vitlandiæ hæreditate priuare nitebatur, aſſerens eam per mortem filij Humbli, ex pacto connubiali inter Iuthonem & Humblum inito, ad coronam Daniæ eſſe deuolutam, exprobrans vltrò falſum parricidij crimen impa-

Vbbo Iuthonis filius Henrici pater.

Origo controuerſiæ de Vitlandia inter Saxones & Danos.

ctum

ctum eſſe Lothero: Iuthonem, vt manifeſtum & inueteratum Danorum hoſtem, non hæreditate ſolùm, ſed & hæredibus quoque ſuo merito eſſe priuandum. Cuius rei nomine inter Gramum & Vbbonem multis prælijs conflictatum eſt, quibus Cimbrorum vires magnopere labefactatæ ſunt; dum ob gratam Iuthonis memoriam filium eius aduerſus hoſtium iniquitatem tutari cōnarentur.

Vbbo Friſiam Eidoranam Vithoni, Vitlādiam Hērico aſſignat.

Vbbo igitur cùm Iuthianis poſſeſſionibus aſſiduo domino opus eſſe videret, qui eas aduerſus Danorum aſſultus præſens tueretur, communicato conſilio cum ſocero Geroldo, maiorem filium Vittonem, ſecundum aui Friſonis decretum, Friſiæ Eidoranæ præfecit; Henricum natu minorem præfecit Vitlandiæ: cui vt potentiam augeret, Signen, Simbli Phinnorum Regis filiam, ingenioſam, elegantem, & opulentam coniugem adſciuit.

Signe Phinnica Henrico coniūx aſcita.

Gramus Danorum Rex Henricum imparatū opprimit.

Qua re intellecta, Gramus, cū facilè proſpiceret, quid per hoc matrimonium strueretur, ipſo nuptiarum die perſonatus in Phinnia inter medias epulas Henricum, nihil minus expectātem, vnà cum multis eius amicis interfecit, ſponſamque vi abductam ſibi coniunxit; quem biennio poſt, hoc eſt, ante natum Chriſtum 232. Noruegiæ Rex Suibdagerus, auxilio Saxonum, Friſiorum, & Phinnorum oppreſsit. Et hunc igitur Henricum non in Veſualia ſedes habuiſſe hinc liquet: cui proinde, vt in Phinniam procatum iret,

Gramus interficitur à Suibdagero.

Notitiam primosque gradus vicinia fecit;

vt mirari nō debeat Crātzius, quo modo hic per Albin, per Viſurgin, aut Amiſin enauigauerit in mare Britannicum, cùm illic portum haberet in propinquo.

Eadem ratio in Syfrido eſt, qui Henrici auunculus fuit: Geroldus enim Saxonis filius ex Engela Anguli filia habuit filiam Grytham, ſupradicti Henrici matrem, & hunc Syfridum, ex quo multi Saxonũ Duces recta linea deſcendũt; qui partim apud Saxonẽ Grammaticum, partim apud ſcriptores noſtros, partim etiam alibi commemorantur.

Ex Saxone Geroldus, ex eo Syfridus, ex quo Saxonũduces Vide Saxonem Gram. lib. 1. Alb. Crant. Saxon. lib. 1. c. 3. de hoc Syfrido.

Interfecto autem Henrico, Vbbo ius omne quod in Vitlandiam habebat, cum conſenſu Vithonis filij ſui, tranſtulit in Syfridum, quod illius ſedes, quæ in Holſatia erat, vbi & pater eius Geroldus, & auus Saxo habitarunt, Iuthiæ vicinior eſſet.

Vitlandia Syfrido tradita.

Syfridus igitur in Vitlandiam immigrauit, ſed minus gratam ſenſit eſſe Cimbris ac Vitis conſuetudinem ſuam, quàm Henrici fuerat, ob interruptam lineam Iuthonis: cui proinde incommodo vt mederetur, Toſtoni cuidam Cimbro gubernationem Vitlandiæ commiſit, & quo magis eum ſibi deuinciret, etiam filiam in vxorem dedit.

Syfridus Toſtonem Cimbrum generum ſuum Vitlandiæ præfectũ conſtituit.

Toſto igitur hoc matrimonio auctus, & præfectura Vitlãdiæ ornatus, maiori fœrocia quàm prudentia Hadingo Danorum Regi bellum intulit: ſocerum ipſi ſuppetias recuſantem, incendijs, rapinis, totiusq; Holſatiæ vaſtatiõe coegit.

De Toſtone vide Sax. Grã. lib. 1. ſub finẽ Alb. Crantz li. Sax. 1. c. 3.

Hadingus autem Syfridum, ætate iam prouectum, & alioqui pacis amantem, non difficulter ad quietem complectendam compulit: Toſtonem verò poſt luctam diu vario marte vtrimque factam prouocatus, tandem monomachia confecit, anno regni ſui ſeptimo, qui fuit ante natum Chriſtum 215.

Toſto Hadingum Danorum Regem bello laceſſit. Hadingus Toſtonem opprimit.

Gramo enim Regi quinto eius interfector

Suib

Suibdagerus Danorũ Rex 6. Guthorinꝰ Danorum Rex 7. Hadingus Danorum Rex 8. Frotho 1. Rex 9. De Frothõe & Vittone Friſico vide Saxonẽ Gram. lib. 2 Vitto Freſicus à Frothone occiſus. Frotho Friſiam ſubigit. Lauica flumius.

Suibdagerus rex ſextus, & huic ſeptimus Grami ex Gro Suetica filius Guthorinus ſucceſſit, & viciſſim regnando ſimul expleuerunt annos decem: Fratri autem ſuo huic Hadingus, Grami ex Signe Phinnica filius, ſucceſſit rex octauus anno ante natalẽ Chriſti 222.& regnauit annis 13.

Hadingum ſequitur anno ante natum Chriſtum 209.filius eius Frotho primus, Danicorum Regum nonus,& regnat annis 15. qui anno regni ſui octauo Vithonem ſiue Vittonem Freſicum, Iuthonis ex Vbbone nepotem, qui in vindictam Henrici fratris ſui Danos piratica diu infeſtauerat, nauali prælio adortus oppreſſit. Inde victor ad Rheni vſq; oſtium, quod Daniæ proximum erat, omnem oram maritimam vaſtauit: Quæ prima Friſiæ ſubactio, à Danis facta, apud Saxonem refertur. Erat autem iſtud Rheni oſtium fluuius Lauica, qui olim exitu ſuo mare Lauicanum conſtituebat, nunc fere euanuit oppilatus, & terminus nihilo minus eſt inter terram Gruninganam & Friſiam Occidentalem,& prope Fisflitum ſternitur celebri ponte Gerconio, vt & ſupra dictum eſt.

Sic igitur Saxonum primis aliquot ducibus deſcriptis, qui centum annos vno minus ab exordio Regni Danici ſimul expleuerunt, ſatis dilucidè apparet, Saxonũ primas ſedes non in Veſualia, ſed partim in Friſia, partim in Holſatia, partim etiã in ipſa Iuthia fuiſſe. De cæteris enim, qui ad Ermenfridi vſque tempora cum Danis contendiſſe memorantur, idem ſentiendum eſt; cùm nõ alia contentionis ratio inter hoſce populos fuerit, quàm quæ eſſe ſolet inter finitimos de controuerſa Iuriſdictione.

Friſo enim cùm Iuthoni filio matrimonium Cim-

Cimbricum,& eo nomine Cimbricæ Cherſoneſi partem illam procuraſſet, quam nunc Ducatus Sleſuicenſis complectitur, eidem partem Friſiæ huic maximè propinquam aſsignauit, quæ à fluuio Eidora nomẽ habet, vt ſuas ditiones tum profectitias, tum aduentitias in proximo coniunctas haberet.

Friſonis conſilium in filio ſuo collocãdo.

Saxo autem, cùm Friſiorum & Cimbrorum maximè auxilio Hadelerianũ portum obtinuiſſet, in proxima Holſatia ſedes ſuas fixit, quæ non modò Friſiæ Eidoranæ, ſed & Iuthiæ quoq; Sleſuicenſi contermina eſt: Idem enim fluuius Eidora Iuthiam hanc ab Holſatia dirimit, & Friſiam alluens Eidoranam conſtituit; maximeq; vicini Friſijs Eidoranis ſunt Holſati, qui in Vilſtria & Krempis degunt.

Saxonis ſedes.

De reliquis igitur apud Crantzium expreſsis, idem planè ſentiendum eſt: Nam cùm alij ob Iuthiam, alij ob ipſam Daniam cum Regibus Danorum contendunt, horumque alij prope Hanoferam, alij in ripa Eidoræ cum hoſte congreſsi opprimuntur, locorum coniunctorum vicinitas ſatis arguit inter finitimos fuiſſe contentionem.

Reliqui Saxonum duces ſatis arguunt ſe ſedes non habuiſſe in Veſualia.

Denique Siuarus apud Saxonẽ vltimus, quem riualis ſuus Haldanus tertius, non multo ante Ermenfridi ætatem, confecit, quis dubitet, quin Geritam Daniæ Reginam vicinitatis occaſione ambiuerit, & ſe conſecuturum ſperauerit, quod animo pręciperet ſe Daniam propinquam Saxoniæ ſuæ eſſe coniuncturum?

Non eſt igitur quod miretur Crantzius, cùr Saxo Grammaticus maritimas tantùm, & non etiam mediterraneas Saxonum res commemoret: Nam cùm Saxo ex profeſſo Danorum hiſtorias ſcribat, Saxonũ res nõ alias tractauit, quàm

Cur Saxo Grãmaticus mediterraneas Saxonum res nõ ſcripſerit

quas habuerunt implicitas cũ Danicis, quæ proinde cùm maritimæ omnes fuerint, ſatis arguũt etiam mari proximos fuiſſe Saxones.

Etſi ergo præter Saxonem Grammaticum nullus extaret alius rerum Saxonicarum ſcriptor, tamẽ ex his ipſis maritimis, ad noſtrum quidem propoſitum, ſatis argumenti eſſet ad probãdum, quod ante Ermenfridum Saxones in Veſualiam non venerint.

Vitekind⁹ Saxo monachus Corbeienſ. Longè plenius idem patet ex Vitekindo Saxone, qui mediterranea deſcribit, &, vt ſupra dictũ eſt, non modò primum Saxonum aduentum ad Hadeleriam, ſed & intermedias quoque res eorum geſtas cum Thuringis & alijs nationibus, ad Ermenfridum vſque ſummatim commemorat.

CAPVT SEPTIMVM.

RERVM GESTARVM RATIONE perperam aſtruere Crantzium, Saxonum ſedem antiquiſsimam eſſe Veſualiam.

AGE igitur, quãdo ordo ſic poſtulat, vt cauſę huius effectus ſubiungatur, quoniam de perſonis iam vidimus, videamus etiã de rebus. Ex actis igitur doceat nos Crantzius in Veſualia ſemper fuiſſeSaxones; proferat aliqua eorum inſtituta inſignia; bella commemoret aliqua illuſtria, quibus declaret eos Veſualiam ſupra omnem hominum memoriam ante Ermenfridum armis ac legibus coluiſſe.

Sed de inſtitutis quidem (ne nimis prolixi ſimus) infra commodiori loco acturi ſumus, hîc res geſtas diſcutiemus, quæ tales pleræque ſunt, quas Crantzius in medium confert, vt aut ad Saxones

xones

zones omnino nihil pertineant, aut etiam arguant Saxones in Veſualia tunc nõ egiſſe, cùm iſta fierent.

Nec debet vigilanti lectori hoc non eſſe magnopere ſuſpectum, quod Crantzius omnes res geſtas Saxonum, quas Vitekindus tradidit, ad Ermenfridum vſque prorſus omiſit, excepta ſola expeditione Britãnica, & perſonas iſtas, quas Saxo Grammaticus in maritimis ſtrenuas propoſuit, vnà cum alijs tanto temporis interuallo torpuiſſe innuit.

Crantzius mediterraneas Saxonum res à Vitekindo traditas conſultò diſſimulat.

Primam igitur rerum mediterranearum commemorationẽ ſumit ab expeditione Cimbrica, cuius mentionem cùm præcipuè faciat eo fine, quo ſupra diximus, tamen ὁδοῦ πάρεργον, & obiter etiam hoc addit, etiam Saxones fuiſſe in eorum exercitu: & ne quis hinc inferret id, quod res eſt, Saxones igitur Cimbris fuiſſe vicinos, ait Cimbros Rhenum traiecturos per mediã Veſualiam feciſſe iter, & Saxones ſibi adiunxiſſe comites, vt inde appareat, illos in Veſualia tunc habitaſſe; quod æquè ineptum eſt ac cætera, quæ ſupra confutata ſunt.

Crantzius de expeditione Cimbrica.

De Cimbrorum enim itinere, ſicuti commodiꝰ alibi [a] diſputauimus, ita hic dicimus, in Veſualia tum Saxones non egiſſe; omiſsis enim argumentis alijs, quibus id conſtat, rei præſentis abſurditas euincit.

a *Cap.* 12. *lib.* 1.

Per Veſualiam enim (ſi illic Saxones tunc erant) fuerat non modò per auia, ſed etiam per terram hoſtilem Cimbros ducere: Nam cùm Crantzius Cimbros nõ alios fuiſſe, quàm Danos multis paginis aſtruat, vt ſupra patet, [b] & Danorum hoſtes capitales ſint Saxones, vt ipſe paſsim prædicat, & Saxo Grammaticus teſtatur, ipſaq́;

Cimbros per Veſualiã non feciſſe iter.

b *Cap.* 5. *lib.* 2.

res loquitur, quis credat aut Saxones tranſitum conceſsiſſe Cimbris, aut Cimbros ſigna ſua commiſiſſe Saxonibus?

Dicere enim non poteſt Crantzius reconciliationem vllam factam fuiſſe inter Saxones ac Danos, cùm paulo ante Cimbricam expeditionem in Dano tertio, & paulo poſt eandẽ in Suertingo & Haneſo diuerſum appareat, vt apud Saxonem Grammaticum videre eſt.

Verius igitur eſt, neq; Danos fuiſſe Cimbros, neque Cimbros in Veſualia repperiſſe Saxones; cùm Cimbrorum iter per Veſualiam non fuiſſe ſatis pateat ex Strabone: Danos autem non fuiſſe Cimbros cùm ſupra allegatis argumentis, tum etiam hoc præſenti ſatis conſtat, quo hic apparet, Danos cum Saxonibus tum præſentibus tum abſentibus Cimbris contendiſſe. Certè Saxo Grammaticus, ſi Cimbros agnouiſſet eſſe Danos, expeditionem tam memorabilem plenis tibijs ebuccinaret, qui eam nunc, vt ad Danos nihil attinentem, ſilentio præterit.

Nec Saxones igitur in Veſualia egiſſe tum temporis vel ex hiſce ſolis, quę iam dicta ſunt, abundè patet: nam quod Crantzius contrarium arguit *a* ex eo, quod Strabo ſcribit, Druſum in Amaſi nauali prælio aduerſus Bructeros rem egiſſe, quos partem Saxonum ipſe facit, planè falſum eſt. Nunquam enim Bructeros, qui Druſi tempore in Veſualia erant, à Saxonibus fuiſſe occupatos, ſatis locuples teſtis eſt Cornelius Tacitus, qui Bructeros ab Angriuarijs demum inde eiectos, & penitus exciſos eſſe ſcribit; Angriuarios autem ad ſuam vſque ętatem ibidem perduraſſe.

a Saxon. lib. 1. c. 12.

Aetate Cor. Taci. Saxones

Peruenimus igitur iam vſque ad ætatem Cornelij Tacit. hoc eſt, ad annum Chriſti centeſimũ, & ma-

& manifeſtè videmus hactenus in Veſualiam non veniſſe Saxones. *nondum erant in Veſualia.*

Nam quod idem Crantzius allegat de Batauorum bello ſub Veſpaſianis contra Romanos ſuſcepto, vt ad propoſitum nihil cōfert; ita Crantzij temeritatem arguit, qui aſſerit vſquam teſtari Tacitum vel Cattos eſſe Saxones, vel Batauos eſſe Geldrenſes. *Tacitus malè habitus.*

Marcomannico autem bello Saxones interfuiſſe ſi maximè probaret Crantzius, non tamen inde euinceret, eos in Veſualia tunc egiſſe, cùm etiam aliunde accedere potuerint, vt & aliæ multæ gentes.

Nam quod cum Francis eos piraticam exercuiſſe ſcribit, id in Nordalbingia potius, quàm in Veſualia eos tũ habitaſſe arguit, cùm Saxones, vt & Frãci, piratica abſtinuerint, ex quo in mediterranea venerunt, ſicut & B. Rhenan⁹ adnotauit.[a] *a Rer. German. lib. 1.*

Nam quod Eutropius & Oroſius apud eum à Valentiniano Cæſare Saxones debellatos eſſe ſcribit, id nō de alia gente, quàm de Friſijs intelligi poſſe, qui Saxonum nomine ob vicinitatem cenſiti ſunt, ipſe Crantzius, licet inuitus & ægrè, conceſsit,[b] propter loci circumſtantias, quæ Saxoniæ conuenire non poſſunt; quanquam B. Rhenanus & Hadria. Iunius id de Saxonibus Nordalbingijs intelligant. *Saxonũ nomine Friſij appellati.* *b Saxon. li. 1. ca. 17.*

Eodem etiam referendum eſt teſtimonium D. Hieronymi, quod alij aliter citant: Nam vtcunque accipiatur, Franci inter Alemannos & Saxones ab eo rectè collocantur, cùm Cauchi, quos Tacitus à Friſijs incipientes vſque in Cattos ſinuari dicit, aliâs Friſij, aliâs Saxones dicantur.

Quæ cùm ita ſint, rectè Beda AngloSaxones, qui Britanniã occuparunt, ex veteri Saxonia veteriq;

AngloSaxones vnde. teriq; Anglia, quę Iuthiæ proximæ ſunt, arceſsit; quia ſcilicet in Veſualia Saxones non erant.

Imò nec poſt expeditionem Britannicam, vbi Ermenfridum Saxones debellaſſent, in mediam Veſualiam ſunt immiſsi mox à Francis, quā ipſi tum non poſsidebant; ſed ſtipendij loco acceperunt partem Thuringiæ, prope ſyluam Herciniā & Vnſtrotum fluuium: vbi ſupereſt adhuc veſti- *Arx Saſſenburg.* gium arcis Saſſenburgh.

Lōgobardorum expeditio in Italiam. Clarius idem patet etiā ex Longobardorum expeditione, quibus in Italiā immigrantibus Saxones militarunt: ſatis enim declararunt ſe ex trans Albinis profectos eſſe; cùm reuerſi Sueuos ſedibus exturbarint, quas illi à Saxonibus dudū relictas occuparant, quas ad littora Oceani, & in veteri Saxonia trans Albin fuiſſe teſtatur Vite- *a Lib.1.* kindus Corbeienſis, *a* nec Sueuos ad mare olim *b Saxon. lib.1.c.28.* fuiſſe dominatos diffitetur Crantzius.*b*

Saxones autem, cùm relictis Longobardis ex Italia reuerſi ſint anno poſt natalem Domini 582. ſatis docuerunt ad illud vſq; tēpus ſuas ſedes nō in Veſualia, ſed trans Albin fuiſſe; vnde liquet, quantum aberret à veritate Crantzius.

Mirum igitur eſt quid acciderit Crantzio, qui res Saxonum maritimas expendens, quas conſeruauit Saxo Gram. dolet eorundē rebus mediterraneis nullum contigiſſe idoneum ſcriptorem, quæ maritimis longè etiamnum ſplendidiores videri poſsint.

Hoc enim ſi Crantzius ſyncerè ſenſiſſet, facilè probaſſet res mediterraneas Saxonū maritimis longè ſplendidiores eſſe.

Saxonū impedimēta in prorogādis finib. Nam cùm à portu Hadeleriano exorſi in extrema Saxonia ſedes primas fixiſſent, ſudarūt ſatis, antequam ditionem ſuam in Thuringiam vſque

pro-

prorogarēt: Nam cùm trans Albina Saxonia plures prouincias cōtineat, nemo credat eos primo impetu omnes occupaſſe. Erāt enim illis ad mediterranea tendētibus à tergo Dani, à fronte Thuringi, à latere Sueui & Vandali: quibus omnibus non modò reſiſtere, ſed & ſedes ſuas eripere non minimi negotij fuit.

Quanquā enim Danis Iuthiam eripere non potuerint, Vandalis tamen ditiones plures, Sueuis Angliā veterem, Thuringis Hadeleriā & loca ei proxima ademerunt, vt infra plenius dicetur. *a* Nec enim Crantzio, quanquam confidentiſsimè aſſerenti, quiſquam credat, Thuringos ad Hadeleriam agros nullos poſſediſſe, cùm id Vitekindus, & Albertus Stadenſis, Godefridus Viterbienſis, & alij ſcriptores graues ac fide digni, & qui Crantzio ſunt antiquiores, vnanimiter teſtētur. a *Hoc cap.*

Itaq; vt ne harum rerum mediterranearū relatione deprehendi poſſet Crantzius, Vitekindum ſatis aſtutè diſsimulauit, & res quas tradidit, fabularum nomine traduxit: In quibus tamen cur Vitekindo minus adhibenda ſit fides, q̃ Saxoni Grammatico in maritimis, equidem non video. *Crantzius Vitekindū diſſimulat.*

Quocirca vt lector videat Vitekindum ſummatim ſaltem res Saxonum ab initio vſq; ad Ermenfridū fideliter ac citra fabulas tradidiſſe, locum ipſum ex eo huc ad verbum transſcribam. *b* b *Ex lib. I.*

Is enim, cū diuerſas aliquot opiniones de origine Saxonū recēſuiſſet, de quibus nihil affirmās certi, lectori iudiciū ſuum liberū relinquit: Pro certo aūt nouimus (inquit) Saxones his regionibus nauibus aduectos, & loco primū applicuiſſe, „ qui vſq; hodie nuncupatur Hadolaum: Incolis „ verò aduentū eorū grauiter ferentibus, qui Thu- „ ringi tradūtur fuiſſe, arma contra eos mouēt: Sa- „

“ xonibus verò acriter reſiſtẽtibus, portũ obtinẽt,
“ Diu deinde inter ſe dimicãtibus, & multis hinc
“ inde cadentibus, placuit vtriſq; de pace tractare,
“ fœdus inire; ictumque eſt fœdus eo pacto, quo
“ haberent Saxones vendendi emendique copiam,
“ cæterùm ab agris, à cæde hominum atque rapina
“ abſtinerent: ſtetitque illud fœdus inuiolabiliter
“ multis diebus; cumque Saxonibus defeciſſet pe-
“ cunia, quod venderent aut emerent non haben-
“ tibus, inutilem ſibi pacem eſſe arbitrabantur.
“ Ea igitur tempeſtate contigit adoleſcentem
“ quendam egredi de nauibus oneratum multo
“ auro, torque aureo, ſimulq; armillis aureis; cui
“ obuius quidam Thuringorum, quid ſibi vult (in-
“ quit) tam ingens aurum circa tuum famelicum
“ collum? Emptorem (inquit) quęro, ad nihil aliud
“ iſtud aurum gero; qui enim fame periclitor, quo
“ auro delecter? At ille qualitatem quantitatemq;
“ pretij rogat: nullum (inquit Saxo) mihi eſt diſcri-
“ men in pretio, quicquid dabis gratum teneo. Ille
“ verò ſubridens adoleſcentem, quid ſi inquit de i-
“ ſto puluere ſinum tibi impleo? erat enim in præ-
“ ſenti loco egeſta humus plurima. Saxo nihil cun-
“ ctatus, aperit ſinum & accipit humũ, ilicoq; Thu
“ ringo tradit aurum: lætus vterq; ad ſuos repedat.
“ Thuringi Thuringũ laudibus ad cœlum tollunt,
“ qui nobili fraude Saxonem deceperit, fortuna-
“ tumque eum inter omnes mortales fuiſſe, qui vi-
“ li pretio tam ingens aurum poſſideret: cæterùm
“ certi de victoria de Saxonibus iam quaſi trium-
“ phabãt. Interea Saxo priuatus auro, onerat' verò
“ multa humo appropiat nauibus: ſocijs igitur ei
“ occurrentibus, & quid ageret admirantibus, alij
“ eũ irridere ceperũt, amicorum alij arguere, om-
“ nes pariter amentem eum crediderunt. At ille

poſtu-

poſtulato ſilentio, Sequimini (inquit) me optimi »
Saxones, & meam vobis amentiam probabitis v- »
tilem. At illi licet dubij, ſequuntur tamen ducē: »
ille aũt ſumpta humo, per vicinos agros quã po- »
tuit ſubtiliter ſparſit, & caſtrorũ loca occupauit. »

Vt autem viderunt Thuringi caſtra Saxonum, »
intolerabilis res eis viſa eſt, & miſſis legatis con »
queſti ſunt de rupto fœdere ac violato pacto ex »
parte Saxonum. Saxones reſpondent, ſe hactenus »
fœdus inuiolabiliter ſeruaſſe, terram proprio »
auro comparatam cum pace velle obtinere, aut »
certè armis defendere. His auditis, incolæ iam »
maledicebant aurum Saxonicum, & quem pau- »
lo ante felicem eſſe prædicabant, authorem per- »
ditionis ſuæ, ſuæque regionis fatentur. Ira dein- »
de accenſi, cæco Marte, ſine ordine, & ſine con- »
ſilio irruunt in caſtra: Saxones verò parati, ho- »
ſtes excipiunt, ſternuntque, & rebus proſperè »
geſtis, proxima circum circa loca iure belli ob- »
tinent. &c. Ex cuius verbis Crantzius illud arripiens, quod de terra conſeminata dicitur, fabulam eſſe aſſerit, & quidem confictam occaſione illius terræ, quam Saxones acceperunt à Theodorico Francorum Rege: Ideoque rem geſtam intelligi oportere in aduentu Saxonum ſub Ermenfrido; quod quidem cùm abſurdum ſit, vti ſupra contra Albertum Stadenſem oſtendit, *a* cõcludit Saxones in Veſualia ſemper fuiſſe, quia multa præclarè geſſerunt ante tẽpora Ermẽfridi. *a ca.3. l.2.*

Atqui Crantzius, vt incauti lectoris credulitate tutò atq; ſecurè abuti poſſet, authorem huius fabulæ curioſè ſupprimit: quem ſi vſquam Vitekindũ nominaret, facilè redargui poſſet; cùm & res diuerſæ ſint, quas Crantzius eaſdem videri vult, & in vtriſque veritas, in neutris fabula ſit. *Quo modo Crantzius verſetur in ſupplantatione Vitekindi.*

Diuerſæ res ſunt Saxonū, quæ geſtæ ſunt contra Turingos ad Hadeleriam, & quæ contra eoſdem geſtæ ſunt ad Vnſtrotum fluuium.

Res enim diuerſiſſimas eſſe quis non videt? cùm idem Vitekindus, qui vtraſque tradit, alteram ab altera lógiſſimè diſiunctam ſeparatim referat?

Terram enim ſeminatam refert in primo acceſſu Saxonum, cùm portum occupaſſent Hadelerianum: Agros acceptos refert in ſecundo Saxonum aduentu, cùm Albin fluuium tranſmiſiſſent ſub Ermenfrido.

Terram ſeminatam refert circa Hadeleriam in Holſatia; agros occupatos refert circa Herciniā ſyluam ad Vnſtrotum fluuium.

Terram ſeminatam refert occaſione quærendi tituli, quo rupto fœdere terram hoſtilem occuparent: Agros acceptos refert in mercedem præſtiti laboris.

Quibus conſideratis, qua fronte Crantzius, res & temporibus, & locis, & perſonis, & cauſis longiſſimè ſeparatas, eaſdem eſſe dicet? præſertim cùm inter primam & ſecundam aliæ multæ in medio narrentur? Nam poſtquam bellum Saxonū Vitekindus retuliſſet, quod occaſione huius ſeminatę terrę inter Thuringos & Saxones coortū eſt, alia multa tradit de Thuringis obtruncatis, & eorum agris occupatis, item de expeditione Anglicana, & tum demum ad bellum Ermenfridianum venit.

Fabulam non eſſe quā Crantzius hoc nomine exagitat.

Iam quid Crātzium impulit, vt fabuloſum eſſe pronunciaret, id quod de terra ſeminata dicitur? niſi vt incautos auerteret à cogitatione primæ ſedis Saxonum ad Hadeleriam, cuius gratia narratio ſuſcipitur: Alioqui enim quid hic dicitur quod nomen mereatur fabulæ? aut quod ſic fieri per naturam non potuerit? Nam ſi fœderis, quod cū hoſte pacti erant, rūpendi anſam quærebant,

bant, quis neget hãc illis fuiſſe commodiſſimam? Veteres enim, qui paganiſmi tenebris obcæcati erant, de felici conatuum ſuorum euentu minus dubitabant, ſi bonum aliquod præceſſiſſet omen. Quare ſi & Saxones terra hoc modo empta facto ſuo numen adeſſe rati, hoſtem ſuperarunt, haud abſurdè id eorũ ſuperſtitioni tribuatur, qua freti confidentius eum ſunt aggreſſi.

Poſſem huius generis exempla ex veterum hiſtorijs huc infinita congerere, niſi breuitati ſtuderem, iam tribus tantum contentus ero.

Sidonij duce Didone cùm aduenæ ab indigenis Libycis aditu prohiberentur, vt ex Virgilio diſcimus, conſimili ſuperſtitione conatibus ſuis omen aucupati ſunt:

Mercatiq́ſolum facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſent circundare tergo,

arcem extruxerunt, cuius præſidio indigenas in poteſtatem ſuam redigerent.

Idem fecerunt Duce Hengiſto Saxones in Britannia, ſicut pleniſſimè commemorat Galfridus Monemutenſis: nec admodum diſſimilem hiſtoriam commemorat Hadrianus Iunius de arce Bredenrodiana.

Quæ quidem omnia ac ſingula cùm fieri per naturam potuerint, ſi quis authoribus ſubnixus facta afferat, quid cauſæ eſt, quo redargui poſſit? Certè Godefridus Viterbienſis hanc Saxonum ſeminationem multis verſibus proſequi non eſt dedignatus.

Denique ſi veteres, quibus ſcribendi vſus non fuit, memoriæ cauſa rerũ geſtarum circunſtãtias inſigni aliqua pictura commendare ſolent, ob cuius admirationem poſteritas & libentius eas

cog-

cognoſcat, & fidelius conſeruet, cur earum acceſsione denegemus hiſtoriæ fidem, quæ earundem detractione non vitiatur?

Detrahe enim ſuprapoſitis exemplis id quod videtur eſſe fabuloſum, de tergis bubulis, de terra ſeminata, & remanebit nuda veritas hiſtoriæ, quæ declarabit, Sidonios, Saxones, Hengiſtum, & Hollandos in ſupradictis iſtis locis habuiſſe ſedes: hoc enim in propoſito nobis hic ſufficit, qui non de circumſtantijs, ſed de re ipſa contendimus, & quærimus in præſenti propoſito hoc noſtro, non quando, quo modo, aut à quibus acceperint, ſed an habuerint ſedes ad Hadeleriã Saxones? In cæteris enim ſi quis comperta referenti non credit, fidat oculis ſuis, & veritatem ipſe propius exquirat. In his enim quis tam impudens erit, niſi Crantzius ſit, vt dicere audeat, fabuloſas eſſe Saxonum ſedes ad Hadeleriã, qui dudum ipſe aſſeruerit *a* eaſdẽ à Carolo Magno, abductis inde Saxonibus, datas eſſe Obotritis?

a li.2.c.3.

Dauidis Chytræi ſententia.

Dicat quis, quid igitur accidit Dauidi Chytræo, qui vbi mercedis loco agros Saxonibus à Theodorico Francorum Rege in Thuringia datos refert, *b* inde fabula (inquit) de agro, quem à Thuringis Saxones emerunt, nata eſt, quam initio annalium ſuorum Vitekindus & alij commemorant? hic enim fabulam agnoſcendo ſubſcribere videtur Crantzio, qui Saxones Cattos & indigenas in Veſualia facit, & aduenas eſſe negat.

b in ſupplemento Saxoniæ.

Reſpondeo Dauidem profeſsionis ſuæ memorem, modeſtiſsima ciuilitate lectori quaſi digito indicare authorem voluiſſe, apud quem ſtudioſus lector fabulam ipſe diſcutere poſſet, dum Vitekindi nomen edit, quod Crantzius ſuppreſſit; cùm nemo tam ſtupidus ſit, qui lecto Vitekindo, non

do,nō manifeſtiſsimè deprehenſurus ſit, Crantzium à veritate longiſsimè abeſſe: palam enim arguere Crantzium, quem ornandum ſuſcepit, honeſtè non potuit.

Alioqui enim Dauidem Crantzio non ſubſcribere in controuerſia de origine Saxonum, ex eodem opere clariſsimè demonſtrari poteſt: primùm enim inter decem coniecturas iſtas, apud Crantzium de Saxonicæ gentis origine poſitas, illam, quam Crantzius ipſe ſolam probat, dum aſſerit Saxones eſſe Cattos, duriorem & alieniorem alijs eruditis videri pari modeſtia prædicat: Deinde eoſdem Saxones paulatim à littoribus Oceani & oſtio Albis introrſum verſus progreſſos aſſerit, cùm Crantzius aſſerat cōtrarium: poſtremò Veſualos Saxonum colonos facit, quos Crantzius eorum parentes prædicat; ſic vt huius viri iudicium hactenus in præſenti controuerſia pro nobis ſit contra Crantzium, atque ita appareat etiam rerum geſtarum conſideratione Saxones vſque ad Ermenfridum habitaſſe in prima eorum ſede trans Albin fluuium.

Ideoque quod Crantzius incautis (vt ſolet) inculcat, inquiens, Saxoni, Ptolemæo, Eutropio, Oroſio, Hieronymo credēdum eſſe, qui vna voce teſtētur Saxones in ſua prouincia diu ante Theodericum conſediſſe, id ambiguitate diſcuſſa planè tenendum eſt, ſua enim ſedes Saxonibus ante Ermenfridum iſtorum authorum teſtimonijs nō in Veſualia, ſicuti Crantzius videri vult, ſed in Holſatia fuit. Ptolemæus enim, qui Saxones primus nomine ſuo appellauit, eos ſupra Cimbrorum dorſa, hoc eſt, in Holſatia collocat: Saxo etiam Grāmaticus, qui in Siuaro Saxonum res maritimas terminat, non multo ante ætatem Ermēfridi,

Crantzius authorum teſtimonia intorquet contra ipſarum voluntatem.

fridi, ibidem Saxonum ſedem indicat: & Eutropij, Oroſij, atque Hieronymi ætate, qui multò tempore ante Ermenfridum natum defuncti ſũt, Saxones in Veſualiam nondum veniſſe ſupra ſatis declaratum eſt.

CAPVT OCTAVVM.

CRANTZIVM RATIONE LOCI EX *Tacito perperam aſtruere Veſualiam eſſe primam & antiquiſſimam ſedem Saxonum.*

Crantzius contendit Saxones eſſe Cattos Taciti.

TEmporum, perſonarum, rerumque ratione Crantzius, quod voluit euincere non potuit, Veſualiam eſſe primam Saxonum ſedem; nunc tentat id adſtruere ratione loci; vbi admirandum eſt hominis ingenium, qui Saxones ſuos maluit ſuppoſititios eſſe Cattos, quàm genuinos Macedones: Veſualiam enim & eius conterminia, dicit antiquam eſſe Saxoniam, & Cattos, quos Cornelius Tacitus (vt ait) ibi collocauit, contendit eſſe Saxones, quorum origo cùm ignota ſit, Saxones meritò indigenas haberi oportere.

a in opere de morib⁹ Germanorum.

b li. 1. c. 5.

Hanc igitur aſſertionem ſuam confirmare nititur authoritate Cornelij Taciti, qui Germanos aſſerit eſſe indigenas; *a* cuius etiam verba fidei ergo recitat, quæ nos ſupra poſuimus & confutauimus. *b*

Hoc fundamento iacto infert, Saxones eos eſſe, qui apud eundem Tacitum dicuntur Catti. Quod cùm ex verbis Taciti (vt ait) cuiuis colligere facillimum ſit, ex eodem libro eius verba cõpetita ibidem ponit: quæ & nos hîc proinde cõſideranda exhibemus, interlocuturi, excitandi lectoris gratia, quoties opus erit.

a in proœmio Saxõ.

Hunc ego (inquit *a*) ſecutus authorẽ, Saxones indigena eſſe gentem credo: ſed alio ab authori-

bus

bus nomine appellatam, qui vetuſtisſimis ſcri- „
psêre temporibus. Et Ptolemæus quidem primus „
ſuo nomine Saxones dignatur, vir Aegyptius A- „
lexandrinus. Cæterùm qui ante illum Strabo, & „
qui poſt eum Tacitus ſcripsêre, Cattos appellauê- „
re gentem, quæ ab Hercinijs montibus in plana „
deſcendit, & vſque ad Rhenum propagatur. „

Ecce amice lector, coniectat Saxones alio nomine ab antiquiſſimis fuiſſe appellatos, & nec authorem, nec rationem coniecturæ ſuæ vllam reddit. Deinde dicit Ptolemæum primum nominatim appellaſſe Saxones, cui mox veluti interpretes ſubiungit Strabonem ac Tacitũ, qui de Saxonibus intelligi velint, id quod dixerũt de Cattis, quo nihil fingi potuit peruerſius: Sic enim ſe res habet. Primus inter hoſce ſcriptores Strabo fuit, qui ſcripſit ſub Auguſto; ſecũdus fuit Cornelius Tacitus, qui ſcripſit ſub Traiano; tertius fuit Ptolemæus, qui ſcripſit ſub Hadriano Cæſare: Saxones ſolus Ptolemæus nominat, Cattos ſoli iſti priores duo. Pergat iam Crantzius: Taciti (inquit) verba contẽplemur. Vltra hos, inquit, *a* a *ibidem*
Catti initium ſedis ab Hercinio ſaltu inchoant, „
non ita effuſis & paluſtribus locis, vt cæteræ ciui- „
tates, in quas Germania pateſcit, durãt: ſiquidem „
colles paulatim rareſcunt: & Cattos ſuos ſaltus „
Hercinius proſequitur ſimul atq; deponit. Durio- „
ra genti corpora, & ſtricti artus, minax vultus & „
maior animi vigor, multę (vt inter Germanos) ſo- „
lertiæ & rationis, præponere electos, audire prę- „
poſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiões, dif- „
ferre impetus, diſponere diẽ, vallare noctem, for- „
tunã inter dubia, virtutem inter certa numerare. „
Hæc (inquit) certè Saxonib' congruere, & de illa „
eſſe gente perſcripta, qui animũ aduertit, & ſine „
inui-

"inuidia iudicat,protinus intelliget. In Hercinia
"enim regio incipit,& cum rareſcentibus monti-
"bus natio deducitur vſq; in Haſsiam atq; VVeſ-
"phaliam. Nam quæ nunc Saxonia apud nos po-
"tiſsimùm dicitur,terra Brunſuicenſis,Magdebur
"genſis,& Halberſtadenſis, ex Vandalia captæ ac-
"ceſsēre prouinciæ Saxoniæ: quod ſuis locis mō-
"ſtrabitur.Durāt quidē montes adViſurgū,& illo
"etiam tranſcenſo in Veſphaliam perueniunt, in
"terrā vſque Ducatus Montenſis. Et(vt quandoq;
"per errorē tranſcribentium,quandoq;per ſtrido
"rem externæ linguæ, nominum fiunt infractio-
"nes)non eſt longè à veri ſimilitudine, ſi quis cō-
"tendat pro Saxi vocabulo eſſe vſurpatum Catti:
"multas enim ſimiles mutationes eſſe factas remi-
"niſcimur.Ergo quæ multa Tacitus de Cattis prę-
"clara commemorat,gentis Saxonum propria eſ-
"ſe contendo.

Crantzij ſtudium in celebranda patria ſua.

Ex his verbis lector videt, quo ſtudio Crantzius verſetur in celebranda patria ſua, eo nimirum,vt tu dubites, vtrum ne de Saxonibus ſuis peius mereatur,an de Cattis. Saxones enim quaſi gentem obſcuram,& imbellem ſupponit Cattis,& plumis ornat alienis: Cattos rerum præclarè geſtarum gloria,& virtutis elogio ſpoliat, quo Tacitus eos ob merita ſua honorauerat. Authoribus ſuis interim,quorum teſtimonia oſtentat,vim ac fraudem facit. Ptolemæū enim tranſuerſim abripit;cui ſi acquieſceret, Saxones ſupra Cimbrorum dorſa in Holſatia collocaret. Tacitum obtorto collo trahit;apud quem cùm Saxonum nomen non extet,confidentiſsimè dicit de Saxonibus intelligi oportere, quæ ille de Cattis retulit.

Tribus argumentis id probare nititur.Primò,

quod

quod ex Cattis modica litterarum immutatione Saxi, & inde ſcilicet Saxones non incommodè fiant. Secundo, quòd in Saxones optimè quadrēt omnia, quæ de Cattis à Tacito prædicantur. Poſtremo, quòd & termini regionis eius, quam Tacitus aſsignauit Cattis, ei regioni conueniāt, quam Veſuali & his finitimi incolunt: quibus vtique nihil magis inſulſum excogitari queat. *Tribus argumētis contendit Crāt. Saxones ſuos eſſe Cattos Cor. Tacit.*

Nam ſi modica videtur hæc vocis inflexio, qua Saxones fiunt ex Cattis, haud ſcio quid ex quo fieri non poſsit. Henricus Buntingius, qui Brunſuicenſium Chronica Germanicè ſcripſit, Saxones à Cauchis mollius deduci poſſe arbitratur. Non video autem quid certi tandem in hiſtorijs teneri queat, ſi ſcriptoris eloquentis verba interpretatione ſua torquere cuiuis liceat quo libet. *Cōfutatio Crantzij.*

Iam verò Tacitus infans non fuit, ſed animi ſui concepta diſertè explicare potuit: Itaque & illa, quæ de Cattis dixit, de Cattis, quos norat, propriè intelligi voluit; de Saxonibus, quos non norat, nihil dixit. Et idcirco de his ex eo nihil intelligi potuit: Imò ſi Crantzius, poſitis affectibus, habitum, mores & inſtituta Saxonum cum ijs conferat, ac recta bilance ponderet, quæ Tacitus his verbis aſsignat Cattis, toto cęlo ab his diſcrepare videat.

Confuſionem verò illā prouinciarum à Crantzio factam æquo animo quis ferre poſsit, qui ex duabus nationibus vnam facit, & Cattos cum Saxonibus confundit? Contemplemur verò argumentum Crantzij: *Crantzius Saxones confundit cum Cattis.*

Situs Regionis (inquit) quam Cattis Tacitus aſsignauit, in ea durat hactenus, quam inco-

 lunt

ſunt hodie Saxones: Ergo Saxones ijdem ſunt, quos Tacitus appellauit Cattos.

Atqui hoc duobus nominibus falſum eſt: nec enim ſequitur, manet idem fundus; ergo manet idem colonus: manet eadem domus; ergo manet idem inquilinus: diuerſus enim euentus ſæpe verſiculum prouerbialem admirantibus extorquet;

O domus antiqua quàm diſpari dominaris domino.

Alia Cattorũ, alia Saxonum ſedes.

Deinde Tacitus eandem regionem, quam Saxones iam incolunt, Cattis non aſsignauit; ſed iſtam, quam nunc tenēt Heſsi, quam & proprijs ſuis finibus circumſcripſit, per quos & à Veſualis & Saxonibus notabiliter ſeparatur.

Veſualiæ enim, quæ in medio Haſsiæ atque Saxoniæ ſita eſt, Rhenus Occidentalem plagam claudit; Friſia & Vltraiectum Septentrionalem; Ortum Saxonia; Meridiem montes Heſsiæ excipiunt.

Quo modo igitur Catti Saxones erunt, cùm etiam hodie Saxones ab Heſsis diuerſi ſint? & quo modo Cattorum fines includet Saxonia, cũ ſuos etiam fines Heſsi obtineant, per quos à Veſſualis & Saxonibus ſeparentur? Eandem autem nunc eſſe Heſſorum ſedem, quæ Cattorum olim fuit, cùm ipſa verba Taciti, tum etiam gentis ipſius manifeſtæ reliquiæ teſtantur. Hinc enim vulgò Catzenelleboegij dicuntur, pro Catmelibocis, qui Melibocum Heſsiæ montem accolunt, ſuperſuntque adhuc aliquot arces tum Rhenum verſus, tum introrſum ſpectantes, quę Cattorum memoriam conſeruant.

Cùm igitur gentes in ſuis ſedibus idem ſint, quod in ædibus inquilini, vt abſurdè colligas, eoſdem nunc eſſe inquilinos, qui fuerunt olim, quia

quia domum eandem ſupereſſe videas incolumem; ita etiam Crantzius ineptè colligit, eoſdem iam eſſe Saxones, qui Tacito fuerunt Catti: quod idem nunc ſit, (vt ait) qui olim fuit, ſitus regionis iſtius, quam Cattis aſsignauit Tacitus. Quemadmodum enim incolumi domo veteribus inquilinis noui; ita & eadem regione manẽte, gentibus antiquis nouæ ſubinde ſufficiũtur.

Cattos nouit Tacitus, & ijs regionem ſuam aſsignauit; manet eadem regio, ſed poſt ætatem Taciti Cattis eiectis, eiectores eorum non Saxones, ſed Thuringi & Heſsi regionem occuparũt: Catti ipſi expulſi, cum Alanis in Hiſpaniam profecti, Cathaloniam condiderunt, ſicut B. Rhenanus adnotauit. Quare ſi Saxones Catti erant, fateatur Crantzius in Heſsia iam nullos eſſe.

Cattis Tacitus Vſipios, Vſipijs Tẽcteros, Tencteris Bructeros finitimos facit. Manent quidem regiones eædem, ſed gentibus iſtis illic aliæ ſucceſſerunt: Vſipios enim Francones; Tencteros Naſſouij, vt Althamerus putat; certè Chamaui & Angriuarij Bructeros exciderunt, vt teſtatur ipſe Tacitus.

Poſſem de cæteris omnibus gentibus apud Cornelium Tacitũ expreſsis idem demonſtrare; ſed in ꝓpoſito breuitatis ergò ſufficit de ſucceſſione incolarum Veſualiæ Crãtzij verba hic diſcutere, vbi docere nititur Saxones in Veſualia aliquoties mutaſſe nomen, eundem tamen ſemper fuiſſe populum.

Quæ interim in mediterraneis Saxoniæ geſta ſunt, (inquit *a*) ſilentio teguntur: ipſe Tacitus, Auguſtæ ſcriptor hiſtoriæ, nimium ſuper his rebus tacitus eſt. Plinius autem in viginti rerum Germanicarum libris totus nobis obmutuit. Nam

a *Saxon. li.* 1. *c.* 13.

„ Nam quæ per hæc tempora à Druſo Nerone Au-
„ guſti priuigno geſta ſunt in Germania, in qua il-
„ le diu feliciter rem geſsit, penitus non tenemus:
„ niſi quod Strabo narrat eũdem ducem in Amaſi
„ rem nauali prælio geſsiſſe aduerſus Bructeros:
„ pars fuit illa Saxonum. Nam Amaſis Saxoniam
„ perlabitur, in Chaucis(hoc eſt Friſijs) mari mi-
„ xtus.Quis igitur neget mediterraneis Saxonibus
„ ducem Romanum conſeruiſſe manus, quãdo et-
„ iam à mari tonans, in Amaſi Bructeros,(hoc eſt
„ fluminis accolas, nunc dictos Veſtphalos, olim
„ Saxones,& ante Bructeros) perdomuit?

Crantzij aſtutia.

Animaduertenda autem hîc eſt aſtutia Crantzij in demonſtranda Saxonicæ gentis antiquitate:nam cùm Bructeros antiquiſsimos Veſualię incolas ponit, videri vult hos poſt Druſi victoriã mutato nomine Saxones fuiſſe dictos. Quos quoniam tum hinc eiectos nõ fuiſſe conſtat, Saxones porrò dictos eſſe vſq; ad Carolum Mag.& ſub eo in gentis Saxonicæ diuiſione dictos fuiſſe Veſualos. Atque ita vnam eandemque gentem, quamuis variato interdum nomine Veſualiam ab initio incoluiſſe;quę tametſi nec ratione, nec authore vllo nitantur, & proinde diſsimulari poſſent, tamen præcauendi erroris cauſa, paucis diſcutienda ſunt.

Bructeri non fuerũt Saxones.

Primùm igitur Bructeros antiquiſsimos Veſualiæ incolas & nos etiã fatemur, & à Druſo victos eſſe non negamus; ſed hac victoria nomen illis non eſſe mutatum certò ſcimus, quod vltra centum annos poſtea, hoc eſt, vſque ad ætatem Cornelij Taciti ſaluum illis fuit: ſed in hac herba latet anguis.

Primam Bructerorum calamitatem Crantzius proponit; quia ſedibus ſuis ipſos non expulit:

ſecundam diſsimulauit, qua ſedes ſuas prorſus amiſerunt. Idem enim Tacitus, qui primam eorum cladem refert, etiam ſecundam celebrat, ac dicit Bructeros ab Angriuarijs ac Chamauis ſedibus ſuis expulſos, & prorſus exciſos eſſe. Hic igitur collabitur omnis illa nominum mutatio, quam Crantzius incolis Veſualiæ nectit, & verum non eſſe apparet, quod vel ex Bructeris Saxones, vel ex Saxonibus Veſuali dicti ſint. Deinde apparet & id quoque, quod Saxones in Veſualia ſedes non habuerint: Nam nec Bructeri (etiamſi Crantzius id dicat) Saxones erant, nec eorum victores Angriuarij & Chamaui Saxones erant, qui quos ſucceſſores in Veſualia ad Carolũ Magnum vſque habuerint infra dicturi ſumus.

Hic igitur notandum eſt, Crantzium callidè ſuppreſsiſſe nomen Angriuariorum, quod ſi edidiſſet, ipſe ſuo indicio quaſi ſorex perijſſet; cùm hinc vel ſtultus colligeret, Saxones in Veſualia ſaltem non eſſe indigenas, cùm Bructeris eiectis, Angriuarij & Chamaui noui aduenæ ſucceſsiſſe proponerentur. Ideoque cùm ex hoc Taciti loco vtique indubitatum ſit, Angriuarios in Veſualia eſſe aduenas, quis non miretur Crantzium, qui id non ignorauit, vbique horum nomine, quaſi indigenæ eſſent, ad Saxonum antiquitatem demonſtrandam vti? Hos enim facit Angilos Ptolemæi, & Anglos Bedæ, quos primùm in Angiros, deinde in Angrios vulgi ineptia deprauatos eſſe dicit: Quorum patriam primùm Angriam, deinde Anglariam, tandem etiam Angliam vocat. Quæ proinde, cùm nullo fundamento nitantur, propoſitum Crantzij confirmare non poſſunt.

CAPVT NONVM.

CRANTZIVM RATIONE LOCI *perperam ex authoritate Bedæ aſtruere, Saxonum antiquiſſimam ſedem eſſe Veſualiam.*

CRantzius porrò cùm in propoſito ſuo ſibi obfuturum proſpiceret eſſe Bedam, qui ex profeſſo vetuſtiſsimã Saxonum ſedem ad Hadeleriam collocat; vnde celebri illa expeditione Saxones vnà cum vicinis Anglis ac Vitis in Britanniam euocatos eſſe ſcribit; hunc vltro occupat, & non minori dexteritate ſuum facit, quàm ſupra fecit Cornelium Tacitum.

Itaque cùm ſupradictos iſtos tres populos in Britanniam veniſſe dicat, eosque prorſus diuerſos faciat, Crantzius tamen hic nõ tres, ſed duos tantùm populos eſſe contendit, Saxones & Vitas, quos ipſe etiam Iuthas vocat: nam Anglos eoſdem eſſe contendit cum Saxonibus. Quod ideo facit, vt antiquam Saxoniam perſuadeat eſſe Veſualiam, cuius nomine etiam ex Angria fingit Anglariam. In hoc dum eſt, totum caput 15. ex primo libro Bedæ de Anglorum hiſtoria proponit *a* in teſtimonium veritatis ſuæ, vbi ſingularem Crantzij induſtriam ſuis locis indicabimus: verba eius interim hic proponemus.

a *Saxon. li.* 1. *c.* 20.

„ Bedam (inquit) indigenam, quem teſtem in-
„ troduximus, his de rebus ſcribentem, quia mul-
„ tis incomperta res eſt, Saxones Britanniam de
„ ſuo nomine (quod Angli dicerentur) dixiſſe An-
„ gliam, audiamus: vt erubeſcant inſcitiam ſuam,
„ qui Saxones ex Britannia ortos fabulantur: ne-
„ ſciẽtes, Britones ex Anglis Saxonibus Anglorum
„ nomen mutuaſſe.

Vide

Vide lector principium quod dedit adueniens; occupat enim mox Bedam, & eius teſtimonio ſe demonſtraturum eſſe promittit id quod proponit, cùm Beda id nunquam ſomniauerit. Quid igitur eſt vim Bedæ facere, ſi hoc non eſt? nuſquam enim Beda dixit Saxones dictos eſſe Anglos; imò gentes diuerſas eſſe dixit, & alios Anglos, alios Saxones diſcreto nomine diſertè appellauit, & nuſquam dixit à Saxonibus, ſed conſtanter vbique ſemper ab Anglis Britãniam appellatam eſſe Angliam, vt ex eius verbis infra citatis apparebit. *Bedæ teſtimonium Crantzius peruersè accipit.*

Deinde vide quo ſupercilio inſcitiam illis exprobret, qui Saxones ex Britannia oriundos aſſerunt: cùm tamen ipſi potius inſcitiæ ſint arguendi, qui factum id ignorant, vt infra clariſsimè apparebit.

Hæc igitur in præfatione, in explicatione Bedæ non diſsimilia daturus eſt, quæ vt præſenti collatione deprehendi queant, prius ipſa Bedæ verba hic præmittemus, & his mox Crantzij interpretationem ſubiũgemus; interlocuturi his, quantum inſtituti neceſsitas requiret. Qua in re ne quis fortè nos inſyncerè verſari putet, lectorem hic premonere voluimus, nos in allegatione Bedæ exemplar ſequi, quod eiuſdem gentis aliquot hiſtoricis adiunctis Lugduni in folio excudit Renatus Rotulerius anno 1587. in allegatione verò Crãtzij ſequi exemplar Saxoniæ Crantzij, quod in octaua excudit Coloniæ Geruinus Calenius anno 1574. Cùm igitur verba Bedæ ponenda eſſe dixerit Crantzius, nos ea hic proponemus ex eo exemplari, de quo ſupra admonuimus: ea verò ſic habent.

a Beda ca. 15. lib. 1. hiſt. Angl.

Anno (inquit *a*) ab incarnatione Domini quadringenteſimo quadrageſimo nono Martianus cum Valentiniano quadrageſimus ſextus ab Auguſto regnum adeptus, ſeptem annis tenuit: Tũc Anglorum ſiue Saxonum gens inuitata à rege præfato, Britanniam tribus longis nauibus aduehitur, & in orientali parte inſulæ, iubente eodem rege, locum manendi, quaſi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura ſuſcepit. Sic Beda.

Crantzius ita: Anno (inquit) Domini 449. cùm orientis imperium teneret Martianus, & Valentinianus Auguſtus occidenti præeſſet, Anglorum ſiue Saxonum gens, etc. in quibus inflectendis author viam ſtrauiſſe cenſendus eſt ad vlteriorem Bedæ inflectionem, quæ ſequitur.

b ibidem.

Subijcit autem Beda *b*: Aduenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id eſt, Saxonibus, Anglis, Vitis. Ita Beda.

Crantzius ex populis Bedæ titulos facit.

Crantzius hoc modo: Aduenerant autem de tribus Germaniæ titulis fortioribus, id eſt, de Saxonibus, Anglis, Iutis.

Hic duobus modis Bedam Crantzius inflexit: primo, quod pro populis titulos ponat; ſecundo, quod ex Vitis Iutas faciat.

Vtrumque autem ad inſtitutum ſuum neceſſarium eſſe duxit: Crantzius enim ex tribus populis tres titulos ideo fabricat, quod non credat plures nationes fuiſſe quàm duas, quæ Britanniam occuparunt, Saxones ſcilicet ac Iutas. In Anglis enim & Saxonibus titulos duos, gentem vnam vult intelligi, ſicut etiã in Vitis & Iutis: Vitę enim Iutæ ſunt, qui Cimbricã Cherſoneſum habitant, quæ hodiè Iutia dicitur, & vulgo Iutlant, & incolæ eius die Iutlanders. Quemadmodum

Vitæ Iutæ.

igi-

Igitur gentem ex Iutia profectam æquiuocè vel Iutas,vel Vitas appellare poſsis; ita etiam gentem è Saxonia profectam,ſecundum Crantzium, vel Saxões,vel Anglos ęquiuocè nominare queas. Sic igitur Crantzio tres non populi,ſed tituli fiunt,Saxones, Angli, Iutæ; priores duo ad gentem Saxonicam, tertius ad Iutianam pertinet. Hac igitur de cauſa titulos hoſce duos genti Saxonicæ collegit, vt alterum eorum Britannię imponat,quo Anglia diceretur.

Dixerit fortaſſis aliquis, ſi alteri harum gentium Saxonum & Anglorum, alteri Vitarum & Iutarum titulos tribuimus, fieri ſimul titulos quatuor,ideoque machinam Crantzij non ſubſiſtere.

Reſpondeo, Bedam non niſi tres poſuiſſe, & hunc numerum in textu palam non auxiſſe Crãtzium, ſed interpretatum duntaxat eſſe tertium gloſſa oportuna: ſexcentos fore, qui id factum animaduerſuri non ſint,ſi quis tamen id fortè obſeruauerit,excuſationem illi in promptu fore ex ipſo Beda, fortiorem eſſe titulum Iutarum, quã Vitarum; clariorẽ enim hodie & magis celebrẽ. Mihi certè Crantzij hunc locum ſæpius relegenti, nunquam ſuboleuit hæc techna; ſed nunc vt curioſius eius veſtigijs inſiſterem,duplex me occaſio impulit. Primùm, vt Bedam à maculis vindicarem;deinde vt fontem obturatum reſerarẽ, ex quo pendet vera ratio de origine gentis Anglicæ atque Saxonicæ, cùm illud ad Friſiæ quoq; noſtræ illuſtrationem neceſſarium ſit.Quàm indignum autem ſit perſona Crantzij, credulitate lectoris occupati ad hunc modum abuti, iudicabunt alij.Diſcant autem hinc exemplo Io. Goropij Becani,de quo infra plenius dicemus,qui veritat- *Io. Gorop. Becanus à Crantzio deceptus.*

O 5

ritatem quærunt, non temere aliundè citatis au-thorum teſtimonijs fidere, ſed fontes ipſos in-ſpiciant; cùm Goropium, ſi ſcriptor ſerius eſ-ſet, ſui meritò pudere deberet; qui Crantzij his allegationibus confiſus, Bedam ipſum non inſpexit, & proinde hic turpiſſimè errauit: nam Crantzij titulos amplexus, Vitas non nominat, & Anglos ac Saxones eoſdem prædicat, & con-ſequenter veteris Angliæ finibus trans Albinam, hoc eſt, veterem Saxoniam pene totam com-plectitur. Quod proinde factum Goropij, ob ſin-gularem ac præſentem abſurditatem, equidē non video quanam alia ratione excuſari poſſit, quàm ioco, quo errores alienos quaſi per Antiphraſin tuetur, ſicuti & in Cimbris facit. Certè verò non titulos, ſed populos, & quidem diuerſos tres hîc intelligi oportere, idem qui propoſuit, ſenten-tiæ ſuæ optimus interpres Beda, perſpicua diſtri butione declarat.

Diuerſi populi Saxones, Angli, Vitæ.

a ibidem.

De Vitarum (inquit *a*) origine ſunt Cantua-" rij & Vectuarij, hoc eſt, ea gens, quæ Vectam te-" net inſulam, & ea quæ vſque hodie in prouincia " occidentalium Saxonum Vitarum natio nomi-" natur, poſita contra ipſam inſulam Vectam. De " Saxonibus, id eſt, ea regione, quæ nunc antiquo-" rum Saxonum cognominatur, venêre Orienta-" les Saxones, Meridiani Saxones. Porrò de An-" glis, hoc eſt, illa patria, quæ Anglia dicitur, & ab " eo tempore vſque hodie manere deſerta inter " prouincias Vitarum & Saxonum perhibetur, O-" rientales Angli, Merſi, tota Northumbrorum pro" genies, hoc eſt, illarum gentium, quæ ad Boream " Humbri fluminis inhabitant, cæterique Anglo-" rum populi ſunt orti. Hæc Beda.

In quibus Crantzius non admodum variat, niſi

niſi quod titulorum ſuorum memor, pro Vitis Iutas conſtanter ponat, non obſtante, quod Etymologia, qua originis rationem in gentium diuerſitate Beda reddit, Vitarum nomen hîc apertè flagitet.

Cùm igitur Beda tres gentes, Vitas, Anglos, ac Saxones ex Germania in Britanniam deducit, quas & nominibus diuerſas, & patria diſcretas, & regionibus demum in Anglia occupatis euidẽter diſtinctas proponit, nos non modò præſens commentum Crantzii de titulis fraudulentum eſſe intelligimus, ſed & ordinem quoque apprehendimus, quo reliquos eius errores commodè diſcutiamus; vt ſcire lector poſſit, qui Vitæ, qui Angli, qui Saxones apud Bedam ſint, vbi ſinguli horum ſedes ſuas habuerint, & ex quibus Britannia Angliæ nomen obtineat. Itaque de ſingulis ordine ſeparatim hinc dicemus, ac primùm quidem de Vitis.

CAPVT DECIMVM.

QVI SINT APVD V. BEDAM VITAE, & cur apud Saxonem, & apud Crantzium appellentur Iuthæ.

DE Vitis nulla quæſtio nobis futura erát, ſi Bedæ Crantzius acquieuiſſet: nunc verò cùm ob vicinitatem Anglorum ſcire debeamus, qui ſint, & vbi morentur, & cur mutato nomine Iuthæ vocati ſint, prima nobis horum cura fuit, vt his expeditis, facilior ſit cognitio reliquorum.

De Vitis autẽ ac Iuthis apud veteres Geographos nullã mentionẽ cõperio. Alexãder Heuilli⁹

att-

atteſtatur, Vitas à nonnullis Ibittos appellari, ſed hoc ad rem nihil confert. Vitas interim ac Iutas eosdem eſſe ex recentioribus percipimus: Nam Albertus Crantzius eoſdem, quos Beda Vitas appellat, Iutas interpretatur, eorumq́ue patriam Iutiam facit, quæ olim Cimbrica Cherſoneſus dicta fuit. In quo illi Saxo Grammaticus, Andreas Althamerus, Bilibaldus, Brickhaimer, & communiter omnes recentiores ſuffragantur: Caſpar porrò Peucerus aſſerit eoſdem eſſe Iutas, & Gutas & Guthones; Petrus Paruus his & Gothos addit, de quibus poſtea videbimus.

Cùm igitur eadem hæc prouincia, quæ apud veteres Cimbrica Cherſoneſus, apud recentiores Iutia appellatur, ex diuerſis incolis diuerſa nomina ſortita ſit, de iſtis tantùm incolis hic nobis diſpiciendum eſt, qui nomina ſua illi indiderunt.

Itaque illa quæ Crantzius de Danis, de Vandalis, & Saxonibus, hanc prouinciam viciſſim occupantibus, maximo conatu nugatus eſt, etiamſi vera eſſent, vt falſiſsima eſſe ſupra demonſtrauimus, *a* ad hoc inſtitutum noſtrum nihil pertinerent, cùm per illos huic prouinciæ nomen mutatum non ſit, vt vel Dania, vel Vandalia, vel Saxonia diceretur.

a. *lib.2. cap.4.*

Illud huc pertinet, quod Petrus Paruus Danus aſſerit, *b* Gothos olim hâc Cherſoneſum incoluiſſe, & ab horum nomine eam primùm Gothiam, deinde Guthiam, & ad extremum Iuthiã per literarum tranſmutationem eſſe dictam. Illud etiam huc pertinet, quod Ioannes Magnus Gothus *c* aſſerit, à Iuthone Saxonum duce Iuthiã vel Luthoniam eſſe dictam. Sed vtrumq; hoc non niſi ad Iuthas ſpectat, de Vitis adhuc nihil; cùm nobis

b *in refutatione calũ. Io. Mag. Gothi.*

c *Goth. hiſt. lib. 2. cap. 2.*

nobis in propoſito ſit perquirere, qui ſint apud Bedam Vitæ, & cur ij dicantur apud Saxonem & Crantzium Iutæ.

Maximè igitur illud huc pertinet, quod ſupra aſſeruimus,a ex nomine VVytt & Vitas & Iuthas eſſe dictos, qui olim dicebantur Cimbri in iſta Cherſoneſo. Quod quidem vt appareat eſſe verũ, primum hinc amouebimus Gothos, & deinde quæ in Iuthone conſideranda ſunt proponemus. *a ca. 5. l. 2.*

Nam ſanè vtcunq; ex Gothis Guthas, & ex his Iuthas, immutatione literarum deriues, huiuſmodi tamen literarum cõuerſioni fidere non licet, niſi manifeſta rei geſtæ hiſtoria fulciatur; cùm diuerſarum rerum nomina non raró conſimili affectione figurentur. In propoſito autem noſtro ratio temporum non permittit, vt Iuthas ex Gothis deductos eſſe arbitremur.

Iutæ non ſunt ex Gothis.

Nam cùm iſtius Cherſoneſi incolæ diſcretis temporibus nomina ſua mutauerint, ex ipſis interuallorum interſtitijs clariſſimè deprehenditur, Iutas nequaquam dictos fuiſſe ex Gothis.

Primùm enim, ſi Cherſoneſus ipſa ex Cimbris Cimbrica dicta fuit, apparet hoc nomen illi fuiſſe primitiuum, & quo aliud antiquius nullum habuerit.

Trecentis enim totis ante Chriſtum annis, cùm Saxones eam duce Iuthone occupaſſent, vti ſupra dictum eſt, Cimbrica ex Cimbris habitatoribus appellabatur, ſicut ex Ephoro & Clitarcho apparet apud Strabonem, qui ea tempeſtate vixerunt; neque veris hiſtoriarum monumentis doceri poteſt, quod aut alios habitatores, aut aliud nomen vnquam antea habuerit.

Cimbri in Cherſoneſo iſta ſunt antiquiſsimi.

Itaque ergo cùm Cimbricum nomen huic genti vetuſtiſſimum ſit, idem eidem etiam ſaluum

per-

permăſit adhuc poſtea ducentis annis,hoc eſt,vſque ad ætatẽ C. Marij,ſub quo facta eſt expeditio Cimbrica,anno ante natum Chriſtum centeſimo vndecimo.

Permanſit idem eidem genti adhuc ſaluum poſtea quoque ducentis integris annis, id eſt,vſque ad ætatem Cornelij Taciti, qui anno poſt Chriſtum centeſimo librum ſcripſit de moribus Germanorum, in quo gentem hanc ſolito nomine Cimbros, & ipſam Cherſoneſum Cimbricā appellauit,quo nomine etiam apud Strabonem,Plinium,Ptolemæum & Melam vocitantur.

Tacito poſt annos 600. ſucceſſit Venerabilis Beda,qui anno 730. Chriſti ſcribēs,gentē hanc appellauit Vitas,vt ex ſupra allegato ei⁹ loco patet.

Bedæ poſt annos 500.ſucceſſitSaxo Grammaticus, qui anno poſt natum Chriſtum 1200. ſcribens, eandem gentem Iutas appellauit,nomine in hunc vſque diem vſitato.

Quanquam igitur ex Gothis Guthas,& ex Guthis Iuthas,per literarum reſolutionem fieri potuiſſe quis contendat; tamen ita factos non eſſe, duobus argumentis euidenter apparet.Primum, quia præſens rei geſtæ hiſtoria Iuthonem hîc deſignat,Gothos non item:Deinde,quia Gothi propriam habent originem ſuam; qui deducuntur ex Gethis,non conſonantis alicuius, ſed vocalis mutatione,per quam e primum conuertitur in o,& o demum in v;vnde ſiue Getas, ſiue Gothos, ſiue Guthas dicas,eandem gẽtem dixeris , in qua tamen G in I nullibi mutatur;quod conuerſio eadem hinc ex Iutis ad radicem nominis non ſuccedat, vt pari anologia Iotas & Ietas dicas, quæ dicis Iutas.

Hoc igitur cùm ita ſit,& manifeſta hiſtoriæ veritas

Vitas ex Cimbris Vitas,ex Vitis Iutas faciat, nos omiſſis Gothis, diſpiciendum arbitramur, quæ cauſa ſit in his mutati nominis, & quo modo horum poſteriores ex prioribus deducti ſint.

Ex Iuthone aũt Cherſoneſum, quæ antea Cimbrica dicebatur, Iuthiam ſeu Iuthoniam eſſe dictam ex Io. Magno ſupra audiuimus. *a* *a hoc eod. cap.*

Hunc autem Iuthonem Friſonis Ethnarchæ noſtri fuiſſe filium, qui primitiuo nomine VVyt appellabatur, etiam ſupra declarauimus *b*. *Iutho idẽ qui & Vitho.*

Huius verò Principis nomen, vt à poſteris variè tranſmutatum fuit, ita & Vitis & Iutis originem præbuit. *b ca. 5. l. 2.*

In Friſia, vbi ob veterẽ Herois memoriam nomẽ eius celebre, & vtriq; ſexui cõmuniter hactenus vſitatũ eſt, qui id referunt viri quidẽ VVytſe, fœminę verò VVyts populari lingua dicũtur. Ad latini ſermonis analogiã recentiores quidẽ Vitſios & Vitſias, aut rectius Vitos ac Vitas dicunt, vetuſtiores Vittones proferũt, vt Saxo Grãmaticus, qui Vittonis Freſici, qui iſtius Vithonis ex filio nepos fuit, nauale prælium cum Danorũ Rege Frothone primo narrat *c*: alij Vithones dicũt, vt Alb. Crãtzius, qui S. Vithonem Friſium primũ Oſnaburgenſem Epiſcopum facit, *d* quamquã ibi quædam exemplaria mendosè Vihonẽ habeant. *c Dan. hiſt. lib. 1. d. Metrop lib. 1. ca. 2.*

Quo modo igitur Cimbri ex huius nomine primùm Vitæ, ac deinde etiam Iutæ dicti ſint, hinc iam porrò declarandum venit.

Itaque cùm hic VVyt, ducta Bocchi Cimbrorum regis filia Cumera, in dotẽ à ſocero accepiſſet partẽ vnam Cimbricę Cherſoneſi, quę nũc Ducatus Sleſuicenſis dicitur, pars hæc à nouo domino tũc VVytlãt, hoc eſt Viti terra, & ſubditi ei Vitæ, id eſt, VVytlãders dicti ſunt. Atq; ita quidẽ

Vitæ

Vitæ fiunt ex VVyt, in quo nihil eſt abſurdi, cùm & alijs prouincijs nomina à dominis ac poſſeſſoribus imponi nouum non ſit.

Iutæ ex Vitis. Ex eodem porrò nomine VVyt, vulgari literarum tranſpoſitione Iutæ fiunt hoc modo.

Primùm enim in Anagrammatiſmo ſyllabarũ Vi & Iu, ſuauis eſt metatheſis literarũ, quæ & latinis auribus iucundè percipitur in vis & ius; vtrumuis enim ſumpſeris, idẽ dixeris, quod Græcè ἐξουσίαν latinè poteſtatem generalius interpretari poſſis. Accurſius in definitione tutelæ, cùm hanc metatheſin non intelligeret, & epexegeſin illic factam non animaduerteret, qua vis exponitur poteſtas, multa ineptè nugatus eſt de violenta poteſtate, quam tutores habeant in pupillos: Melius Theophylus, qui vim δίκαιον reddidit, & per epexegeſin ἐξουσίαν interpretatus eſt. Quæ res contentioſis anſam litigandi præbet, diſputantibus, vtrũ vis eo loco rectius legatur, an ius; cùm epexegeſis ipſa vtrumque ex æquo admittat: tantundem enim dixerit, qui tutelam dixerit vim, atque is qui dixerit poteſtatem.

Quemadmodum igitur in vis & ius, ita etiam in Vit & Iut idem anagrammatiſmus conſimilem literarum metatheſin admittit, vnde porrò Vitæ, Iutæ; Vitia, Iutia; Vitho, Iutho; Vithonia, Iuthonia pari conſequentia dicuntur. In quem Anagrammatiſmum cùm Gothici nominis ratio literarum Metatheſin nullam admittat, ſatis euidenter patet, Iutas non eſſe dictos ex Gothis.

Alia ratio, qua ex Vitis fiunt Iutæ. Et quanquam hac deductione Iuthonici nominis in propoſito contentus eſſe poſſem, tamen cùm hæc à vulgi vſu fortè remotior alicui videri poſſit, age ex alio fonte aliam proferamus, quæ ad vulgi captum propius accedat.

Cau-

Cauſam interim ob quã ex Cimbris Vitas factos eſſe ſupra diximus, hic non repetimus; ex Vitis autem hac etiam ratione Iutæ fiunt.

In proprijs hominum nominibus, quæ ab VV incipiunt vulgari lingua, prius illud V conuerti ſolet in G, ſic vt pro VV ſonet Gu: ita enim ex VValtero Gualterus, ex VVelpho Guelphus, ex VVilhelmo Guilhelmus, ex VViberto Guibertus, ex VVoda Guoda; & ſic ex VVytis Guitæ dicti ſunt, qui ſucceſſu temporis euphoniæ gratia abiecto i Gutæ remanſerunt. Atque ita nihil mirum eſt ex Vitis Gutas, ex Vithone Guthones deriuari.

Non abſimili porrò deductione ex Gutis Iutæ fiunt: eſt ea inter literas G & I cognatio in communi lingua Germanica, vt altera interdum alterius ſonum exprimat, proprium amittat; vt cùm I ſcribitur, G pronuncietur, & vice verſa I pronuncietur, cùm G ſcribitur. Cuius quidem euphoniæ cacorelia nonnulli ex maieſtate mageſtatem, & maiori magorem faciunt; quo modo etiam ex Iulio Gulium, ex Iuliaco Gulick fabricarunt. Sed vbi moderatè fit, non abſurdus ſonus eſt, ſicut ante omnes vocales fieri obſeruatum eſt: ſic enim ſcribimus Garyth, & pronunciamus Iarich; ſic ex genua ianua facta eſt, vt eſt apud Aeneam Syluium de bello Cyprico; ſic ſcribimus Gemma, & pronunciamus Iemma; ſic ſcribimus Gildu, & pronunciamus Iildu; ſic ſcribimus Golle, & pronunciamus Iolle. Sic igitur ſcribimus Gutas, & pronunciamus Iutas; eodem modo etiam ſcribimus Guthones, & pronunciamus Iuthones. Atque ita quidem apparet Iutas ex Vitis, & Vitas ex VVyt eſſe dictos vſitata li-

Cognatio literarum G & I.

terarum tranſmutatione receptæ hiſtoriȩ ſuffragante.

Obiectio. Sed miretur hic fortaſſe quiſpiam, cur ita Cornelius Tacitus, neque Vitarum, neque Iutarum meminerit, ſi iſti ex VVyt, ſiue Vithone, ſiue Iuthone originem ducunt, cùm is totis quadringētis annis ante ætatem Taciti floruiſſe proponatur? Deinde, quid cauſæ ſit, cur Beda Vitas nominet, Iutas non item; cùm vtriuſq; nominis eadem origo aſſeratur?

Solutio. Ad primum quod attinet, meminiſſe oportet Vithoni, ſiue Iuthoni non totam Cherſoneſum, ſed partem eius duntaxat vnam in dotem fuiſſe aſsignatam, quæ ex eius nomine Viti terra, hoc eſt, Vitlant, vt & incolæ eius die Vitlanders appellati ſint, vti ſupra dictum eſt. De hac autem *Controuerſia de Vitlandia.* Viti terra inter Saxones ac Danos ob cauſam ſupradictam diuturna contentio fuit, quā indies gliſcente, & in maius creſcente, cùm, Cimbris altius implicitis, de tota tandē Cherſoneſo certari ceptum eſſet, etiā tota Cherſoneſus ad recor- *Tota Cherſones⁹ Vitlandia dicta.* dationem Vitonis VVytlandia, & demum etiam Iutlandia nominata fuit.

Cùm igitur ætate Taciti Cimbri adhuc Cherſoneſum obtinerent (etſi fortè recens Vitarum & Iutarū nomen audiuerit) ille conſueto nomine Cimbros appellauit; tum quod id generale eſſet, tum etiam quod eſſet notum Romanis, quorum hiſtorijs locupletandis & illuſtrandis ſuas deſtinabat.

Cur Beda tātum Vitas nominauerit. Bedam ideo Vitas tantùm nominaſſe puto, quod Vitarum appellatio vicinior ſit primitiuo nomini VVyt, & proinde Cimbris per Danos iā oppreſsis diutius adhæſerit, vt Iutarum nomen poſt ætatem Bedæ demum inoleuerit, cùm per litera-

literarum immutationem nomen authoris longius immutatum eſſet. Vel ideo fortè, quod etſi Iutarum nomen fortè audiuerit, Vitarum tamen nomine oportunius vti maluerit, ad conſeruandam rei geſtæ memoriã in gratiã Friſiorum, cùm & ipſe origine Friſius eſſet: nã ſubditi iſti Vithonis, quos ille vt colonos in Cherſoneſum recenter adueniens ſecum adduxerat, ex Friſijs & Saxonibus & Cauchis potiſsimũ collecti, & communi nomine à principe ſuo Vitæ appellati ſunt. Cimbros certè & Iutas apud diuerſos authores paſsim, Vitas nuſquam, niſi apud ſolum Venerabilem Bedam, quod equidem meminerim, hactenus legi: apud hunc autem Vitas, & non Iutas legi oportere ſatis ex eo liquet, quod horum natio ad ſuam vſque ætatem nomen ſuum etiam in Britannia conſeruauerit.

Qui ſint igitur apud Bedam Vitæ, & cur ijdem apud Saxonem & Crantzium dicantur Iutæ, & quod hi ipſi Cimbri quondam dicti fuerint, ex his quæ dicta ſunt apparet.

Quorum ſedem proinde eſſe eandem, quæ olim Cherſoneſus Cimbrica, nunc Iutia dicitur, vti nemo dubitare poteſt, ita paucis hic addendum eſt, eam eſſe peninſulam, quæ ab Auſtro Saxoniam antiquam, mediante tamen Eidora fluuio, ab Aquilone Oceanum Septentrionalem, ab Oriente mare Britannicum, ab Occidente mare Germanicum habet; quod ex Strabone, Ptolemæo, Tacito & alijs conſtat, vt vicinis Anglis & Saxonibus antiquis ſuas ſedes rectè aſsignemus, de quibus iam porrò dicendum reſtat. *Iutia quæ.*

CAPVT VNDECIMVM.

PERPERAM ASSERERE CRANtzium eoſdem eſſe Anglos & Saxones, & quæ ſit apud Crantzium, quæ ſit apud Bedam vetus Anglia.

DEmonſtratis igitur & illuſtratis ad hunc modum Vitis, ordo poſtulabat, vt conſequẽter iam diceremus de Anglis, quos Beda Vitis Occidentem verſus proximè vicinos facit, & inter Vitas ac Saxones medios collocat: Sed quia Crantzius Anglos cum Saxonibus confundit, operæ precium eſſe videtur, vt prius hoſce populos à confuſione, Bedam à maculis, lectorem ab errore vindicemus.

Alij Angli, alij Saxones.

Crantzius enim cùm legiſſet apud Bedam, Anglos ſiue Saxones in Britániam eſſe vocatos, eoſdemque paſsim tùm Anglos Saxones, tum AngloSaxones appellari, ratus eoſdem eſſe Anglos ac Saxones, ex nominibus eorum titulos confinxit, & opinionem animo ſemel conceptam pertinaciter vrget, planeque contendit vnam eandemque gentem eſſe, quamuis nominibus diuerſos Anglos ac Saxones.

Argumenta igitur, quibus hoc lectori perſuadere voluit, nos, quo clarius conſpici & certius dijudicari queant, in numerum conferemus, & ordine paucis confutabimus; quo facto declarabimus, quæ ſit apud Crantzium, quæ ſit apud Bedam vetus Anglia.

4. Argum. Crantzius contendit Anglos ac

Crantzius autem, vt perſuadeat id quod intendit, quatuor fere argumẽtis vtitur; quorum primum à communione nominis, ſecũdum ab eiuſdem nominis etymologia, tertiũ ab ipſius terræ ſitu,

ſitu, quartum à rebus ab ipſa Anglorum gente ge- *Saxones eoſdē eſſe.*
ſtis petitum eſt: quæ tamen omnia ille ad ſolam
Veſualiæ Angriuariam dirigit, vt ex ſubſequen-
tibus apparebit.

Diſtinctio nominum Angli, Anglij, & Angili, & Angrij; qui & Angriuarij.

Ante omnia igitur ne Crātzius hic ſolita ver-
borum figulina nos ludificetur, admonere lecto-
rem voluimus, eos quos Beda Anglos vocat, à
Tacito Anglios, à Ptolemæo Angilos appellari:
Angrios apud Bedam nullos eſſe, apud Tacitum
& Ptolemæum eos Angriuarios appellari, & ab
Anglijs & Angilis iſtis vtrobique diuerſos eſſe.
Age igitur nunc audiamus Crantzium.

1. Communio nominis.

a Saxon. li. 1. ca. 21.

Ac primùm quidem de communione nomi-
nis: Angili quidem (inquit *a*) teſte etiam Ptole-
mæo, vocati ab olim, ſed ætatis progreſſu corru-
pto vt ſit vocabulo, pro Angilis Angiri dici ce- ”
perunt: quorum princeps Vitekindus poſteris ſæ ”
culis toti prouinciæ dominabatur, illo tempore ”
quo Magnus Carolus prouinciam omnem Saxo- ”
niæ ad ſacra Chriſti cogeret: hodieque Princi- ”
pes Saxoniæ ſe duces Angriæ & Veſphaliæ præ- ”
ferunt in titulis. Colonienſis quoque Archiepiſ- ”
copus, ex die deſtituti Henrici Leonis, illum ſi- ”
bi aſſumpſit inſcriptionis titulum. ”

Figmentū Crantzij.

Crantzius hic ex Anglis Bedæ fabricat Angri
os Veſualię, quos quia Saxones eſſe putat, infert,
Anglos igitur & Saxones eoſdem eſſe: Quod pro-
inde vt ita eſſe declaret, citat Ptolemęum, qui te-
ſtetur hos olim Angilos eſſe dictos, ex qua vo-
ce ſucceſſu temporis deprauata facti ſint Angiri.
Vbi quis non admiretur ingenium Crantzij, qui
Ptolemæum ſtatuit veluti interpretem nominis
Anglici, inter Bedam & poſteros eius; cùm Pto-
lemæus non minus quingentis annis mortuus ſit
antequam naſceretur Beda. Itaque Ptolemæus

nihil minus teſtatur, quàm Angrios Veſualicos olim dictos fuiſſe Angilos; vtpote qui Angilos, quos ipſe vocat, Iutis proximos facit: Beda autem Ptolemæum ſecutus eſt, & quos ipſe Anglos vocat, cum Ptolemęi Angilis eoſdem facit, & Iutis itidem vicinos conſtituit. De Angiris & Angrijs, nec apud Ptolemæũ, nec apud Bedam mentio vlla eſt: Ptolemęus Angriuarios ab Angilis, & Anglis iſtis lõgè diuerſos facit, & in Veſualia collocat, ex quibus voce paulatim deprauata Angrios eſſe deductos nemo dubitat. Quid igitur lector hîc eſt cõſecutus, niſi merũ figmẽtum Crãtzij de Angiris? Cedo igitur cõmentum aliud:

Figmentum Crantzij.

Vitekindus autem, (inquit Crantzius) cùm rex illum Carolus baptizatum, in ſua, vti diximus, prouincia gubernare permitteret, ædificata in Anglaria (nunc Angriam vocant) inſigni templo &cæt.

Ecce amice lector quàm bene ſibi conſtet Crantzius, qui quos modò Angilos antiquitus, & inde Angiros fuiſſe dictos aſſeruit, eoſdem hic iam olim Anglarios, & inde Angrios appellatos ait; vtrumque autem ſine ratione, ſine teſte.

Figmentũ Crantzij a *Saxon. li.1.c.20.*

Bedam, (inquit Crantzius *a*) quem teſtem introduximus, his de rebus ſcribentem, quia multis incomperta res eſt, Saxones Britãniam de ſuo nomine (quod Angli dicerentur) dixiſſe Angliam audiamus.

Reſpicit Crantzius ad ſuos titulos, quos ex Bedæ populis fabricat. Itaque Bedam id nuſquã dixiſſe, quod eum aſſeruiſſe Crantzius hic dicit, iam ſupra liquidò demonſtrauimus, *b* & alibi cauſas reddidimus, *c* cur ab Anglis, & non à Saxonibus Britannia nomen Angliæ obtineat.

b *li.2.c.9.*
c *in Hengiſto noſtro, & infra hoc eodem cap.*

Illud interim hic diſcutiendum venit, errare

Crant-

Crantzium, qui authoritate malè intellecti Bedæ, aſſerit Saxones & Anglos eoſdem eſſe, quia Saxones apud Bedam, vt ipſe dicit, Angli dicerentur: Vtrumque enim hoc falſum eſt; nuſquã enim Beda Saxones dixit eſſe Anglos, ſed ſatis clarè innuit, Anglos eſſe Saxones: cùm ſtatim in initio (vbi de Britanniæ occupatoribus loquitur): Angli (inquit) ſiue Saxones. Interim tamẽ hinc intelligi non voluit, eoſdem eſſe Saxones & Anglos, quos ibidem ipſe clariſſima diſtinctione diuerſos eſſe demonſtrauit.

Alios eſſe Anglos, & alios Saxones per ſe: ſubiectione autem Anglos eſſe Saxones, non autem e contra Saxones eſſe Anglos.

Itaque vt error Crantzij dilucidè percipiatur, Angli rectè dicuntur Saxones, at verò Saxones perperam dicuntur Angli; conuincit id notabiliter ipſa dignitatis ac prærogatiuæ ratio, qua Saxones Anglis præponderant.

Meminit Crãtzius ſupra, Sueuos aliquando ad mare vſque eſſe dominatos, & cum his bellũ fuiſſe Saxonibus: certè Ptolemæus ibidem Sueuos collocat, quibus, vt & alias nonnullas gentes, ita & Angilos ſuos ſubijcit. Eos igitur Saxões Sueuis tandẽ partim pacto, partim bello abſtraxerunt, & ſuæ ditioni ſubiecerũt, vt infra latius dicetur.

Cùm igitur ſubditi ab his denominari ſoleant quibus parent, Angli iſti, quamdiu Sueuis ſuberant, Angli Sueui dicti ſunt; poſtquam verò in Saxonum ius conceſſerunt, Angli Saxones appellati ſunt: ex quo manifeſtè perſpicitur, & diuerſas eſſe gentes Anglos & Saxones, quarum alia paret, alia imperat; & non rectè dici Saxones eſſe Anglos, quod non victores à victis, ſed victi à victoribꝰ in hoc genere denominari ſoleãt. Sic enim cùm ijdẽ Saxones magnã Vandaliæ partẽ ſibi ſubiecerint, Vandali iſti rectè Saxones à victoribus, Saxones à victis ineptè Vandali dicãtur.

Huc accedit & illud,quod cùm Angli iſti in diuerſas prouincias olim diſtracti acdiſſeminati ſint, vt infra dicetur latius,appellationem diuerſam ſortiti ſint à gentibus, in quarum cliẽtelam conceſſerant: Itaque alij Angli Pomerani, alij Friſij, alij Germani dicti ſunt, qui patria relicta, ad haſce nationes cogente neceſsitate confugerant:his nomen ſolitum remanſit, vt Angli Saxones dicerentur,qui à Saxonibus denominantur.

Quibus proinde ſic diſcuſsis,Bedæ tres populi ſui Saxones, Angli, Vitæ reſtituũtur, & Crantzio tituli de manibus excutiũtur,quorum figmẽto Saxones eoſdẽ eſſe cum Anglis vidiri voluit.

Ex etymologia nominis Anglici Crantzius arguit eoſdem eſſe Saxones & Anglos.

Inſtat iam argumento ſecundo Crantzius, & ex Etymologia nominis Anglici contendit, ex Angria Saxones eſſe profectos, qui Angli dicebantur,& Britanniam de nomine ſuo Angliam vocarunt;& Saxonem Gammaticum deridet, quem & falsò aſſerit ſcripſiſſe Angulum Dani fratrem Britanniæ nomen indidiſſe Angliæ. Cuius proinde verba,ne quis nos calumniari putet, hic proponemus conſpicienda:

a Dan. li 1.cap.2.

Saxo Grammaticus,(inquit *a*) Danicæ hiſtoricæ
" author,ſtatim in initio libri primi:Dan igitur &
" Angul,(inquit) à quibus Danorum cepit origo,
" patre Humblo procreati, non ſolùm conditores
" gentis noſtrę,verùm etiam rectores fuêre.Et pau
" cis verbis interpoſitis (quæ nos breuitatis cauſa
" hic omittimus)ſubijcit:Ex quibus Angul (à quo
" gentis Anglicæ principia manaſſe memorię pro-
" ditum eſt)nomen ſuum prouinciæ, cui præerat,
" aptandum curauit,leui momenti genere peren-
" nem ſui notitiam traditurus: Cuius ſucceſſores
" poſtmodumBritannia potiti,priſcum inſulę no-

men

men nouo patriæ ſuæ vocabulo permutarunt;,,
magni id factum à veteribus æſtimatū, teſtis eſt,
Beda,non minima pars diuini ſtyli, qui in An-,
glia ortus,ſanctiſsimis ſuorum voluminum the-,,
ſauris res patrias ſociare curæ habuit, æquè ad,,
religionem pertinere iudicans, patriæ facta li-,,
teris illuſtrare, & res diuinas conſcribere. Ve-,,
rùm à Dan, vt refert antiquitas Regum noſtro-,,
rum,ſtemmata,ceu quodam deriuata principio,,,
ſplendido ſucceſsionis ordine profluxerunt.,,

Verba hæc Saxonis clara ſunt & expedita, quæ tamen quo modo Crantzius lancinet, operæ precium eſt audire. Qui cùm in Dania ſua verba hæc Saxonis recitaſſet, ita ſubiecit: *a* Libuit (inquit) in primordio authoris, quem ſequimur, verba repetere. Sed hîc circumſpectionem tuam Saxo requiro, qui arbitraris ab Angul Angliam

Crantzius verba Saxonis ſiniſtrè interpretatur.

a *Dan.l.1. cap. 2.*

dictam Britannicam. Nimis lōga eſt anticipatio"
huius nominis. Anni ſupra mille interceſſerunt"
ex hoc die, in illud tempus, quo inſula iſta inſi-"
gnis, quam dicis, primùm Albion, inde Britan-"
nia, nouiſsimè Anglia dicta eſt, ab Anglis Saxo-"
nibus, qui nomen ſuum genti intulerunt. Sic te-"
ſtantur omnes, qui de Anglia ſcripſerunt. Et qui-"
bus armis potuit illa tempeſtate vir Danus ad"
hoc pertingere, vt Angliam gubernaret, & de"
ſuo nomine diceret? præcipua enim rerum pri-"
mordia ſemper ſunt tenera. Sed eſto, potuerit:"
Quis neſcit diu Britāniam appellatam inſulam,"
cùm illam intrauit Iul. Cæſar? deinde Claudius"
Imp. qui filium ex ea appellauit Britannicum: &"
poſt illum Seuerus, qui etiam ibi furijt: nouiſsi-"
mè Conſtantius, Magni Conſtantini pater, eo-"
dem loco mortuus & funeratus in Eboraco eſt, &"
hoc nomen ſuum vſque ad Anglos Saxones, ſub"

P 5 Imp.

" Imp. Martiano (teſte Beda) Anglicos inuictos te-
" nuiſſe, vt ſemper Britones dicerentur? Tum verò
" Anglos Saxones ſuum vocabulum illi indidiſſe,
" vt exinde Anglia diceretur? Potuit Angul iſte, ſi
" ita vis, parti Iutiæ, quæ hodie quoque Anglia di-
" citur, ſuum reliquiſſe nomen, ſed Britanniam il-
" le non mutauit.

Hæc ille. quibus quid opus fuerat, ſi Saxonem candidè ac ſyncerè accepiſſet? Saxo enim hoc dicit, quod Angul prouinciæ, cui præerat, (iſti ſcilicet quam Crantzius hic Iutiæ partem facit) nomen ſuum impoſuerit, vt Anglia diceretur, poſteros autẽ eius, qui Angli dicti ſunt, poſtea, Britanniam cùm occupaſſent, porrò de nomine ſuo appellaſſe Angliam: in quo vt euidẽs veritas, ita prorſus nulla eſt obſcuritas.

Sic enim & noſtrates, qui à Friſone conditore ſuo Friſij dicuntur, eadem illa expeditione Britannica, Scotici maris inſulam, quam occuparũt, de nomine ſuo Frieſlandt, hoc eſt, Friſiorum terram nominarunt, ad recordationem patriæ ſuæ, quæ & hic Frieſlandt appellatur.

Io. Magni Gothi error.

Crantzius autem ita verba Saxonis accepit, ac ſi ille Angulum ipſum Britanniæ nomẽ ſuum indidiſſe dixiſſet, quod eſt plane abſurdiſſimum; vt magis etiam mirandum ſit, quod Ioannes Magnus Gothus, qui Saxonem & Crantziũm legit, hunc locum ita acceperit, vt neutrum intellexiſſe videatur, ſicuti nec Henricus Pãtaleo, qui Gothum ſecutus eſt, aſſerens Angulum præfuiſſe Britanniæ, quod vtiq; nec Saxo dicit, nec Crantzius: quod inde illis accidiſſe videtur, quod Angliã veterẽ illam Iutiæ proximã ignorauerint, vnde profecti ſunt, qui Britanniam nominarunt Angliam.

Henrici Pantaleonis error.

Vt autem ex vera nominis Anglici Etymologia

gia declaremus, non ex Angria Veſualica, ſed ex Anglia Iutiana profectos eſſe, qui Britanniæ nomen Angliæ indiderunt, age Saxonem Grammaticum paucis examinemus, qui ſi candidè tractetur, luce clarius nos docebit, quod requirimus.

Vera ſedes Anglorũ, qui Britanniæ nomen ſuum indiderunt.

Puro autem nominum Etymologias in quauis gente ex idiomate populari æſtimari oportere, quod vulgo vſitatum, non ex voce aſcititia, quæ illi ad latini ſermonis analogiam qualemcunque affingitur. Itaque non quærendum vnde Anglia, Iutia, Friſia; ſed vnde Engellãdt, Iutlãdt, Frieslandt dicatur? nam ſtatim certa ratio popularem linguam callenti dictabit, inde dici, quod ſit Anglorum, Iutarum, & Friſiorum terra, cùm propriè hæ voces id ſignificent.

Etymologiæ nominum vnde petendæ ſint.

Cùm itaq; Saxo indicat hanc terram, cui Angul præfuit, à conditore ſuo Angliam fuiſſe dictam, obſcurius docuit, quod voluit, quia inſiſtit Analogiæ latinæ, ex qua non ſatis perſpicuè intelligitur primitiua nominis Etymologia, quæ vulgo nota erat.

Ideoque clarius dcturus erat, ſi expresſiſſet nomen conditoris ita, vti populari lingua ſonat apud ſuos.

Engel enim vulgo dictus fuit, qui apud Saxonẽ dicitur Angul, cuius terra proinde iuſta analogia Engellandt dicta fuit, vt & ſubditi die Engelſchen, ſiue Engellanders.

Angul, Engel, Anglus, Angelus, vſitata nomina ſunt Germanis Aquilonaribus.

Nemo enim vel ignorat, vel negare poteſt, toto illo Boreali terrarum tractu, qui inter Iutiam & Galliam eſt, vſitatisſimum eſſe, vt & alibi, nomen Engel; & quod vtrique ſexui communiter competit: & poſſemus multis huiuſmodi nominibus in medium productis id probare, ſi dubium eſſet. Certè hic Angliæ Princeps Angul

filiam

filiam habuit, quæ paterno nomine Engel dicta fuit;ex qua in vxorem ducta, Geroldus Saxonis filius Syfridum procreauit,ex quo Ducum Saxonicorum genealogia recta linea deſcendit. Quin & ipſa Pandora illa,quę Vortigernum iſtum Britanniæ Epimetheum intoxicauit, Hengiſti filia, vt quidam tradunt,Engela dicta fuit.

Deductio nominis Angul. Nec verò perturbare quenquam debet, quod Angul in priori ſyllaba A,in poſteriori v habeat; cùm Engel,in vtraq; habeat E: cùm huius rei cauſæ iuſtæ in promptu ſint. Primum enim E, quod vulgo vſitatum eſt,ratione latinæ analogiæ mutatur communiter in A, ſicut & in conſimilibus: Sic enim & hodie Britanniam vulgo Engellãdt, latinè Angliam;ſic partem Veſualiæ vulgo Engeren, latinè Angriam; ſic terram veterum Cattorum vulgo Heſſen,latinè Haſſiam vocamus:ideoque ſic etiam vulgo Engel, latinè Angul, ſicut & vulgo Denen,latinè Danos dicimus.

Deinde etiam in proprijs hominum nominibus indifferenter A pro E, & vice verſa vtimur, vt patet in Adel & Edel, in Aleff & Elef, in Hialmerus & Hielmerus, in Hialto & Hielto, & in conſimilibus infinitis;quæ Friſiorum,Danorum, Sueuorum, & Gothorum hiſtorias legentibus paſſim obuia ſunt. Et ipſum etiam principis huius nomẽ,de quo hîc iam diſputamus, hodie alij per e efferunt, ac dicunt, Engelum; alij efferunt per a,ac dicunt Angelum: & cùm diuerſa nomina videantur, ob diuerſam ſcripturam, qui vtriuſque vnam eandemque Etymologiam ignorãt, Angelum interpretantur nuncium,quia nuncius græcè dicitur ἄγγελος,quod & vulgo hodie perſuaſum eſt,vt qui Engel populari lingua dicitur, hic angelus latinè dicendus videatur, quia vtrobiq;

iam nomen hoc pro nuncio diuino accipitur.

Porrò autem quod apud ſupradictas nationes Septentrionales in proprijs nominibus ſæpius V in E, & è contra E in V, mutetur, eaſdem hiſtorias legenti patet: Sic enim & pater huius Principis, de quo agimus; Sueuorum Gothorumque rex, qui apud Saxonem Grammaticum Humblus appellatur, apud Ioannem Gothum aliâs Humulus, aliâs Humelus vocatur; vt etiam hūc Principem Engelum fuiſſe dictum nemo debeat mirari.

Certè quod iſta terra, cui Angul hic præfuit, in vtraque ſyllaba e habuerit, & Engellandt dicta fuerit, ex colonijs eius liquidò apparet, quæ omnes hanc vocalem repræſentant: Huiuſmodi autem ſunt Englehem in Pomerania; Englum in Friſia; Engelheim, Engelthal, Engelſtad in Germania, ſicuti infra latius dicemus *a*. a *cap. eod. l. eo. infra.*

Quemadmodum igitur Frieſlandt à Friſone, Iuthlant à Iuthone; ita etiam Engellandt ab Engelo primo conditore ſuo nomen obtinuit. Illa inquam prouincia Iutiæ proxima, cui Angulū præfuiſſe declarat Saxo Grammaticus, qui idem etiam ab huius fratre Dano primo eius conditore Daniam appellatam ſcribit, qui & ipſe Dan, vulgo Den appellatus fuit, a in e longum mutato, quod prouinciæ nomen apertè teſtatur, quæ vulgò hactenus Denemercken appellatur, vt & incolæ ipſi Denen.

Hæc vt perſpicua veritate nituntur, (quia ex vſu populari petita ſunt) ita ſânis ingenijs abſurda videri nullo modo debent: nec enim inuſitatum eſt, caſtra, ciuitates, prouincias, & alia loca conditorum nominibus inſigniri; neque inſolitum nomē eſt, vel Engeli apud Anglos Iutianos, & alibi, vt ſupra dictum eſt, vel Deni apud Danos,

nos, apud quos poſt primū hunc duos adhuc eius nominis Reges fuiſſe ex eodem Saxone diſcimus.

Ioan. Goropij nugæ. Quod igitur Ioannes Goropius Becanus hic aduerſus Saxonē Grammaticum, vt & alibi aduerſus alios nugatus eſt, id neq; lectori ſano credendum, neque nobis refellendum eſt, vtpote quod in opere ioculari non docendi, ſed delectandi lectoris gratia luſum eſt.

Alioqui enim quis hominem quenquā, nedum Goropium, tam impudentem fore credat, vt ſeriò cūctis pene hiſtoriographis fidē adimeret, ſibi ſoli aſſereret; etymologijs fermè vbiq; ſua probaret, quibus etiā rectis ac ſynceris, nedū cōmentitijs & ex populari lingua cōfictis, nunquam vir modeſtus vllus multū tribuit; ea deniq; negaret, quę omnes probant; ea aſſereret, q̄ omnes negant?

In propoſito enim noſtro, quod ad Saxonem Grammaticum attinet, quis eum Demoſthenes aut Cicero (ſi quidem ſeriò locutum fateatur) ab effronti impudentia defendat, vbi dicit, Saxonē toto opere ſuo vſque ad Carolum Magnū, nihil adferre præter fabulas, & plus quàm anilia deliramenta, cùm id falſiſſimum eſſe pręſens Friſicorum, Sueuicorum, & Gothicorum annalium collatio euidentiſſimè demonſtret?

Quis autem ſeriò locutū credat, niſi qui ipſe ſit impendio ſtultus, vbi Etymologiā reddit nominum Dan & Angul?

Quis denique ſtomacho tam patienti ſit, vt concoquere poſſit (niſi vt ioco dicta accipiat) vbi à Saxōe prolata veluti falſa deridet, quæ nō modò ſcriptorū conſenſu, ſed & experientia ipſa probātur, & ſua tanquā vera proponit, quæ contrario ſcriptorum conſenſu & experientia cōfutantur?

Hoc igitur noſtrū de Goropio iudicium, quod

& an-

& antea tulimus & hic repetimus, ſi quis fortè nõ recipit, eumq; non iocularium, ſed ſerium opus reliquiſſe cõtendit, huic reſpondemus primùm, quod Philoſophus nos docuit, contra negantem principia nõ eſſe diſputandũ: Nam qui Saxonem res patrias ſcribentem illis excutit, quorum res cum Danicis fortuna coniunxit, is pluribus gentibus iniuriam facit non minorem, quàm ſi ſe de cenſuris gladium eriperet; cùm harum probationes contra Goropiũ ex Saxone petendæ ſint. Deinde & hoc dicimus, Goropio in his quæ contra Saxonẽ diſputat in propoſito noſtro, propter euidentem abſurditatem nihilo plus deberi fidei, quàm Anaxagorę aſſerenti picem eſſe candidam, & niuem atram; quod contrariũ eſſe videntibus oculi ſui, cæcis teſtimonia ſanorum indicant. Si quis tamẽ ſeriũ ſcriptorẽ eſſe contẽdat, huic nos ſeriò reſpõſuri ſumus ſaltẽ in propoſito noſtro.

Britannia denominata Anglia ab Anglis Iutianis, de quibus Beda.

Cùm itaq; Britanniam ab his potiſſimum denominatam eſſe Angliam conſentaneum ſit, quorũ nomẽ ipſa proximè repreſẽtat, quis dubitet hos Anglos fuiſſe Bedanos, qui ex Anglia illa Iutiana profecti, & Britannia potiti, vt Saxo dicit, priſcum inſulæ nomen nouo patriæ ſuæ vocabulo permutarunt? vtpote cùm etiam prouincia vtrobique & Engellãdt, & vtriuſq; incolæ die Engelſche ſiue die Engellanders nominentur? In Veſualia enim neq; Engellandt, neq; die Engelſche aut Engellanders habitare quiſquã audiuit: Angrij enim iſti Veſualici die Engeren, vt & patria eorum vulgo ſemper Engeren dicta fuit.

Ex ſitu loci Crantzius arguit eoſdem eſſe Saxones & Anglos.

Vrget porrò Crantzius argumentum tertium, & à ſitu loci demonſtraturum ſe putat, eoſdẽ eſſe Anglos ac Saxones: nam cùm Angriam ſuam ex Anglia Bedana fabricet, eamq; in Veſualia collo-

cet,

cet,quam Saxoniã vocat,infert Anglos eſſe Saxones,æquè ſcilicet ac Angrij ſunt Veſuali.

Sed cùm Beda aſſerit Anglos ſuos ad mare Septentrionale prope Iuthiã eſſe, eoſq; collocet medios inter Vitas ac Saxones, loci ſitus hic docet Angrios Veſualicos non eſſe Anglos Bedæ: Angrij enim iſti Veſualici non maritimi ſunt, ſed mediterranei;& in Veſualia neque Saxones vlli ſunt, neque Vitæ,qui Angriorum latus vtrimque claudant.

A rebus geſtis Crantzius arguit eoſdem eſſe Saxones et Anglos. Anglia Bedæ deſerta, Angria Crantzij non item.

Reſtat argumẽtum quartum à rebus geſtis ductum;nam cùm Beda dicat,vt ſupra vidimus, Anglorum patriam, vnde in Britanniam immigrarunt, ad ſuam vſque ætatem iacuiſſe deſertam: Crantzius id quaſi de Angria ſua dictũ accipiens, confidenter negat,eam vnquam iacuiſſe deſertã, vel cultoribus fuiſſe vacuatam.

Sentit fortaſſe Crãtzius de colonijs,quas Veſualia ſingulis annis in longinquas regiones magno prouentu educit, ſicut teſtatur Varnerus Veſualus in laude antiquæ Saxoniæ ſiue Veſualiæ.

Longè alia res fuit, quam narrat Beda de Anglis Iutianis : hi enim per expeditionem Britannicam ſuam patriam prorſus deſeruerunt, nullis in ea cultoribus relictis.

Primùm enim Angli iſti,quibus aliâs cũ Danis, aliâs cum Saxonibus,continuè autem cum Oceano bellum erat,pertæſi patriæ ſuæ, cùm à Britannis inuitarentur,ſpe melioris conditionis ac fortunæ,cùm tota gente in Britanniam nauigarunt, (præmiſſis tamen tribus longis nauibus,quæ bellatores ferebant)quòd Saxones ac Iutæ non fecerunt. Deinde cùm Britones primo commiſſo prælio, quo Horſus occubuit, aduenas ferè omnes Britannia exturbaſſent, Anglorum tamen aliquã

partem

partem in fide retinuerũt,quod hiſce auxilij contra Pictos & Schotos præſtiti primis authoribus (vt videntur)ſe ſtipendiorum ratione nonnihil obligatos agnoſcerent.

Iutæ igitur,qui eiecti erant in Iutiam, & Saxones conſimiliter in Saxoniam ſuam redierunt; Angli ſoli in patriam redire noluerunt, vel ob cauſas iam ſupra dictas,vel quod alibi meliores ſedes inuenirent, vel etiam quod ſe cõterraneorum ſuorum opera in Britanniam aliquando reuerſuros ſperarent. Itaque alij aliò per Germaniam diſperſi ſunt;ab his Anglehem in Pomerania;ab his in Germania Engelſtadium, Engelheim, Engelthall & ſimilia, non deſunt qui profecta ſuſpicantur, inter quos & Andreas Althamerus eſt. Magnam certè Anglorum copiam ex Britannia duce Hengiſto in Friſiam tunc traiecisse ex annalibus noſtris intelligimus: Hengiſtus enim,qui expeditionis Britannicę Dux erat, quod hoſpitio & auxilio horum Anglorum diu vſus eſſet,gratitudinis ergo libenter eis in Friſia locum dari à ſuis impetrauit;maximè cùm & horum, & illorum qui in Britannia remanſerant, coniuncta opera ſe tandem aliquando Britannia potiturum ſperaret;quod & factum eſt. Itaque Angli iſti tunc in Veſtergoa,prope veterem ciuitatem Tutgongam,quę per Danos poſtea vaſtata, Bellocomum dici cępit,vicum condiderunt, nõ longè à brachio maris Mediterranei, quod & nunc alluuione coaluit,ex oppoſito fere Leouardiæ, qui Englum ſiue Engelhemum in hodiernum vſque diem dicitur. In eo Angli non infeliciter egerunt,vſque ad Dagoberti patrem Clotarium Francorum regem, ſub quo hi potiſsimũ ſoli luerũt pœnas,quas communis Friſia per ſu-

Angli Britannia expulſi in diuerſas terras diſparguntur.

Hengiſtus Anglos ex Britannia in Friſiam ducit.

Englũ pagus Friſiæ.

um Regem Beroaldum cōmeruerat, qui ad internecionem pene omnes deleti ſunt, ſicuti teſtatur etiam in Faſciculo temporum Varnerus Veſualus idem, qui ſcripſit laudem antiquæ Saxoniæ, ſeu Veſualiæ. Is ad annum Chriſti 630. Dagobertus (inquit) Rex Franciæ interfecit Anglicos, qui tunc Saxones dicebantur, omnes excedētes menſuram gladij ſui: putant quidam, quod hæc crudelitas Francorum fuit cauſa æternæ inuidentiæ & diſſentionis Anglorum contra Francigenas. Ita ille. Vbi Dagoberto factum patris aſſcribit: Etſi enim Dagobertus occaſionem huic bello dederit, pater tamen eius Clotharius rē geſsit; quod non modò ex archiuis noſtris, ſed & ex Gregorio Turonenſi, ex Annonio, Sigeberto, Nauclero & alijs multis conſtat.

Dagobertus Francorum Rex interficit Anglos & Friſios.

Cùm igitur Crantzius neget Angriā ſuam vnquam cultoribus fuiſſe vacuatā aut iacuiſſe deſertā, agnoſcit nimirū ex Veſualia non prodijſſe Anglos iſtos, qui Britāniæ nomen indiderunt.

Bedam Cratz. perperam exponit.

Quod igitur Crantzius ſupra dicit, omnes teſtari, qui de Anglia ſcripſerunt, quod inſula iſta inſignis primū Albion, inde Britānia, nouiſsimè Anglia dicta ſit ab Anglis Saxonibus, qui nomen ſuū genti intulerūt, verum id quidē eſt; ſed eo ſenſu Anglos Saxōes accipiūt, quo Beda propoſuit, Saxo retulit, quo omnes non ignaui, nō peruerſi intelligūt, hoc eſt, pro duobus, nō titulis, vt Crātzius, ſed populis, ijs ſcilicet, qui cum finitimis eorum Vitis ſiue Iutis Britanniā occuparūt, & vt erant tres diſcretę gentes, ita etiā tres diſcretas in Britannia poſſeſsiones acceperunt, quas Beda diſertè indicat. Hac ſignificatione etiā in patria ſua diuerſas tres fuiſſe gētes Saxones & Anglos & Vitas ſiue Iutas, præſens locorum ſitus trifariam

am diſtinctus, in hodiernum vſque diem teſtatur, eo planè modo, quo ſcripſit Beda, vt ſupra demóſtrauimus. His igitur ita diſcuſsis, reſtat id quod vltimo loco nobis propoſueramus, vt paucis indicemus, quæ ſit apud Crantzium, quæ ſit apudBedam vetus Anglia.

Quæ ſit apud Bedã, quæ ſit apud Crantziũ vetus Anglia.

Crãtzius aũt, quanquã pertinaciter vrgeat propoſitũ ſuũ, quo ex Angria Angliã fabricet; agnoſcit tamen etiã veterem illã Bedæ Angliã: Angriæ enim Saxonũ Ducẽ Vitekindũ, Angliæ Dani fratrem Angulum præponit; Angriam in Veſualia, Angliã prope Iuthiã collocat: ex quo facilè quiuis iudicabit, qua ſynceritate Crantzius lectori Angriam commendet. Interim verò cùm diuerſi authores de ſitu veteris Angliæ diuerſa tradiderint, nos omiſsis opinionum fluctibus, Bedã paucis cõſiderabim⁹, quo diſcuſſo veritas apparebit.

De Anglia veteri diuerſæ anthorũ traditiones.

Beda igitur, qui Anglos ſuos Britãnicos hinc educit, Anglos veteres Saxonib⁹ ac Iutis vtrimq; conterminos facit, ipſamq; Angliã veterem inter antiquã Saxoniam ac Iutiã collocat mediã, à quo Crantzius adeo non diſſentit, vt eam Iutiæ partem faciat, ſicuti modò dictum eſt, ita vt horum conſenſu Anglis ab altero latere Vitæ ſiue Iutæ, ab altero Saxones proximè finitimi ſint.

Anglorum veterum ſedes ex Beda.

Dani etiam, qui Iutiam hodie poſsident, & proinde vicinos ſuos optimè norunt, eodẽ loco veterem hanc Anglorũ ſedem monſtrãt, quę inter Iutiã & Holſatiam Saxonũ in angulo ſita eſt, & Slia flumine ac oppido ab vna parte clauditur, ab altera verò ſinu freti atque vrbis Flensburgenſis terminatur: quam rem etiam ex Eguinarti hiſtoria temporũ adnotauit Adamus Bremenſis li.1. ca.4.

Huc etiam veteres Romanorũ ſcriptores collimant, Ptolemæus & Cornelius Tacitus: Pto-

lemæus enim nominat diſertè Angilos his in locis; Tacitus autem Anglios, & his etiam coniunctos nominat Arios, Eliſios, Monimos, qui etiam hodie appellationem retinent, nimirum Ar, Alſen, Monæ, quæ ſunt vicinæ inſulæ ſubiectæ Regi Daniæ in Ducatu Sleſuicenſi.

Cum his congruunt Cimbrorum, Danorũ, & Friſiorũ Annales: congruunt etiã Henricus Glareanus, Bilibaldus, Birckhaimerus, & quotquot præterea ſunt diligẽtiores veterum Geographorum interpretes. Vt iam nulli dubium eſſe poſſit, Angliam Bedę & Angriam Crantzij, vt nomine, ita & loco diuerſas eſſe; vtpote cùm Anglia Iuthiæ, Angria Veſualiæ pars ſit, vel teſte Crantzio, & proinde veritatem inueſtiganti, in præſenti controuerſia Bedæ veſtigijs inſiſtendum ſit: Ignorantia enim huius veteris Angliæ, ex qua Britannia poſtmodum Anglia dicta eſt, communes Germanorum hiſtorias mirum in modũ perturbauit, vt in hiſtoria Hengiſti demonſtraturi ſumus.

Ignorãtia veteris Angliæ multos errores in hiſtorijs Germanorum peperit.

Capvt Dvodecimvm.

ALIAM ESSE SAXONIAM ANTIquam apud Crantzium, aliam apud Bedam, & cui inhærendum ſit.

POſtquam Anglos à Saxonibus diſcreuimus, & Bedæ tres populos ſuos aſſeruimus, vt maniſeſtè iam appareat, diuerſos eſſe Vitas, Anglos ac Saxones, ſicuti à Beda ſunt propoſiti, reſtat iam vt declaremus alios eſſe Saxones antiquos apud Bedam, alios apud Crantzium, & cui potiſsimum adhærere debeamus.

Crantzium autem non alibi quàm in Veſualia Saxoni-

Saxoniam antiquam collocare, ex ſupradictis eius allegationibus nulli dubium eſſe poteſt: Quam eius opinionem nos iam temporum, perſonarum rerumque ratione ſatis euidenter confutauimus; reſtat iam controuerſia quarta, quam monet occaſione loci. Eo enim ipſo, quo Saxones ex Cattis, Anglos ex Angrijs fingit, antiquam Saxoniam non alibi quàm in Veſualia collocat. Cæterùm quia hæc non argumenta, ſed figmenta ſunt, quæ & ſatis dilucidè confutauimus, relicto Crantzio tranſibimus hinc ad Bedam, cuius ductu certius ad veritatem hiſtoriæ perueniemus. *Loci ratione Crantzius arguit Saxones & Anglos eoſdē eſſe.*

Beda enim cùm Saxones antiquos Anglis, vt & ipſos Anglos Vitis proximè vicinos facit, non longè à Iutia ponit, longiſsimo certè interuallo diſiungit à Veſualia.

Nam cùm tres diuerſas Saxonum ſedes ſupra ex vulgari ſcriptorum traditione conſtituerimus, a harum primam duntaxat Beda nouit & tertiam, ſecundam non nouit: Oſualiam enim Saxones tempore Bedæ iam tenebant, Veſualiam nunquam cõſequuti ſunt, vt infra patebit; ideoque comparatione tertiæ primam illam vocat antiquorum Saxonum terram, ex qua Anglos Saxones in Britãniam veniſſe dicit. Huc igitur pertinet illa D. Bonifacij epiſtola, qua Anglorum regem ad caſtitatem extimulat exemplo maiorum ſuorum: nam hi veteres Saxones itidem atque Friſij libidinem ſeueriſsimè coercebant. Ideoque errant, qui eam referunt ad Veſualiam, cùm Angli Britannici ex Anglia Veſualica originem non ducant, ipſiq; Veſuali, ne Saxones quidem, nedum antiqui Saxones ſunt. Bonifacius autem, qui 755. Chriſti anno martyrium paſſus eſt, hoc elogium de veteri Saxonia, hoc eſt *Tres Saxonum ſedes a cap. 3. lib. 2.*

Holſatia,rebus adhuc integris, tulit, cũ Carolus Magnus Holſatos demum quinquaginta quatuor annis poſtea, hoc eſt, anno 804. demum in Galliã tranſtulerit, vt ſupra ex Crantzio declarauimus cap.3.lib.2.

Huius autem Holſatiæ partem extremam, qua Iuthiæ proxima eſt, in antiquis manuſcriptis Chronicis, Olt Saxen, id eſt, veterem Saxoniã dici animaduerto. Cui ſcripturæ rei geſtæ veritas conſonat, cùm in ea parte Saxoniæ conditor ac princeps ipſe Saxo, & filius eius Geroldus, & nepos Syfridus, & cæteri Saxonũ duces habitarint, qui ex ipſis prognati apud Saxonem Grammaticum & alios referuntur.

Olt Saxẽ.

Nec rationi videtur eſſe diſſentaneum, quod hanc veterem Saxoniam Saxones ipſi olim appellauerint, ex qua primas & ſubinde nouas colonias duxerunt: nam quod eadem terra progreſſu temporis Holt Saxen, quaſi ſylueſtris Saxonia dici ceperit, etiãſi id Crantzio nõ placet, [a] equidem minus concinnũ puto, vt & illud, quod hodie dicitur eadem terra Holſtein, quaſi concauum ſaxũ. Vt enim nec ſaxis, ita nec ſyluis Holſatia ita inſignis eſt, vt inde nomen ſortita videri debeat, cùm magna ex parte ſit paluſtris, vt in Vilſtria & Crempis. Hanc igitur Saxonibus antiquiſsimam ſedem vnanimiter aſsignant Ptolemæus, Beda, Eutropius, Paulus Diaconus, Stephanus, Oroſius, & Godefrid⁹ Viterbiẽſis; & ex Saxonicis ſcriptoribus Vitekindus Corbeiẽſis, Albertus Stadenſis, Adamus Bremẽſis, Henricus Buntingius, Ioannes de Eſſendia, Hẽricus de Heruordia, Varnerus Veſphalus, & Speculum Saxonũ, & antiquiſsima Saxonũ Chronica, cum quibus & annales noſtri congruũt; & ex recẽtioribus, præter ceteros,

a Saxon. li.5.ca.27.

Saxonum ſedes antiquiſsima.

teros,etiã Dauid Chytræus,& Nicola⁹ Ciſnerus, ſine hæſitatione ſubſcribunt. Nec enim mirum eſt,recentioribus in Saxonia mirũ id videri,cùm ipſi videant hanc terrã aliâs Obotritis, aliâs Danis,aliâs Holſatis paruiſſe,qui Saxones non ſunt; & Crantzium ſequantur ducem, qui hanc Saxonum primam ſedem inſtituti ſui gratia obumbrare nititur,& proinde vbi viciſſitudines Principum commemorat,(Saxon.lib. 5. cap.27.)quibus hæc terra diuerſis tẽporibus ſubiecta fuit,recentibus exemplis , & quæ vltra Carolum Magnum non excurrunt,colligit eam aliquando paruiſſe Saxonibus, abducens hac techna lectorem à cogitatione temporis præcedentis , & ſupprimens ea occaſione antiquiſſimos iſtos Saxonum conditores,qui à primo Saxonicę gentis aduẽtu ad Carolum Magnum vſque mille centum annis continua ſucceſſione illic floruerant.

Crantzius antiquitates Saxonum obſcurat.

Confutatis igitur ad hunc modũ omnibus ijs, quę Crantzius contra receptam communiũ ſcriptorum ſententiam de Saxonum origine commentus eſt, certiſſima tẽporum, perſonarum, rerum ac locorum ratione iam conſtat Saxones in Germania eſſe aduenas,& primam eorum ſedem fuiſſe circa Hadeleriam.

Atq; ita quidem deprehenditur Crantzius veritatem ipſam fabulæ prætextu exſibilaſſe, & figmenta ſua titulo veritatis incauto & occupato lectori obtruſiſſe, non alio fine, quàm vt puerili quadam & inani ac ſtulta gloriola Saxones ſuos faſcinaret,qui indigenæ viderentur , quaſi magis Germani forent,ſi ſæculis aliquot citius in Germaniam veniſſent,in quam omnes vtique gentes aliunde aduenerunt, cùm nullæ ſint indigenæ.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SAXONES IN VESVALIA ANTE Carolum Magnum nullas habuiſſe ſedes.

REmota igitur Crantzij opinione priuata de Veſualia, quæ nobis obſtabat, recta iam hinc procedere poteramus ad pertexẽdam hiſtoriam de origine gentis noſtræ; ſed cùm animaduertamus, communem illam de eadem Veſualia Saxonum opinionem, ſi non ad originem, ſaltem ad incrementum gentis noſtræ, lõgè plus habere momenti, quàm illam priuatam Crantzij, operæpretium mihi facturus videor, ſi diſcuſſis nebulis, Saxonum & Veſualorum ac Francorum hiſtorijs hic aliquid lucis infundam, cùm omnium interſit errore detecto conſpiciendam dari veritatem.

Author ſe poſitis affectibus veritatem ſolã inquirit ac tradit.

Tres opiniones de origine Saxonum.

Vulgo enim putant, qui Crantzij ductum ſequuntur, Veſualos eſſe Saxonum parentes, vtpote qui ipſo authore ſint indigenæ, & colonias hinc in omnes terras duxerint, quæ iam Saxoniæ nomine cenſentur.

Peritiores hoc falſum eſſe ſciunt, & Veſualos Saxonum filios arbitrantur, & antiquos Saxones ideo dici putant, quod inter omnes Saxonum colonos primi fuerint.

At verò quibus rei veritas explorata eſt, his conſtat Saxones in Veſualia nullas vnquam habuiſſe ſedes, & proinde Veſualos neque parentes eſſe Saxonum, neque filios.

Tria conſideranda

Hoc igitur vt perſpicuè doceamus eſſe verũ, primùm demonſtrabimus, Saxones in Veſualia ſedes nunquam habuiſſe; deinde declarabimus, quæ ſit origo nominis Veſualici; poſtremò indicabimus,

cabimus, quæ ſit ratio nominis Saxonici in Veſ-ualia.

Ad primum igitur, vt clarè & ſine ambiguitate doceamus quod intendimus, ſcire in principio lectorem oportet, noſtram hanc diſputationem de Saxonum ſedibus in Veſualia nó vlterius producendam eſſe, quàm ad ætatem Caroli Magni, hoc eſt, ad annum 800. Chriſti; ideoque ſi poſtea vel per errorem ſcriptorum, vel per occupationem alicuius Principis, vel per Epiſcopatus deſcriptionem Saxoniæ nomen accepit, id intelligatur ad præſentem hanc noſtram cõtrouerſiam nihil pertinere. Nam cùm hæc antiqua Saxonia à quibuſdam vocetur ob id, quod Saxonum prima vel ſedes vel colonia fuerit, ita accipi debet, vt de tempore intelligatur illo, quod Carolum anteceſsìt, quo Saxones Rempub. ſuam liberam ipſi tenuerunt, quam ſoluit Carolus, qui Saxoniam omnem in prouinciam redegit, eamq́; certis Epiſcopis diſtribuit, quibus & principes aliquos defenſionis ergo adiunxit; ſic vt hinc noua quædam Saxoniæ facies exorta ſit, quæ proinde ad noſtrum hoc inſtitutum duabus de cauſis nihil pertinet.

Præſentis diſputationis terminus.

Primùm enim, vtcunque horum quiſq; fines ſuos prorogauerit, priuatim id ſibi, non autem communi Saxonum Reipub. vt antea fecerit, maximè cùm Principes Saxonum, qui poſt Carolũ Magnum hactenus in Saxonia rerum potiti ſunt, teſte Alberto Crantzio, non Saxonici, ſed Franſici ſanguinis ſint.

Deinde, quod id ſolum hic ſpectemus, an Veſuali ante Carolum Magnum æquè Saxones fuerint atque Ouali; cùm Crantzius dicat, ſub Carolo Magno gentem Saxonicam diuiſam eſſe in

Oſualos ac Veſualos. Si ergo Saxones ante Caroli Magni ætatem occuparunt Veſualiam, quæro quo tempore id factum ſit? pauci enim hic nobis aliquid certi definiunt; cùm plerique omnes Crantzium ſecuti, Saxones in Veſualia conſtituant indigenas. Beatus Rhenanus rerum German. libro primo, Saxones in Veſualiam veniſſe putat ſub Valentiniano tertio, cùm Franci, ea relicta, poſt Aëtij mortem, quæ in annum Chriſti 458. incidit, vtramque Belgicam, & Germaniam ſecundam ſui iuris feciſſent: Sed hanc Rhenani opinionem conſiſtere non poſſe, capite ab hinc ſecundo apparebit, vbi clarè demonſtrabimus, neq; Francos ea tempeſtate Veſualiam tenuiſſe, neque poſtquam tenuerunt, vnquam Saxonibus conceſsiſſe. Author laudum antiquæ Saxoniæ ſiue Veſphaliæ, veluti per nebulas vmbram veritatis vidit. Is dicit, Macedones circa annum 300. ante natum Chriſtum appuliſſe per Albin fluuium, & occupaſſe Holſatiam, inde mox eodem Albi ſubuectos veniſſe in Veſphaliam: Macedones autem iſtos vocatos fuiſſe Saxones, vt inde Saxonum ſedes in Holſatia ſimul & in Veſphalia cepiſſe colligendum ſit. Hæc igitur ſi perſonis ac temporibus rectè diſtinguuntur, illuſtrem hiſtoriæ veritaté infundunt: Macedonici enim exercitus aliquas reliquias in Germaniam tres fratres deduxerunt, Friſo, & Saxo, & Bruno, vt ſupra diximus, & infra probabimus. Hi ſimul per Fleuum fluuium in eam terram delati ſunt, quæ ex Friſone Friſia dicta fuit. Inde Orientem verſus abnauigantes, Saxo & Bruno per Albin appulerunt. Ac Saxo quidem ad Septentrionem Albi conſedit, vbi nunc eſt Holſatia: Bruno verò eodem Albi paulo altius ſubuectus, terram occu-

An Saxones Veſualiam occuparunt ante ætatem Caroli Magni.

Macedonum ſiue Saxonum aduentus in Germaniam.

Friſo, Saxo, Bruno.

pauit

pauit, ſitam intra Albin & Viſurgim, vbi & oppidum fundauit, quod de nomine eius Brunonis vicus, ſicut & terra ipſa Brunſuicenſis dicta eſt. Nam quod Crantzius aſſerit, ciuitatem hanc nomen obtinere à Brunone Vitekindi abnepote, quem conditorem eius facit, ridiculum eſt, cùm Brunſuicum à S. Marcellino nominetur, qui plus quàm centum integris annis mortuus eſt, antequam hic Bruno naſceretur, de quo loquitur Crantzius; & certum ſit, ciuitatem Brunſuicenſem, bello Saxonico, per Carolum Magnum euerſam eſſe, & iacuiſſe diu deſolatam, vt Crantzianus iſte Bruno non tam conditor, quàm inſtaurator ciuitatis iſtius haberi debeat, quę diuerſis temporibus diuerſam fortunam experta eſt, vt in annalibus noſtris ſuis locis diligenter indicabimus. Primus certè fundator ille Bruno Priſcus cum ſuis Brunſuicenſibus eam prouinciam partim pacto, partim bello conſecutus eſt; cuius poſteri cum populis duobus potentiſſimis Sueuis ab Oriente, & Bructeris ab Occidente varia fortuna luctati ſunt annis fermè quadringentis, hoc eſt, ad memoriam vſque Cornelij Taciti, & fines ditionis ſuæ non modò tueri, ſed etiam prorogare conati ſunt. Itaque Angriuarij, qui inter hoſce præcipui erant, adiunctis ſibi Chamauis, tranimiſſo Viſurgi, Bructeros, quãtumuis potentes, ſedibus ſuis eiecerunt, & penitus exciderũt; deletis eorum ſexaginta milibus, vt teſtatur Tacitus. Ex eo igitur tempore Angriuarij partem eius prouinciæ tenuerunt, quæ poſtea Veſualiæ nomen eſt ſortita ex euentu, de quo proximo capite dicendum erit. Interim verò hinc patet, Angriuarios non ex Saxone eſſe, ſed ex Brunone; & Brunſuicen-

Crantzij error de Brunonis vico.

Brũſuicenſium varia fortuna.

cen-

Brunſuicẽſes & Friſij Saxonũ nomine appellati. cenſes Saxonum nomine etiam antiquitus fuiſſe comprehenſos, ob vicinitatem & eiuſdem originis ſimilitudinem, ſicut & Friſios. Vnde Vorperus Taborita, vnus ex hiſtoricis noſtris, ſuſpicatur, Saxonem inter tres iſtos fratres fuiſſe natu maximum; quod huic ob venerationem ſenij hæc prerogatiua data ſit, vt Saxonum nomine etiam Friſonis ac Brunonis poſteri comprehenderentur: quanquam annales noſtri manifeſtè declarent, Friſonem maximum, Saxonem medium, & Brunonem minimum natu fuiſſe; & aliæ cauſæ idoneæ ſint in prõptu, cur Saxonici nominis amplitudo nomen Friſonis ac Brunonis ſucceſſu temporis in multis obumbrauerit, vt infra ſuo loco plenius declarabimus.

Saxones in Veſualiam nõ veniſſe. Cùm igitur Veſualia ſit regio mediterranea, quam ab Oriente Viſurgis, ab Occidente Rhenus fluuius, ab Auſtro montes Cattorum, ad Septentrionem Friſia terminat, quando tempus definire Crantzius non poteſt, quo eam Saxones occuparunt, age videamus ex qua cœli plaga in eam profecti ſint.

Ab Occidente eos veniſſe, ita vt vel Rheno aduecti ſint, vel ex Gallia Rheno traiecto venerint, hactenus qui dixerit, neminem comperi.

Ab Oriente etiam qui eos adueniſſe aſſeruerit, itidem nemo hactenus eſt repertus, & Crantzius contrarium aſſerit, qui Saxones ex Veſualia profectos, vltra Viſurgim ſedes Vandalorum occupaſſe ſcribit.

Ab Auſtro Saxones in Veſualiam veniſſe Crantzius aſſeuerat, qui eos ex montibus deſcendiſſe ait, quos intelligere non poſſumus alios quàm Cattorum montes, qui nunc Haſsici vocantur: nam vt hi Haſſiam à Veſualia ſeparãt, ita in Haſ-

ſia,

ſa, quam Catti olim tenuerunt, antiquiſſimam Saxonum ſedem ponit Crantzius, vtpote qui Saxones dicit eſſe Cattos. Crantzio autem, ne cram ben recoquamus, iam antea demonſtrauimus, Saxones non eſſe Cattos. Quo poſito, ex Cattorum montibus Saxones (quia illic nulli erant) in Veſualia non venerunt: qui tamen ſi inde veniſſent, aduenæ eſſent, quos Crantzius illic indigenas facit. Sed hæc abſurditas Crantzij eò maior eſt, quod ille Cattos ac Veſualos eoſdem faciat, qui diuerſiſſimi ſunt, non modò nominibus, ſed etiam ſedibus ac limitibus ſuis diſtincti; quorum neutri ab alteris vel originem vitæ, vel viuendi leges habent. Hoc tametſi non ignoraret quidã, nuper, vt apud imperitos Crantziũ fulciret, Cattos ſcripſit partem Hasſiæ, partem Veſualiæ tenuiſſe, vtique contra manifeſtam veritatem.

Aeneas Syluius ex Auſtrali quidem plaga Saxones deducit, non tamen in Veſualiam, ſed in Oſualiam; quam eius ſententiam Crantzius in procemio Saxoniæ ſuæ refert, quam ipſius verbis hic ſubijciam:

(Hæc igitur inquit *a*) prima de Saxonum origine coniectura ſit. Succedit altera, quæ Aeneam Syluium, inde Pium Papam ſecundum in hiſtoria Bohemica prçfert authorẽ. Is in deſcriptione „ terræ Bohemiæ flumina pandit quæ ſe in Multa- „ uiam exonerant, Saxonam & Luſuntium & Mi- „ ſam nominat, quos Multauia in ſe receptos ſe- „ cum deuoluit in Albim. Compertum eſt ex Taci- „ to, Boios ab origine gentem Gallicam, tenuiſſe regionem intra montes, quæ nunc Bohemia eſt: inde verò pulſos à Marcomannis, hoc eſt, Vandalis, qui vſque hodie tenent. Nam Bohemi Vanda- „ li ſunt, remanẽte veteri nomine in prouincia, vt „ nunc „

a in procemio Saxoniæ.

Bohemiæ diuerſi occupatores.

" nunc Boiemi dicantur, qui pridem Marcoman-
" ni,& generali vocabulo Vandali. Vnam enim eſ-
" ſe gentem vna lingua prodit: vnde etiam mana-
" uit nomen in totam nationem Vandalorum, vt a-
pud Ptolemæum appelletur gens magna Bohe-
mi. Nec enim vnquam Germania habuit maio-
rem gentem, quàm ſit etiam hodie Vandalica,
" complectens Ruſſos, Polonos, Bohemos, Dal-
" matas. Teſtis eſt (quod diximus) vna lingua, qua-
" dam varietate (vt fit) per diuerſas regiones alter-
" nata: ſed tamen vna eſt: quod facilè perpendit
" auſcultans. Pulſis ergo ex Bohemia fluminum
" accolis, nomina fluuiorum ad quæ pridem in-
" colebant, ſecum (vt creditur) extulerunt: vt
" qui in proximis regionibus ad Luſuntium in-
" coluêre, partem Sleſiæ nunc tenentes, quæ Lu-
" ſatia dicitur, Marchioni parens Brandenbur-
" genſi, Luſatij dicantur. Qui Miſam, ad proxi-
" ma tranſeuntes, appellentur vſque hodie Miſ-
" nenſes. Qui verò ad Saxonam, paulo vltra pro-
" greſſi, Saxones ſunt vocitati: qui paulatim ditio-
" nem amplian tes, in latum ſunt diffuſi, pulſis re-
" tro Vandalis, qui omnia cõfinia olim tenuerunt.
" Tenemus tempora ſuo loco deſignanda, quibus
" Saxones pulſis Vandalis, regionem occupauêre,
" quam nunc tenent. Verum eſt tamen, quod ea
quæ nunc eſt Veſualia, prius quàm cætera terra
vltra Viſurgum, teneret Saxoniæ nomen.

Vandalicæ gentis amplitudo.

His verbis Crantzius Aeneæ ſententiam re-
fert, quam tamen ipſe non probat: alibi enim
docet, eos qui Oſualiam hic occupaſſe dicun-
tur, non Saxones, ſed Vandalos fuiſſe, quod
& hic ratione temporis conuincit, cùm ſe tem-
pora nouiſſe profitetur, quibus Saxones pul-
ſis

Crantzius veterem cantilenam canit.

ſis Vandalis regionem occupauêre, quam nunc tenent. Hæc autem tempora, cùm valde recentia ſint, conſultò hic reticet Crãtzius: Saxones enim Vandalos iſtos demum poſt ætatem Caroli Magni expulerunt, exceptis ſolis terræ Brunſuicenſis incolis, quos prius exturbarant. Hinc igitur cùm inferri poſsit, Saxones ergo ex Auſtrali plaga in Veſualiam nõ veniſſe, occurrit obiectionis verum eſſe dicens, quod ea quæ nunc Veſualiæ eſt, tenuerit Saxoniæ nomen, priuſquam cætera terra, quæ ad Occidentem Viſurgis eſt: hoc dicto ſcilicet lectorẽ remittens ad ea, quibus probare conatus eſt, Saxones eſſe Cattos. Quæ proinde cùm nos euidenter falſa eſſe docuerimus, apparet, ab Auſtro Saxones in Veſualiam non veniſſe.

A Septentrione autem quò minus in Veſualiàm venerint Saxones, obſtiterunt Friſij, quibus interiectis, nulla ratione Saxonibus via patuit in Veſualiam penetrãdi. Imò verò Friſij ipſi dominabantur in Veſualia, antequam Saxones ex Nordalbingia ſua vnquam prodijſſent; qui quia ob vicinitatem Saxonum Saxones & ipſi vocabantur, Saxoniæ nomen etiam Veſualiæ importarunt: vnde Saxonici nominis origo eſt in Veſualia, vt ſecundo abhinc capite docebimus. *Friſij olim in Veſualia dominati ſunt.*

Quo clarius autem intelligatur Saxones in Veſualia nunquam habuiſſe ſedes, age Crantzij ductum ſequamur in deſcriptione Saxoniæ; qui orbem huius prouinciæ demonſtraturus, neſcio quo modo ſui oblitus, incrementa Saxonum vnde debuit exorſus, recto ordine proſequitur: A Septentrione enim in Occidentem, ex Occidente in Auſtrũ, & ex Auſtro porrò in Orientem *Crantzij ductus in deſcriptione Saxoniæ.*

Saxo-

Saxoniæ circulum aduerſo ſole deducit; in quo quid veri ſit, ex ſubiectis clarius apparebit.

a Sax. l. 1. cap. 1. Initium ergo Saxonicæ nationis eſt (inquit Crãtzius a) trans Albim in Holſatia. Nullo modo enim in Veſualia: Holſatia enim verè antiqua Saxonia eſt, vbi Saxo cum ſuis portum Hadelerianum in primo aduentu ſuo occupauit. Hinc poſteri eius cum Danis, vt vicini cum vicinis, de imperio Iutiæ contenderunt; hinc velut ex primæua ſede fines ſuos propagare; hinc colonias ducere; hinc arma ſua terra mariq; proferre cœperunt. Itaque primùm Anglis matrimonij fœdere ſibi coniunctis, mox aduerſus Sueuos, deinde aduerſus horum ſucceſſores Vandalos ac Sclauos acriter pugnarunt; donec Holſatiæ Thietmarſiam & Stormariam adiungerent, quæ tres Saxoniæ antiquæ partes, vno Nordalbingiæ nomine cenſentur, quod ad Septentrionalem Albis plagã ſitæ ſint. Hinc igitur piraticam exercuerunt Saxones; quia maritimi erant: Hinc in Britanniam vocati ſunt; quia Angli & Iutæ, qui ſocij eius expeditionis extiterunt, Holſatiæ finitimas ſedes incoluerunt: Hic ſimpliciter omnes Saxonum Duces habitarunt, quorum ab initio intra 824. annum Danorum, Gothorum, Sueuorum, Vandalorum, Saxonum, & Friſiorum ſcriptores meminerunt. Pergat Crãtzius: Inde (inquit) tranſiliens Albim, per Diocœſim Bremenſem in Veſualiam vſque ad Rhenum ferè pertingit: ab inde verò in Haſſiam peruenit ad Herciniam (qui nunc Hertici montes dicũtur) pertingens ad confinia Thuringiæ: in qua olim non contemnendam partem Saxones militiæ ſtipendiũ à Francis, quibus militauêre ſuſceperant. Ita Crantzius.

Vbi dum Albin tranſilit, ſiſtat pedem, & expediat,

diat, quando & vnde Saxones Diocœſin Bremen
ſem occuparint. Terra certè Bremenſis in prin- *Terra Brē*
cipio Friſiorum, non Saxonum fuit. Friſo enim *menſis non*
gentis noſtræ conditor, cùm totum littoralem *Saxonum,*
tractum ad Oceanum Septentrionalem ab Ey- *ſed Friſio-*
dora fluuio ad Fleuumfluuium vſque occupaſ- *rum fuit.*
ſet, Adelen filium natu maximum ad Occiden-
tem; Vithonem natu ſecundum ad Orientem ex
tremis Friſiæ limitibus tuendis præfecit; quinq;
reliquis filijs in medio collocatis: Ipſe, quo vt *Friſo vbi*
his omnibus, & fratribus etiam ſuis aduerſus *cum vxo-*
ingruentem vim præſto eſſe poſſet, in hac terra *re habita-*
ſedem ſuam poſuit. In hac terra & vxor eius, *uerit ac*
& ipſe demum fato ſuo functus ac ſepultus eſt: *mortuus*
Ipſaque terra ab euentu nomen de filia eius eſt *ſit.*
adepta. Nā cùm vxor eius ex partu interijſſet, il-
le ſuperſtes dolorem animi, quem ex morte de-
functæ coniugis conceperat, filiæ nomine teſta-
tus eſt; filiam enim quæ nata erat VVimoedt Fri- *Friſonis fi-*
ſica dialecto appellauit, quod ſignificat dolorem *lia VVe-*
animi: nos iam VVemoedt dicimus, cui contrari *moedt.*
um eſt VVelmoedt, quod etiam hodie fœminis
apud nos vſitatum eſt. Pari ratione legimus Ra-
chaëlem vxorem Patriarchæ Iacob, cùm ex par-
tu ſe interituram ex præſenti difficultate colli-
geret, dolorem animi ſui nomine infantis vo-
luiſſe eſſe teſtatam, eumq; Ben-om, id eſt, filium
doloris mei appellaſſe; quem tamen pater Ben-
iamin, hoc eſt, filium dextræ vocari voluit, vti
teſtatur Moyſes Geneſ. cap. 35. Ex iſta autem Vi- *Terra Brē*
moda Friſonis filia, Bremenſis terra VVimoda *mēſis Vi-*
tum dicta fuit, quam Albertus Stadenſis VVih- *moda.*
modam, Crantzius VVigmodiam appellat. Hanc
autem terram quando Saxones occuparint, expe-
diat Crantzius; cùm non ignoret eam olim habi-

tatã eſſe à Cauchis: & expediat cur Bremenſẽ Diœceſin Saxoniæ ſubiũgat; cùm Carolus Magnus, ſicut & Põtifex Greg. 12. inter tres Friſiæ Epiſcopatus primo loco Vltraiectinam, ſecundo Monaſterienſem, tertio Bremẽſem numeret, vt commodiori loco plenius declaraturi ſumus.

Saxones quãdo Nordalbingiã egreſſi ſint.

Iam verò ſi Crantzij nugas ſatis liquidò confutauimus, qui ex Cattis facit Saxones, & Veſualos à Cattis nõ diſtinguit, nemo dixerit ante Carolum Magnum vel Veſualiam vel Haſſiam fuiſſe in poteſtate Saxonum, vtcunque poſtea eas vñquam fuiſſe contendit. Quocirca, quod in confinio Thuringiæ partem terræ Saxones militiæ ſtipendium à Francis accepiſſe memorantur, intelligi debet, vt omnes tradunt, factum eſſe anno Chriſti demum 524. debellato Thuringorum rege Ermenfrido, ſub quo primum Albin fluuium trãſgreſſi ſunt: hactenus enim ſe intra Nordalbingiam ſuam continuerant. Et hac ipſa terra iam accepta, non ita mox confortati ſunt, vt vel aduerſus confœderatos Francos inſurgere, vel aduerſus hoſtes Vandalos impetum facere poſſent; vtpote cùm eam aduerſus vicinos Vandalos ægrè tutati ſint, ędificata ad Vnſtrotum fluuiũ arce pręſidiaria Saſsẽburgo. Tantũ igitur abeſt, vt aut Veſualiã aut Haſſiã Saxones hactenus habuerint, vt etiã Longobardis in Italiam migrantibus militauerint, & inde tandem reuerſi, Sueuos ſedibus ſuis quas ſe abſentibus illi occupauerant exturbarint. Quod cùm & in Nordalbingia, & anno Chriſti 582. actum eſſe ſatis inter omnes conſtet, apparet, Saxones hactenus nullas alias habuiſſe ſedes, quàm in Nordalbingia, & in confinio Thuringiæ ad Vnſtrotum fluuium; ex quo deinde proximo tranſitu peruentum eſt ad terrã Brũſuicenſem,

ſuicenſem, quam vltimo loco cõſecuti ſunt, ante ætatẽ Caroli Magni. Nam poſtea omnia reliqua acceſſerunt, vt mox videbitur. Interim iam pergat Crantzius:

Inde (inquit) iterum ſub montibus longo tractu peruenit in regionem Albi non longinquam, complectens Vittenbergum & confinia eius, quæ nunc ſuperior Saxonia dicitur, duobus principatibus Saxoniæ titulum ſibi vendicantibus. Legitima quidẽ ſucceſſione ad principes inferioris Saxoniæ omnis regio pertinet: ſed ſuperiorem apprehenderunt Miſnenſes Marchiones, cum dignitate electuræ, quę illi inſeritur principatui. Ita Crantzius.

Quę ſi quis poſt Caroli Magni ętatẽ omnia acceſſiſſe dubitat, ipſum Crantziũ in Vandalia, & authorem eius Helmoldũ in hiſtoria Sclauorũ legat. Pergat aũt Crantzius: Meditullium autẽ huius, quam deſcripſimus prouinciæ, totum ex Vandalico ſolo redactum eſt in linguam & mores Saxonũ, terra videlicet Brunſuicenſis, Luneburgenſis, Magdeburgenſis, Halberſtadenſis. Ad eandẽ verò nationem pertinet omnis Marchia Brãdenburgenſis, ex eodem Vandalico ſolo capta, ac verſa in linguam Saxonum & mores. Ita Crantzius.

Totum autem hoc meditullium, quod hic vocat Crantzius, poſt ætatem demum Caroli Saxonię fuiſſe aggregatũ non aliunde efficacius doceri poteſt, quàm ex ipſo Crantzio, vna tantũ terra Brunſuicẽſi excepta, quæ ante Carolũ Magnũ Saxonibꝰ acquiſita fuit. Hinc enim clariſſimè deprehenditur firmamentũ erroris Crãtziani, quo ille Saxonũ ſedes antiquiſſimas in Veſualia fuiſſe, & ex ea Saxonicæ gẽtis diuiſionẽ in Veſualos & Oſtualos eſſe factã aſſerit; quod pindè vt falſum eſſe

demõſtratur, ſeries hiſtoriæ Saxonicæ inde vbi edſtitimus, ad Carolũ Magnũ vſque deducenda eſt. Itaque cùm Saxones anno demum 724. partẽ Thuringiæ à Francis ſtipendij nomine ad Vnſtrotum fluuium conſecuti, pedem extra Nordalbingiam ſuam extulerint, (vt inter omnes cõuenit) & tamen eorum potentiam inde non admodum auctam eſſe ex eo pateat, quod Longobardis Italiam inuadentibus militauerint, relictis ſedibus ſuis, & ex Italia reuerſi ſedes relictas in Nordalbingia repetiuerint, ideo certè quod alias hactenus non haberent; proxima eorum victoria de Vinulis fuit anno 652. ex quo tẽpore terra Brunſuicenſis, quæ antea Oſualia dicta fuit, Saxonia à Saxonib⁹ victoribus dici cępit. Illud enim quod Crantzius hic dicit de Bertholdo, quo Duce Saxones Francis rebellarint; itemq́ue de remiſsione tributi, quo Saxones ob debellatos Vinulos à Francis liberati ſint, meræ nugæ ſunt. Bertholdus enim ille non dux Saxonum fuit, ſed rex Friſiorum, vt ſecundo ab hinc capite declarabitur; neque ille Francis rebellabat, quibus hactenus ſubiectus non erat, ſed iuſto bello cum illis contendebat, idq́ue ob Veſualiam, quam Friſijs Franci tunc ademerunt: & cùm Vinuli, qui tunc Oſuali dicebantur, auxilio eſſent congentilibus ſuis Veſualis, qui Friſijs ſubeſſe malebat quàm Francis, Saxones Francis, vt antea contra Ermenfridũ, ita etiam nunc contra Bertholdum militarunt, & ab his ob operam ſtrenuè nauatam ſtipendij nomine, vt olim Thuringiæ partem, ita nunc Oſualiæ partem, hoc eſt, Vinulorum terram acceperunt, acceptis Frãcorũ ſubſidiarijs copijs, qui eiectis incolis ipſos in eius poſſeſsionẽ introducerent. Prudenter enim hoc à Francis procuratũ fuit,

Quãdo Oſualia dici cæperit Saxonia.

Berthold⁹ Saxonum dux habitus, fuit Friſiorum rex Beroaldus.

Saxones Oſualiam à Francis ſtipẽdij loco conſequuntur.

fuit, vt Saxonibus in hãc terram introductis, horum interiectu Veſualos à reliquorum Oſualorum conſortio dirimerent, ne rebellandi facilis eſſet occaſio; cùm difficilis eſſet congentilium congregatio. Poſt hãc de Vinulis oppreſſis victoriam, Saxones aliam ad Carolum Magnum vſque nullam habuerunt. Itaque cùm Autmarus in annalibus Francorum, ad annum Chriſti 782. qui belli Saxonici 10. fuit, Sorabos, Vandalos, qui inter Salam & Albin habitant, in fines Thuringorum ac Saxonum, qui eis erant contermini, prædandi cauſa fuiſſe ingreſſos, & direptionibus atque incendijs quędam loca infeſtaſſe refert, Crãtzius inſtituto ſuo inſeruiens, ſcribit Sorabos iſtos inuaſiſſe Saxones, quod Viſeram tranſire, & congentiles ſuos Vinulos ſedibus ſuis exturbare auſi fuerint. Atqui Saxones iſti, qui Vinulos ſedibus ſuis exturbarunt, non ex Veſualia, ſed partim ex Nordalbingia, partim ab Vnſtroto fluuio venerant; neq; nuper, hoc eſt, ante ſex annos id fecerunt, cùm diuiſionem Saxonicæ gentis in Veſualos ac Oſualos factam Crantzius comminiſcitur, ſed antè, anno 152. neque Saxones Veſualorum amici erant, ſed hoſtes nõ minus quàm Oſualorum, cùm vtrique Vandali ſint, & Saxones Vandalos odio naturali proſequantur, vt capite proximo apparebit. Hoc igitur cùm ita ſit, apparet Veſualos à Saxonibus vſq; ad Carolum Magnũ occupatos non fuiſſe, cùm Veſuali nomẽ ſuũ hactenus cõſeruarint, Oſuali ex eo tẽpore amittere cœperũt, ex quo à Saxonib' oppreſſi, Saxones dici cœperũt: Nemo enim exiſtimet Saxonib' potentiã potius quàm voluntatẽ defuiſſe, quò minus & Veſualis nomen ſolitũ extorſuri fuerint, impoſito nomine Saxonico, ſicut extorſerũt Oſualis;

Stratagema Francorum.

lis; cùm & Veſuali & Oſuali ex æquo Vandali eſſent, vt proximo capite patebit. Quid enim cauſę eſt, cur Oſualis nomen ſuum imponerent, Veſualis non imponerent, ſi tantūdem iuris in Veſualos habuiſſent, quantum habuerunt in Oſualos? Quis aūt de impotentia eorū dubitet, quorū volūtatem exempla præſentia declarant, quæ in terris per eos occupatis ſupra patent? Quin &
a lib. Vād. 7. ca. 10. Crantzius aſſerit a Saxonibus nomen Vandalorū vſque adeo fuiſſe exoſum, vt non paterentur in ſuis collegijs & ſocietatibus quenquam eſſe, qui non ſit ortus parentibus Teuthonicis, idq; ſacramentis eos extorquere ab ijs, quos ſuſcipiunt. Quod igitur ad Carolum Magnum vſque Veſualis nomē ſuum imponere non potuerint, nihil aliud obſtitit, quàm virium imbecillitas, per quā eos occupare nequiuerint: Terra enim Brunſuicenſis, ſtante Saxonum Repub. quam diſſoluit Carolus, Saxonum ditioni vltima victoria acceſsit, vt ſupra demonſtrauimus; ſed huius auctario non ita ſtatim confortati ſunt Saxones, quin de tuendis potius, quàm de dilatandis finibus cogitare potuerint: Patet id ex numero & qualitate prouinciarum, quas ea tempeſtate tenebant; patet ex conditione populorum, quibus cum res illis erat futura. Itaque ſi Veſualos inuaſiſſent, erant his tum defenſores Franci; erant congentiles Vandali, qui mox ipſos à tergo & vtroque latere, vt Franci à fronte, oppreſſuri erant: Quin & ipſi nihilominus mox à Frācis Pipino ac Martello bellis vltro fatigati, & à Carolo Magno tandem ſubacti ſunt. Quare tantum abeſt vt Saxones vel primam ſedem in Veſualia habuerint, vt Crantzius fingit, vel colonias vllas ad Carolū Magnum vſq; in eam duxerint, quod quidam putant, vt aduerſus Veſualos auxilio Francorum in

Brunſuigiam, Oſualis extritis, introducti ſint.

Nec obſtat his, quod author laudũ Veſualię dicit, patere ex multis hiſtorijs, quod antiquitus hęc terra ſit vocata Saxonia, & quod in multis adhuc locis de more conſcriptiones & actus Iudiciales ibidem fiant ſub Saxonũ nuncupatione.

Obiectio.

Errorum fontes vnde opiniones fluxerint eorũ, qui Saxones in Veſualia ſedes habuiſſe putant.

Nam cùm ab ætate Caroli Magni ad ætatẽ hanc noſtram effluxerint anni pene octingenti, proferendis & ſtabiliendis erroribus nec tempus nec occaſio defuit.

Scriptores Francici.

Primùm enim rerũ Saxonicarũ ſcriptores antiquiſsimi fuerũt Franci, vel ipſi Carolo Synchroni, vel eo etiam recentiores; apud quos illa ſaltem, quæ bellum Saxonicum ſub Carolo geſtum anteceſſerunt, omnia implicita, intricata atq; cõfuſa ſunt: vtpote qui generali Saxonum nomine non modò veros Saxones, ſed & Brunonios, & Friſios comprehendunt; nec earum gentium originem norunt, neq; cognationem intelligũt, neque fines diſtinguunt. His recentiores Saxonici ſcriptores ſucceſſerunt, qui vt patriam ſuam ornarent quantum poſſent, eam nec limitibus ampliare, nec rerum geſtarum gloria augere deſtiterunt; & proinde quæ ab iſtis acceperant, quatenus ad inſtitutum ſuum conducere ſibi videbantur, pari bilance ſeu diſcuſſa ſeu indiſcuſſa ponderarunt; vt ſic erroribus cumulatis, recẽtia pro antiquis, falſa pro veris, venditarent. Hinc factũ eſt, vt pagum Saſſendorp circa Suſatum; & in ditione Monaſterienſi arcem Saſſenburgum à veris Saxonibus nomen habere putent, quæ habent à Friſijs, qui per errorem Saxones appellati ſunt, vt capite ab hinc ſecundo apparebit.

Scriptores Saxonici.

Friſiorum acta Saxonib' tributa.

Hæc enim ipſa ſunt, quæ nobis iam negociũ faceſſunt, & habita temporum, perſonarũ, rerum, loco-

locorumque ratione diſtinguenda & concilianda veniunt.

Deinde non ignoramus Henricum Leonem, & alios quoſdam Saxonum Duces, poſt ætatem Caroli Magni, temporum ſucceſsu ſuæ ditioni ſubiectam habuiſſe partem aliquam Veſualiæ; & idcirco non miramur, ſi ab his & terra ipſa Saxonia dicta ſit, & Curiæ in ea remanſerint, vbi Saxonũ nomine contractus inter homines, & actus Iudiciales etiã hodie celebrentur; & multæ ſint cauſæ, cur etiam mutato terræ dominio, maneat adhuc idem Curiæ ſtylus in ea terra.

Quæ tamen omnia cùm infra Caroli Magni ætatem demum accidiſſe deprehendantur, appa ret Saxones ante Carolum Magnum ſedes in Veſualia nullas habuiſſe.

Declarat id ſatis Archiepiſcopus Colonienſis, qui hanc terram in titulo ſuo nõ Occidentalem Saxoniam, ſed Veſualiam vocat: Declararunt id etiam publica ſeceſſione huius terræ Epiſcopi ſub Henrico quarto; cùm publicè negarent Veſphalos eſſe Saxones, teſte etiam ipſo Crantzio *a*.

a Metropol. lib. 8. cap. 5.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

QVAE SIT RATIO NOMINIS VESualici & Oſualici.

NE quis igitur ideo minus verum putet eſſe quod ſupra diximus, quod non modò Crãtzius, ſed & alij complures aſſerunt, Saxones ſub Carolo Magno in Veſualos & Oſualos eſſe diuiſos; cùm inde colligi velint, Veſualos nõ minus eſſe Saxones quàm Oſualos, qui in hodiernum vſque diem Saxones dicuntur, dilucidè hîc explicandum erit, quæ ſit origo ac ratio nominis Veſualici & Oſualici; cùm inde in contrarium potiùs colligatur, Veſualos nunquam fuiſſe Saxo-

Diuiſio Saxonum in Veſualos & Oſualos

ſe Saxones, quod ij, qui nunc dicuntur Saxones, teſte Crantzio, deſierint dici Oſuali; Veſuali autem priſtinũ ſuũ nomen hactenus conſeruarint.

Primùm igitur docendum eſt, Saxonicæ gẽtis diuiſionem, quam Crantzius allegat, ſub Carolo Magno nullam eſſe factam; deinde & hoc declarãdum eſt, Oſualici ac Veſualici nominis diſtinctionem ad Saxones nihil pertinere. *Propoſitio authoris.*

Nam quod ad primum attinet, quomodo Crãtzius dicet, metu Caroli Saxones profugiſſe ex Veſualia, qui illic nulli erant, vt iam ſupra docuimus? & quo modo dicet eos vltra Viſurgin dilapſos, in Vãdalia fixiſſe ſedes, pulſis incolis; cùm ante hanc fugã, quam ipſe fingit, Saxones iã totis centũ quadraginta ſex annis terram Brunſuicenſem ditioni ſuę ſubiectã habuerint? Nã cùm Crantzius eo tempore hanc fugam contigiſſe dicat, quo Carolus ex Hiſpania reuerſus, totam Veſualiam peruagatus, rebelles ſubigeret, & contumaces fugaret; quod Saxonici belli anno ſexto cõtigit, qui in annum Chriſti 778. incidit, ex ſupradictis iã antea cõſtat, Saxones anno Chriſti 630. terrã hanc occupaſſe, & eã proinde, paulatim amiſſo Oſualiæ nomine, exinde Saxoniã cepiſſe dici. Sed Crãtzius ipſe ſibi non conſtat, cùm in Metropoli ſua lib. 1. cap. 3. confictæ huic Saxonum fugæ nec idem tempus, nec eandem cauſam ſubijcit. Certè S. Marcellinus author eſt, S. Suitbertum, primum Verdenſem Epiſcopum, cui comes ipſe fuit, ex Mimingarde (quod nunc Monaſterium eſt) cum ſuis migraſſe ad Saxoniam, perueniſſeque ad grandem vicum Brunſuick anno Chriſti 705. S. etiam Ludgerus, primus Epiſcopus Monaſterienſis, in eiuſdem Suitberti vita tradit, Pipinum Caroli Martelli filium (qui Caroli Ma- *Nullã diuiſionem Saxonicæ gẽtis ſub Carolo Magno eſſe factam.*

li Magni pater fuit) antequam Rex Franciæ coronaretur,debellaſſe potenter Veſualos, Angarios ac Saxones.Eguinartus etiam in vita Caroli Magni,& Autmarus in annalibus Francorum,ab initio belli Saxonici, ſtatim nominat Veſualos, Angarios, & Saxones, quos & Oſualos promiſcuè vocant.Itaque Autmarus refert anno belli Saxonici tertio,Carolum traiecto Viſurgi terram Brunſuicenſem inuaſiſſe, ibidemque Heſſonem ex primoribus Saxonũ vnum illi occurriſſe,& ſe illi cum omnibus Oſualis dedidiſſe. Nuſquã autem vel hic, vel alter ille meminit alicuius frequentiæ, fugientis ex Veſualia trans Viſurgin, quam Crantzius hic comminiſcitur tantam, vt & voluerit & potuerit ſuis ſedibus exturbare Vandalos,cùm exules aliquot, vt Vitekindus & aſſeclę eius,id omnibus modis egerint,vt in Veſualiam redire poſſent.

Veſualici nominis antiquitas. Nullam igitur factam eſſe ſub Carolo Magno Saxonicæ gentis in Veſualos ac Oſualos diuiſionem, non modò ex ſupradictis, ſed & ex ipſa nominum iſtorum antiquitate patet. Scriptores enim Francici,Eguinartus & Autmarus,& cęteri, qui ſub Carolo Magno vixerunt,nomine Veſualorũ & Oſualorum vtuntur, nõ tanquam recenti ac nuper nato,ſed vt antiquo & cõſueto,idq; ſtatim in initio belli Saxonici.Et S.Ludgerus Veſualorum meminit ſub Pipino, vt modò diximus. Sebaſtianus Mũſterus in Germania ſua, Veſualos ad annũ Chriſti 584.nomẽ hoc adeptos eſſe ſcripſit.Nos in annalibus noſtris Veſualos nominatos legimus ante annum Chriſti 183.quanquam etiam antiquius ipſis hoc nomen ſit, vt infra clariſſimè demõſtraturi ſumus.Cùm igitur ex his appareat, meras eſſe nugas,quas Crãtzius cõfinxit,de Saxonicæ

nicæ gentis diuiſione, plane conſequitur Veſualos & Oſualos ad Saxones nihil pertinere: Veſuali enim & Oſuali mutua correlatione intelligũtur; ideoq; vnius eiuſdemq; gentis ſpecies ſunt, quarum altera ad Occidentẽ, altera ad Oriẽtem intermedij fluminis habitat. Veſuali autem illa ætate Saxones non erant, vt ſupra ſatis declaratũ eſt, ideoq; nec Oſuali quidem Saxones erãt: Nam etſi Oſuali Saxones, & Saxones Oſuali promiſcuè dicantur; reuera tamen populi diuerſi ſunt, & inter ſe tantum differunt, quantum victores ac victi. Victores enim erant Saxones, qui deuictis Oſualis in Brunſuigia degentibus nomen ſuum impoſuerunt, vt ipſi Saxones dicerentur, teſte Crantzio,*a* vt infra dicemus latius *b*.

Veſualorũ & Oſualorũ diuiſionẽ ad Saxones nihil pertinere.

Saxones & Oſuali diuerſi.

a *Saxon. li. 2. ca. 2.*
b *lib. 2. cap. 15.*

Hinc igitur indubitato conſequitur, iſtius gentis ratione Veſualos & Oſualos fuiſſe dictos, cui Saxones nomen ſuum indiderũt, vtpote cùm Oſuali & Veſuali eiuſdem gentis ac ditionis eſſent, antequam Oſuali in Saxonibus, aſſumpto eorum nomine, ſubſiderent.

Hanc autem gentem fuiſſe Vandalos Crantzius non vno loco prędicat, qui & generaliter omnes prouincias ac ciuitates Saxonum ad Orientem Viſurgis ſitas, ex Vandalia captas ait, & ſpecialiter in ea, quæ nũc terra Brunſuicẽſis eſt, Vinulos egiſſe dicit, *c* qui & ipſi Vandali erant.

Oſuali & Veſuali ſunt Vandali.

c *cap. 2. lib. 2. Saxon.*

Itaq; nec abſurdè quidẽ eos, qui Veſtuandali & Oſtuandali mediante Viſurgi dicti ſunt, per paucarum aliquot literarum ecthlipſin, euphoniæ gratia mollius Veſualos & Oſualos dictos eſſe contendimus.

Ideoque vt appareat, neq; deriuationis, neque rei geſtę, neque temporis ratione commodiorem

Veſua-

Veſualici & Oſualici nominis Etymologiã facilè reperiri poſſe, non grauabimur hic aliquot authorum diuerſas opiniones hac de re in medium proponere, ex quibus candidus lector intelligat, eſſe verum quod nos adſtruimus.

Authorũ opiniones de Etymologia nominis Veſualici.

Inter eos autem, qui Caroli Magni ætate Veſualos & Oſualos ortos eſſe putant, primus eſt author laudum antiquæ Saxoniæ ſeu Veſualiæ, qui ſcripſit circa annum 1486, & diuerſas huius rei Etymologias adfert; promiſcuè autem ſcribit modò Veſphalos, modò Veſphalones, quos Aimoinus etiam Oſphalaos & Veſphalaos vocat: Veſphalos autem & Oſphalos deducit à voce phalos, quam antiqua Saxonum lingua ſocium ſignificare ait; vnde ſint Ephalar, Veſphalar, Oſphalar & ſimilia: Veſphalones autem vnde deducat, ipſe non explicat. Video eſſe qui putãt ita dictos à Vallone filio Bernardi, qui patruelis fuit Caroli Magni, ſicuti teſtatur Autmarus in Francorũ annalibus, ad annũ Chriſti 812. ſed alijs magis placet ab hoc duce Valoues iſtos deduci, qui in Belgio Gallis finitimi ſunt. Idem author eſſe dicit, qui à Falia France, hoc eſt, fallacia Francica Veſphalos & Oſphalos dictos arbitrentur: Nam & Claudianus Francos fallaces vocat, & hic author Francorum nobiles à Carolo Magno ibi conſtitutos non nimis eſſe ſynceros ipſe fatetur. Idem author ait eſſe, qui Veſphalos aſſerant, poſtquam per Carolum ad fidẽ conuerſi eſſent, hoc nomen ſibi aſſumpſiſſe, quaſi in diſtinctionẽ ab alijs Saxonibus, cum quibus in paganiſmo eodem nomine nuncupabantur, quaſi glorigantes de ſua conuerſione, ſe Veſphalos, id eſt, Veſtfideles nominare maluerunt.

Succedit huic authori Albertus Crantzius, qui

Veſualos & Oſualos deducit à voce Valen, quæ Saxonum antiqua lingua pullum equinum ſigni ficet, quem Saxones in ſignis militaribus antiquitus (vt ipſe dicit) prętulerint: quod non vno modo falsũ eſt. Saxones enim ac Veſuali diuerſæ nationes erant, & proinde ijſdem armis vſi non ſunt, maximè inter ſe inimicæ: Saxonum etiã inſignia antiqua non pullus equinus erat, vt Crãtzius ait, ſed Leo, Draco, & his ſuperuolans Aquila: Equinus enim pullus Angriuariorum erat, non omnium tamen, ſed eorum duntaxat, qui ab Hengiſto originem ducebant, quorum princeps eo ſeculo Vitekindus erat, vt infra ſuo loco plenius declarabimus. Hæc igitur quæ dicta ſunt hactenus, vt pleraque præſenti abſurditate ſua, ita omnia ſimul ratione temporis excluduntur: cùm Veſuali & Oſuali multo ante Caroli Magni ætatem nominati ſint, vt ſupra demonſtrauimus. Sebaſtianus Munſterus cum alijs, nõ modò tempore, ſed & cauſa excluditur, qui & à voce Valẽ, quam Italos interpretatur, Veſualos deducit; & tunc eos hoc nomen adeptos eſſe dicit, cùm relictis Longobardis ex Italia ſint reuerſi in patriam. Atqui Veſuali Saxones non erant, & in Italia cum Longobardis nõ fuerant; & Saxones patriam ſuam non in Veſualia, ſed in Nordalbingia recuperarunt; & Oſuali ac Veſuali iam ante Saxonum ex Italia reditum nomen ſuum obtinebant.

Saxonum vetera inſignia.

Angriuariorum vetera inſignia.

Sunt alij qui ſine temporum certa deſignatione etymologias proferunt Andreas Althamerus teſtatur eſſe qui aſſerunt, Veſtam à Germanis olim fuiſſe cultam, & Veſphalos inde appellatos, quaſi Veſtalios. Ac nos quidem ſcimus, Veſtam à Friſijs religioſè fuiſſe cultam, & Friſios

mag-

magnam Veſualiæ partem imperio ſuo habuiſſe olim ſubiectam: ſed an Veſuali à Friſijs Veſtã, & à Veſta nomen acceperint, ignoramus; illud certè liquet, Veſtalijs Oſtalios pari Etymologia nõ reſpondere. Raphael Volaterranus, Iſtualia (in-
a Geogr. quit *a*) & Iſtuali populi, quos Plinius Iſteuones
lib.7.in vocat, proximos Rheno, è regione Coloniæ v-
Germa- tramq; tenẽt ripam; Viſurgi amnem, quem hodie
nia. Veſeram vocant, ab Oriente terminant, à Meri-
“ die verò mõtibus Abnobijs Haſſiæ coniuncti. Vo laterrani ductum ſequitur Gẽma Friſius in map-
b Chron. pa mundi. Caſpar Peucerus *b* plenius explicare
lib.4. Plinium conatus eſt: Iſteuonibus, inquiens, no-
“ mẽ dediſſe cardinem occidentis, mutilato κατ' ἀ-
“ φαίρεσιν principio, non habeo cur dubitem: fuerũt
“ enim Germanorũ ad occaſum vltimi Rheno Da
“ nubioq; proximi; nec aliud ſignificat Iſteuones,
“ quàm Veſtuoner, detracta litera V, ſicut nũc Veſt-
“ ualen nominantur, quorum ſedes ad Rhenum
“ vſque pertingunt. Hanc autem interpretationem ſi recipimus, erunt quidem Veſuali Iſteuones,
c lib. 4. ſed non ſoli: Nam cùm Plinius *c* eo loco quinque
cap. 14. genera Germanorum numeret, Vandalos, Iſteuo nes, Ingeuones, Herminones & Peucinos, & ſingulis ſuas ſpecies aliquas ſubijciat, quo modo generale nomen Iſteuonum, quod multis populis commune eſt, ad ſolos Veſualos reſtringem⁹? nam ſi ideo Iſteuones appellantur, quod Veſtuoner ſint, hoc eſt, quod ad Rhenum proximè habitẽt, qui Germaniæ terminus ad Occidentem eſt; omnes nimirum Rheni accolæ, qui intra Danubium & Rheni oſtia habitant, per quæ ille recto curſu in mare Septentrionale effunditur, Veſuali erunt; quo nihil dici poſſet abſurdius; non modò quòd Veſualiæ fines hac ratione tum in

Auſtrum, tum in Septentrionem iuſto longius extenderentur, ſed etiam quod ad Orientem oppoſiti omnes populi Oſtphali, hoc eſt, Oſtuoner dicendi eſſent: nec foret interim terminus aliquis vnus intermedius & communis, qui iſtos Oſtuoner & Veſtuoner toto tractu ſic dirimeret, vt ſpeciales Oſualos ac Veſualos dirimit Viſurgis. Cornelius Tacitus *a* Ingeuones proximos Oceano facit; his Herminones, illis Iſteuones proximè adiungit. Itaque ſi ad Oceanum, hoc eſt, ad Septentrionem proximi ſunt Ingeuones, tum Iſteuones nimirum ad Auſtrum proximi ſunt, & proinde rectius dicantur Suduoner, quàm Veſtuoner, facta relatione ad Herminones, qui inter ipſos & Ingeuones locum tenent medium. Alias de harum vocum interpretatione coniecturas lector tum alibi, tum etiam apud B. Rhenanum videat. *b* Supradictus author laudum Veſphaliæ: Quidam putant (inquit) quod ſic dicti ſint à quodam campo occiduo, ſicut Veſtualder à ſylua nomen traxerunt. » Ab hac opinione non eſt alienus Conradus Peutingerus, qui in Epiſtola dedicatoria Iornandis; Oſtgotti (inquit) Orientales, Veſtgotti Occidẽtales, quemadmodum & vetuſti Saxones cãpeſtres Oeſtfelder & Veſtfelder appellati ſunt. Huic opinioni etiam ſuffragatur Hermannus Hamelmannus, qui in Colonienſi Chronico Germanico ſic inquit: Hẽricus de Heruordia ita ſcribit de Saxonia; Saxonia eſt regio, quæ ab Albi ad Rhenũ extẽditur: & deinde in Legẽda S. etiã Eualdi legitur, quo modo illam Saxoniam diuiſerit Veſera flumen, vt diuiſi Oiſtueldi & Veſtueldi dicerentur (die am Oeſtenuelde, vnnd am VVeſtenuelde vvonende): vnde adhuc eſſe nomẽ apud eos, qui hodie

a in lib. de Germanorum moribus.

b Rerum Germanicar. lib. 3.

" hodie Saxones dicuntur, conſtat, die Oiſtlinge;
" quo nomine illi,qui ex Orientali Saxonia veni-
" unt;notantur: ſic etiam germanicè die Veſtuelin
" ge dicuntur noſtrates; veluti in Oeſtfrieslandt
" & Veſtfrieslant diuiditur hodie Friſia: & olim
" Oſtrogotti & Veſtrogotti dicti ſunt. Hæc ille. Quæ tamen quo modo conſiſtere poſsint equidem non video. Primùm enim ineptè definitur Saxonia regio,quæ ab Albi ad Rhenum extenditur;cùm ad Septentrionem Albis illi tota Nordalbingia detrahatur,ad Occidẽtem rurſus magna pars Friſiæ, tota Tranſyſulania, Geldria, & Vltraiectenſis Diocœſis addatur: ineptè etiam diuiditur,cùm ſupradictam illam Saxoniam nõ diuidat Viſera flumen: & quo modo in Legenda S. Eualdi dicatur, niſi manifeſto ſcribentis errore,Viſera Saxoniam diuidere, cùm ſupra liquidò demonſtratum ſit,Saxones in Veſualia, quæ ad Occidentem Viſeræ eſt,ad Caroli Magni ætatem vſque ſedes nullas habuiſſe? In Oeſtfelder etiam & Veſtfelder non eſt eadem Etymologiæ ratio,quæ eſt in Oeſtfrieſen & Veſtfrieſen: Nam cùm hæ voces Oeſtfrieſen & Veſtfrieſen, item Oeſtgotten & Veſtgotten ex duabus dictionibus compoſitæ ſint, quarum prior ſitum gentis,poſterior gentem ipſam denotat, voces Veſtfelder & Oeſtfelder in priori quidem dictione iſtis reſpondent,in poſteriori non item. Nam cùm Veſt frieſen dicimus, definitè ſignificamus Friſios Occidentales;ſicut Orientales Friſios,cùm dicimus Oeſtfrieſen: Sed cùm dicimus Veſtfelder & Oeſtfelder,indefinitè tantùm ſignificamus incolas camporum Occidentalium & Orientalium. quales proinde campi cùm diuerſis in locis eſſe poſsint,voces Veſtfelder & Oeſtfelder nihi

loma-

Iomagis gentem Saxonum exprimunt, quàm aliam quamuis, quę ſimilem locorum ſitum incolit. Etſi mihi quidem nondum ſatis perſuaſum ſit, ex vtraq; Viſurgis ripa campos huiuſmodi eſſe, quorum ratione Oeſtuelder, & Veſtuelder aliqui dici rectè poſſent. Inter Oeſtlingē & Veſtuelingen, vt nominum ipſorum nulla analogia, ita & gentiũ relatio nulla eſt: Analogia enim vel Veſtlingen, vt Oſtlingen; vel Oſtuelingen, ſicut Veſtuelingē poſtulabat; ſi eiuſdē originis voces eſſent. Quamuis autem hi, qui ad Occidentem Viſurgis habitant hodie Veſtuelingen dicātur, tamen illi, qui his ad alteram fluminis ripam proximè ſunt oppoſiti, hodie Oſtlingen non dicuntur, ſed Brunſuickers, hoc eſt Brunſuicenſes: Nam Oſtlingen illi nunc vſitatè dicuntur, qui in Orientalibus ad mare ciuitatibus habitant, Bremenſes, Hā burgenſes, Lubecenſes, & conſimiles. Huiuſmodi igitur coniecturas explicandis harum vocum etymologijs illi adferunt, qui Saxones ad vtramque Viſurgis ripam ſedes habuiſſe putant. Quod ſi verum eſſet, neceſſariò vtique alij Veſtſaxen, alij Oſtſaxen dicerētur; vt Veſtfrieſen & Oſtfrieſen, Veſtgotten & Oſtgotten.

Vna autem ratione ſupradictæ omnes coniecturæ labaſcunt, quod vocum Etymologijs cauſas externas ac peregrinas ſubijciant, quæ quod partes vocum non attingant, ſignificationē earum explicare non poſſunt: nam qui vocis alicuius Etymologiam ſolidè reddere volet, eum oportet ex ipſius vocis internis partibus, ex quibus eſt compoſita, ſignificationem eius eruere, vt ex forma declaretur effectus. *Etymologiæ vnde petendæ ſint.*

Itaque cùm vox Veſtualen ex duabus dictionibus Veſt & Valen compoſita ſit, eiq; opponatur

vox Oſtualen, quæ compoſita eſt ex duabus dictionibus Oſt & Valen, apparet dictionẽ Valen; quæ vtrobiq; eadem eſt, gentem quandam ſuam ſignificare, quæ Valen appelletur; dictiones autem Veſt & Oſt, ſignificare gentis huiuſce ſitum, quo in ſpecies diſtinguatur: atque ita Oſtualen, quaſi Oſtfrieſen; & Veſtualen, quaſi Veſtfrieſen dici. Hoc quiſquis concedit, fatebitur Veſualos & Oſualos eſſe Vandalos, cùm Vandali etiam Vali dicti ſint: Vandali enim non ſpecialiter tantùm, ſed & generaliter pluribus nominibus appellati ſunt. Dicuntur enim generaliter non modò Vandali, ſed & Venedæ, & Vendi, & Heneti, & Veneti, & Viniti, & Vinuli, & Slaui, denique & Vali; ſicut apud Saxonem Grammaticum, Helmoldum, Aeneam Syluium, Crantzium, Irenicũ, Reineccium, Lazium, & complures alios patet. Specialia eorũ nomina, quæ vt multiplicia ſunt, ita hic enumerare nihil eſt neceſſe, quæ ijdem ſu pradicti authores conſulti ſuppeditabunt: nulla enim gẽs inter Germanicas magis populoſa fuit, quàm Vandalica, vtpote quæ & per Aſiam, & per Africam, & per Europam longè lateque colonias duxerit. Nam in Europa quidem à Septentrione in Auſtrum, quicquid inter mare Germanicũ & Mediterraneum regionũ interiacet occuparũt: Itaque Moſchi, Ruſſi, Poloni, Bohemi, Circaſſi, Dalmatæ, Hiſtrij, Croatij, Bulgari, Bohemi, Raſcij, & complures alij, tametſi peculiaribus ſuis nominibus ita diſtinguãtur, omnes tamen Vandali ſunt, quod vna eademque lingua conuincit, quæ omnibus eſt communis, etiamſi diuerſis dialectis, vt in alijs etiam nationibus, nonnihil diſcrepet. Ab Oriente verò in Occidentem à Carpatho monte ad Rhenum vſque Germaniam occuparunt,

Vandali dicti Vali.

Vandali diuerſis nominibus appellati.

Vandalicæ gentis amplitudo

parunt,

parunt,extritis paulatim Sueuis & alijs quibuſdam nationibus intermedijs.Ex quo patet eorum error,qui in vſitato Germanis conuicio Valē Italos interpretãtur, quod hodie,vt ipſi dicũt,gentes exteras Germani Valen , & Velſchen & Belgas vocent.Primùm,quia Vandalorum acta conuicium hoc Germanis extorſerunt, multo antea quàm Romani Germanos infeſtarent:Lõgè enim citius Vandali Germanis innotuerũt, quàm Romani.Deinde,quia exValis,ſi literę modò reſtituantur,quę extritę ſunt,Vãdali fiant;ex Valis Itali fieri nullò modo poſsint, quod & in Velſchis & Belgis dicendũ eſt: Etymologias enim vocũ non aliunde quã ex ipſarũ ſubſtantia accerſere debemus.Inde autem patet huius cõuicij antiquitas, quod in eo Vãdali Polonis coniũgantur; cùm vtroſq; breuitatis ergo (vt in cõuicijs fieri ſolet) Valen & Polen appellemus: Poloni enim Vãdalis nõ modò cõgẽtiles,ſed & cõterranei ſunt.Polonia enim olim Sarmatia dicta fuit,quæ Vãdalorum omniũ prima patria eſt,vt ſupra diximus.Itaq; cùm hi ad Orientē omnium Germanorũ extremi eſſent,& crebris colonijs emittendis Occidentē verſus Germaniæ incũberent, qui priores his erant, cũ à tergo ſibi nouos hoſpites identidē ingruere viderẽt,rurſus adeſſeValos & Polos clamitabãt.Quæ cõuiciandi cõſuetudo ab his recepta in alias etiã nationes traducta deinde fuit, vt quæcunq; gentes externæ ſint,hodieValē en Polē appellemus.Ita Anglofaxones,hui⁹ rei nõ ignari, Britãnos, quaſi extraneos & aduenas ad Britãniã non pertinentes , quã ſuam iam ipſi interpretabãtur,Vallos,& partem eorum,quã in patria retinebãtValliã vocabant:Nã quod Velſchen hodie extraneos appellem⁹, id fit ex eadē quidē cauſa,ſed

In Germanorum conuicio qui ſint intelligēdi Valē, & quare.

Conuicij Germanicę antiquitas.

 non

non ex eadem origine; cùm Belgæ olim contra Germanos eſſent, Belgiſchen, & deinde Belſchẽ, & tandem Velſchen appellarunt omnes extraneos. Nos igitur quo pleniorem fidem ſupradictis faciamus, age declaremus Valos ſeu Vandalos hos ad vtramq; Viſurgis ripã habuiſſe ſedes; quod nõ modò Crantzij & aliorum teſtimonijs, ſed & præſentibus rerum monumentis conſtat. Habitaſſe enim circa Albin Vandalos teſtantur adhuc vrbes celebres circa eam ſitæ, quæ dicuntur die Vendeſche ſtedde, Vandalicæ vrbes, quales ſunt Hamburgum, Luneburgum, & cæteræ; omnesq; adeo ciuitates ac prouinciæ, quæ Saxonibus ad Orientem Viſurgis acceſſerunt, ex Vandalia captæ ſunt; inter quas & terræ Brunſuicenſis, quæ Veſualiam ad Occidẽtem proximam habet, veteres incolæ, ante Saxonum aduentum Vandali erant, qui ſpeciali nomine Vinuli dicti ſunt. Ad Occidentem autem Viſurgis in Veſualia habitaſſe Vãdalos, aliquot in Comitatu Lippiaco teſtantur pagi, quorum nomẽ generale eſt, die Vende Burde: Adde quod nobiles hodie ſint in Veſualia, dicti die Venden, qui multum iuris habuêre in hoc Comitatu & vrbe Lemgouia; vbi adhuc eſt porta dicta die Slages porten, id eſt, Slauorum porta, circa quam ſuas curias & hortos habent iſti nobiles: eſt autem iſta porta verſus illam ditionem ſic à Vandalis nuncupatam, quod & Reynerus Reyneccius teſtatur, & Hermãnus Hamelmãnus, cuius verba hic aliqua tenus retulimus. Quo tempore autem Vandali ſingulas colonias ſuas, & in quas prouincias duxerint, curioſius hic explicare, non eſt huius inſtituti noſtri; ſtudioſus lector videat VVolfgangum Laziũ de migrationibus gentium, Matthiam de

Vandalos ad vtramque Viſurgis ripam olim tenuiſſe.

Vandali in Oſtualia.

Vandali in Veſualia.

de Miechou Cracouiēſem in libello de duabus Sarmatijs Aſiana & Europiana, item Aeneā Syluium in hiſtoria Bohemica, & Blondum lib. 8. decad. 1. Oroſium lib. 7. cap. 39. 40. 41. Paulum Diaconum lib. 13. & 14. Albertum Crantzium in Vandalia & alibi, Beatum Rhenanum rerum Germanic. lib. 1. & 3. Fārciſcum Irenicum in exegeſi Germaniæ lib 6. cap. 25. & hiſtoricos alios, qui fuſius res Vandalorum in diuerſis prouincijs geſtas executi ſunt. In propoſito noſtro quando Vali Oſtualiam & Veſualiam occuparint, nemo ſupradictorum authorum ſatis diligenter explicauit, nobis id, vt & alia non pauca in rebus Germanicis, annalium noſtrorum beneficio determinare facilè eſt: In quibus id factum deprehendimus anno Chriſti 183. ex quo etiā tēpore in hiſtorijs noſtris Veſuali nominantur. Certum tamen eſt, Vādalos ante Cornelij Taciti ætatem (qui circa annum Chriſti centeſimum vixit) in Veſualia non habitaſſe, cùm ille ibi Angriuarios collocet, & Chamauos, quos ſua memoria inde Bructeros expuliſſe ſcribit; *a* de Valis aut Vādalis illic agentib⁹ nihil dicit. Verum nihilominus & hoc tamē eſt, quod multo ante hæc tempora Vandali Veſualiam tentarint: Blondus enim commemorat, *b* Corneliū Tacitum tradidiſſe (nam nos libros eius neque omnes, nec integros habemus) Vandalos tēpore Auguſti Cæſaris Orientalem Rheni ripam octuaginta hominum milibus occupaſſe, ſed inde per Druſum ac Tiberiū pacata interiori Germania, in proprias ſedes eſſe repulſos; vbi proprias eorum ſedes intelligendas eſſe puto illas, quas ipſis attribuit Plinius ad montem Carpathium in confinio Sarmatiæ ſiue Poloniæ. Ex iſta tamen primæua patria ſua iam ante hac multo

Vandali ſeu Vali quādo Oſtualiam & Veſtualiā occuparint

a *De morib. German.*

b *lib. 1. decad. 1.*

tempore colonias duxerant ad littora maris Baltici; cum quibus ab initio Danis ac Saxonibus contentio fuit: Nam Saxo Grammaticus, Danorum Hiſtoricus, horum Vandalorum (quos ipſe Sclauos appellat) regem Scalcũm debellatum ſcribit à Danorum rege Helgone, quem nos vnà cum fratre Roê, qui Roſcildiam condidit, Danorum regno inauguratum deprehendimus, anno ante natum Chriſtum 182. Itaque & ante, & poſt Cornelium Tacitũ Vandalos in colonijs ducendis occupatos fuiſſe conſtat. M. Antoninũ

M. Ant. Philoſoph⁹ aduerſus Marcomannos.

Philoſophum cum Marcomannis confluxiſſe anno Chriſti 174. Chronologi cõmuniter teſtãtur: Marcomannos autem iſtos fuiſſe Vandalos aſſeuerat Crantzius, quanquam alij Sueuos fuiſſe tradant. Certè Marcomannis aduerſus Cæſarem

a *lib* 8. b *lib.* 7. *cap.* 15.

ſubſidio fuiſſe Vandalos refert Eutropius, *a* cui ſubſcribit & Oroſius. *b* Poſt hoc bellum elapſis annis nouem, anno ſcilicet Chriſti 183. in archiuis noſtris adnotatum reperio, totam Germaniam tremefactam eſſe à Valis & Polonis, qui impreſsione facta multas gentes vel in anguſtũ coegerunt, vel etiam penitus expulerunt, & ad vtrãque Viſurgis ripam ſedes ſuas collocarũt. Ex his tum mille quingentos per Viſurgin in Friſiam delatos, ad Orientalem Amiſis fluuij ripã conſediſſe author eſt Andreas Cornelius Stauriẽſis, qui

Vandali à Friſijs cæſi

Vandalos eos ſimpliciter appellat; & ibidẽ anno eodẽ, qui Adelboldi Friſiorum Ducis annus decimus fuit, à Tito Boiocalo eius fratre, qui & M. Antonino aduerſus Marcomannos ſubſidio

Friſiorum res cũ Veſ[t]nalis geſtæ

fuerat, & fratri poſtea in Ducatum Friſiæ ſucceſſit, ad internecionem omnes eſſe deletos tradit. Ex hoc igitur tempore noſtræ genti crebrò bel-

lum

lum cum Veſualis fuit, quorum nomen hactenus auditum non erat. Nec mirum quidem id fuit, cùm omnes qui aduenerant Vali eſſent, ratione intermedij Viſurgis, hos qui ad Occidentem erant Veſualos, vt & illos qui ad Orientem erant Oſualos eſſe dictos. Cùm igitur ab eo inde tempore Veſuali & Oſuali dicti ſint, qui vtramque Viſurgis ripam accolunt, & Veſuali ad hunc vſque diem nomen hoc inuiolatum ſeruent, conſequitur Veſualici nominis Etymologiam non aliunde quàm à Vandalis pendere. Primùm, quia Veſuali non minus quàm Oſuali, Vali, hoc eſt, Vandali ſunt; cùm non alia re, quàm ſitu Viſurgis intermedij inter ſe differant: Deinde, quod Vali ſeu Vandali, qui ad Orientem Viſurgis erant, non alia de cauſa, teſte Crantzio, Oſuali dici deſierint, quàm quod à Saxonibus occupati, Saxones dici ceperint. Quocirca cùm ad Caroli Magni vſque ætatem Vali ſeu Vandali, qui ad Orientalem Viſurgis ripam erant, Oſuali vſitatè dicti ſint, vt ex Francicis, Saxonicis, & Vandalicis ſcriptoribus patet, (etiamſi iam tum aliqui ex his in poteſtatem Saxonum redacti eſſent, vt de Vinulis ſupradictum eſt) dubitare nemo debet, quin eorum patria Oſualia latinè, & Oſualen germanicè, & ipſi Oſuelingen dicti ſint; cùm hi, qui è regione illorum degunt, hactenus Veſuali, & eorum patria latinè Veſualia, & germanicè Veſualen, & ipſi Veſuelingen dicantur: nec enim cauſæ quicquam reddi poteſt, cur dubitemus, eiuſdem gentis duas ſpecies eandem analogiam differentiarum in altera conſeruaſſe itidem atque eas illam in altera conſeruaſſe videmus.

Oſuali Orientales, Veſuali Occidentales Vali ſeu Vandali.

Veſualici nominis etymologiã nõ aliunde, quàm à Valis ſeu Vandalis ſeu pendere.

Etymon nominis Vādalicij.

Sic igitur Veſuali deprehenduntur nòn Saxones, ſed Vandali eſſe, id quod & ipſum nominis Etymon apertè teſtatur: Nam ſi Vandalos ab Ethnarcha Vandalo deducis, qui non modò poſteritati ſuæ, ſed & fluuio, apud quē ſedes ſuas habuit, nomen ſuum indidit, tam Veſuali quàm Oſuali ad illum reducuntur; quia vtrique Vandali ſunt, & ex ea regione ſunt progreſsi, quam fluuij Vādali fontes authoris cognominis ſedem fuiſſe demonſtrant. Si autem ad mores gētis Etymon refers, & Vandalos proinde ambulatorios interpreteris, ne ſic quidem à ſcopo aberraueris: Nam cùm Vandalicæ gentis fœcunditas ſingularis fuerit, & proinde ob anguſtias antiquorum ſedium crebras colonias emiſerit, dum hæ nouis ſedibus quærendis occupantur, Vandalen, id eſt, ambulare, vagari & peregrinari coacti ſunt. Itaque ne longè abeamus, Oſuali erant, qui nouis ſedibus quærendis Galliam, Hiſpaniam, Africam, & alias complures regiones peragrarūt, & occuparunt; de quibus omnes omnium hiſtoriæ eius ſæculi loquūtur: Veſuali etiā quomodo ob eādem cauſam etiā hodie in diuerſas prouincias peregrinentur, nemo luculentius explicauerit, quàm author laudum Veſualiæ, Veſualus ipſe, Varnerus Roleuinck. Nec offendere interim quenquam debet ſcripturæ diuerſitas apud authores, cùm alij Veſphalos & Oſphalos; alij Veſfalos & Oſfalos; alij Veſualos & Oſualos ſcribāt: poſtrema enim hæc ſcriptura tantùm genuina eſt; cùm ex Vandalis Vali fiant, qui in Oſualos & Veſualos diuiduntur: Veſphalones, & Veſphalai, & conſimiles erroneæ ſcripturæ habendæ ſunt, & quæ, quantum quidem ad hanc gentem pertinet, nulla ratione nituntur.

CAP-

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

QVAE SIT CAVSA NOMINIS SAxonici in Veſualia.

HIS igitur ita diſcuſſis, reſtat iam explicare quæ cauſa ſit nominis Saxonici in Veſualia; cùm Saxones ad Carolum Magnum vſque ſedes in Veſualia nullas habuiſſe ex ſupradictis iam ſatis conſtet. Et ſanè huius erroris equidem tres cauſas, vt numero dicam, deprehendo. Harum prima eſt, quod Brunonios, qui cum Saxonibus per Albin anno ante Chriſtum natum 300. appuliſſe referuntur, Saxones fuiſſe, & mox in Veſualiam veniſſe putant: Altera cauſa eſt, quod Hengiſtus & Horſus, qui veteres Saxones & Angloſaxones dicti ſunt, Veſuali fuiſſe credantur: Tertia cauſa eſt, quod Friſij, qui in Veſualia aliquando dominati ſunt, à plerisque ſcriptoribus, ob gentium vicinitatē, Saxones appellentur. Quæ ſingula quid firmamenti habeant, vt ſingulatim exploremus, ſequemur ductum annalium noſtrorum, cum quibus & aliarum nationum tempora cōiungemus, & maximè Romanorum.

Tres cauſæ cur Veſuali dicantur Saxones. *Cauſa 1.* *2.* *3.*

Saxones igitur per Albin appuliſse in Holſatiā anno ante natum Chriſtū 300. noſtri annales referūt, cū quibus cōſentiunt Varner⁹ Roleuinck, & Gobelinus, & cōplures alij, de quib⁹ aliâs copioſius. *a* Annales noſtri referūt Brunonios eodē tēpore per Albin paulo altius ſubuectos, inter Albin & Viſurgin conſediſſe, ibidemque prouinciæ ſuæ caput Brunſuicum ædificatum, de nomine fundatoris ſui appellaſſe. Ex horum poſte-

a cap. 15. lib. 2.

ris tandem Angriuarios cum Chamauis, traiecto Viſurgi, ſedibus ſuis expuliſſe Bructeros, Varnerus Roleuinck, & Gobelinus, & alij Saxones, mox vbi Holſatiam occupaſſent, in Veſualiam penetraſſe ſcribunt. Sed duplex eorum error eſt. Primùm, quod Brunonios nobis non diſtinguant à Saxonibus; deinde, quod eoſdem Brunonios mox in Veſualiam deducant. Saxones enim in Veſualiam nunquam venerunt, vt ſupra ſatis declaratum eſt, & alioqui tam numeroſi tunc non fuerunt, vt duabus prouincijs, præſertim tam longè diſiunctis, ad conſeruandum pares eſſe potuerint: Brunonij autem in eam non venerunt ante annum à primo aduentu quadringenteſimum, vt mox videbimus. Hactenus autem à Romanis & Græcis ſcriptoribus ad probanda noſtra parum ſubſidij habemus; cùm tam altè non aſcendant, vt ad Macedonici exercitus reliquias pertingant. Nam Strabo omnium antiquiſsimus, qui ſub Auguſto Cæſare Germaniam deſcripſit, de Saxonijs ac Brunonijs nihil habet; nihil habet etiam Plinius, qui ſcripſit ſub Veſpaſiano; nihil denique Cornelius Tacitus, qui ſcripſit ſub Traiano, annis centum poſt natum Chriſtum. Ptolemæus, qui Tacito ſuccedit, & antiquiores interim tabulas ſequi dicitur, Saxonum meminit; quos tamen à Veſualia ſatis dilucido interſtitio remouet, dum eos ſupra Cimbrorum dorſa, hoc eſt, in Holſatia collocat. De Brunonijs nihil habet: ſed hoc mirum non eſt, cùm horum nomen iam antea Sueuis ac Vandalis, vt poſtea Saxonibus ſuperuenientibus, obſcuratum ſit: nec enim Geographi, præſertim extranei, omnes omnium gentium mutationes adnotant, quarum deſcri-

Brunonij quando in Veſualiam venerint.

Vetuſtiſsimi authores de Brunonijs & Saxonibus nihil habent.

ſcribunt ſedes. Brunonios autem primo aduentu ſtatim in Veſualiam non veniſſe, ex Tacito non obſcurè colligimus; *a* cùm ad ſuam vſque memoriam Bructeros illic fuiſſe innuat: Nam cùm Bructeros à Druſo, qui ſub Auguſto fuit, ipſe debellatos quidem, non tamen expulſos commemoret; eoſdemque ab Angriuarijs ac Chamauis demum ſua memoria ſedibus ſuis expulſos, ac prorſus exciſos eſſe commemorat, ſatis intelligimus, hos ipſos Bructeros Veſualiæ primos & antiquiſſimos eſſe incolas; quia à primo Saxonum aduentu illic alij incolæ non reperiantur: Bructeros autem non fuiſſe Brunonios ex eo patet, quod à Brunonijs eiecti ſint; Angriuarij enim Brunij erant, vt ſupra diximus.

a in lib. de morib. Germanorum.

Ex huiuſmodi ergo errore prima Saxonici nominis cauſa pendet. Secundam temporis decurſus arguet: nam cùm non longè poſt Taciti ac Ptolemæi ætatem, hoc eſt anno centeſimo octuageſimo ſecundo, Vandali Oſualiam & Veſualiam occupaſſent, vt ſupra dictum eſt, *b* ab hoc tempore ad Carolum Magnum vſque, hoc eſt, totis fere ſexcentis annis Veſuali Veſualiam obtinuerunt; veri Saxones in Veſualiam hactenus non venerunt: quod patet non modò ex his, ſed & ex ijs quæ ſupra toto hoc libro pluribus locis iam dicta ſunt. Veſualos autem cùm generaliter & indefinitè dicimus, interdum etiam Angriuarios ſub ipſis comprehendimus, ob vicinitatem loci, qua coniuncti ſunt. Interim tamen ne gentium diuerſarum confuſio fiat, ſciendum eſt, Angriuarios re vera Veſualos non eſſe, quia Vandali non ſunt: Vandali enim cùm has terras occuparent, Chamauos

2. cauſa.

b lib. 2. cap. 14.

Angriuarij Veſuali non ſunt.

ſub-

ſubegerunt, & quaſdã gentes alias, de quibus ſpeciatim in Germania noſtra dicturi ſumus: Angriuarij autem, qui nec vincere nec vinci poterant, cum Veſualis fœdus æternæ ſocietatis contraxerunt. Hinc eſt, quod ad Carolũ vſq; e terra omnis, quæ intra Rhenum & Viſurgim eſt, in Veſualiam & Angriam, ſiue A[illegible]am, ſiue Angriuariam diuidatur; & Epiſcopus Colonienſis ſe Ducem Veſualiæ & Angriæ ſcribat, itaque & ſcriptores Frãcici in bello Saxonico, ſub Carolo Magno, Veſualos & Angriuarios intra Viſurgin, Saxones vltra Viſurgin collocant, vtpote quorum ſedes intra Viſurgin hactenus nullæ fuerant.

Veſuali cũ Angriuarijs Friſios infeſtãt.

Veſuali igitur ab eo tempore, quo terram iſtã occupaſſent, vnà cum cõfœderatis Angriuarijs, vicinam Friſiam diuerſis incurſionibus infeſtarunt, & tandem anno Chriſti 344. qui Odilbaldi Friſiorum ducis nonus fuit, terram Gruninganã ex improuiſo inuaſerunt, & antequam Friſij in armis eſſe poſſent, omnia flammis ac rapinis vaſtauerunt vſq; ad fluuium Lauicam, qui eam terram ab Occidẽtali Friſia ſeparat: Odilbaldus autem, contractis quantocius copijs, hoſtes fugientes non modò præda exuit, ſed & domum vſque inſecutus, caſtris aliquot ac munitionibus occupatis priuauit; nec porrò deſtitit, donec Angriuariam totam, & maxima quoque ex parte Veſualiam ſuæ ditioni ſubiugaſſet, relicto illic præſidiario duce, cui nomen erat Yglo Laſcon. Ille hiſce populis in officio continendis præfuit annis integris ſexaginta quinq;, & ad ſecuritatem domini ſui ædificauit arces tres, primam in Angria, quę poſtea Vitekindi fuit; alteram Suſati, quę poſtea in ciuitatem per Dagobertum Clotarij filiũ ſublimata, & tandem S. Cuniberto Colonienſi E-

Friſij Veſualos & Angriuarios ſuæ ditioni ſubijciunt.

piſ-

piſcopo donata eſt, quod noſtris ſcriptoribus referentibus, atteſtantur Chronica ciuitatis Lippiæ & Colonienſis; tertiam Iburgi, quod nunc Driburgum dicitur, de quibus infra plura.

Supradictus autem Friſiorum dux Odilbaldus filium habuit, cui nomen erat Vdolphus Haron, quem Gymnaſticis certaminibus egregiè domi exercitatum, anno Chriſti 357. in Angriam miſit, vt eum Yglo Laſcon veris prælijs cum hoſte ſubeundis expoliret, apud quem paulo plus biennio vno fuit. *Vdolphus Haron.*

Habitabat ea tempeſtate prope Hamburgum præcipuę nobilitatis ſatrapa Vetgiſtus, qui filios duos Hengiſtum & Horſum, & filiam vnam nomine Suanã habebat. Filij in Albis mortui ſunt. Vdolphus dum viſendorum amicorum gratia Saxoniam ingreſſus, ad Vetgiſtum diuertit, amore Suanæ correptus eſt, quam & cum parentum vtrinque conſenſu vxorem duxit: patre deinde defuncto, anno Chriſti 360. ſeptimus & vltimus dux Friſiæ inauguratus eſt; nam poſt hunc reges nouem Friſiæ præfuerunt vſque ad Carolum Magnum. *Vetgiſtus Saxonum ſatrapa. Vetgiſti filij Hengiſtus & Horſus.*

Huic autem duci Vdolpho nati ſunt filij duo, quorum maiorem Hengiſtum, minorem Horſum appellari voluit, ad ſolatium vxoris in memoriam eius defunctorum fratrum. Hos igitur nepotes ſuos auus maternus Vetgiſtus in filiorum locum adoptauit. *Vdolphi filij Hengiſtus & Horſus.*

Pater verò naturalis Vdolphus eos ſimul atq; ætas tulit, ad Imperatorem miſit; in cuius aula educati, & omni rei literariæ ac bellicæ diſciplina exculti sũt. Quos inde reuerſos pater, ne otio torpeſcerent, in Angriam miſit, vt cum Yglone duce ditionem ſuã illic militari fortitudine tuerentur. *Hengiſtus & Horſus in Angriã miſsi.*

rentur & augerent. Ac fuerunt illi quidem in Angria ob egregiam virtutem tum ſubditis ſuis, tum finitimis populis, & præcipuè cognatis Saxonibus chariſſimi. Sed in hac proſperitate eos diu verſari fortuna non tulit.

Lex Friſonis de colonijs ducendis.

Non multo poſt enim popularis querela Friſiam peruagata eſt, hominum multitudinem in immenſum auctam eſſe, terræ anguſtiam omnibus alendis amplius non ſufficere: More maiorũ igitur coloniam eſſe ducendam, ſecundum veterem legem Friſonis, quæ ſingulis annis in Comitijs publicis ad hunc vſque ducem promulgata fuerat. Ea igitur querela poſtquam ad aures ducis perueniſſet, ille tota ditione ſua comitijs indictis validiſſimos ac præſtantiſſimos quosque iuuenes de omnibus ciuitatibus ac pagis ſuis in eum finem delegit, vt hi foras emiſſi, deceſſu ſuo patriam anguſtijs leuarent, & virtute ſua nouas ſedes ſibi ipſi quærerent ac pararent; in quo nec filijs quidem ſuis pepercit. Inter quos proinde iuuenes, à duce ſic delectos, ſors miſſa declarauit, quibus decedendum foret: Inter quos cùm & Hengiſtus & Horſus reperti eſſent, ipſi duces reliquis præfecti ſunt. Quæ ſic geſta eſſe Britannici ſcriptores, & Hollandorum Chronica nobis atteſtantur. De tempore huius expeditionis inter ſcriptores Friſicos, Saxonicos, Britannicos & Hollandicos mira diſcrepantia eſt, quã nos commodius conciliabimus in opere, quod peculiare de Hengiſto & Horſo cudimus. Congregati autem prope Dockenburgũ, quod nunc Doccomium appellatur, comparatis ſubſidijs ad profectionem neceſſarijs, anchoram ſoluerunt, & per fluuium Lauicam Eſonſtadium appulerunt: quæ ciuitas tunc Friſiæ ad Septentrionẽ extre-

Sorte coloniæ deligebantur.

Hengiſtus & Horſus coloniæ ducendæ præfecti.

Iter Hengiſti & Horſi.

extrema ex oppoſito inſulæ,quæ Monachorũ O-
gya dicitur,portũ oportunũ mari Lauicano præ
buit;nunc eluuione maris vnà cũ ingenti parte
terræ abſorpta,nullũ ſui veſtigiũ vſquã niſi in li
teris reliquit. Inde relicta patria,vecti tribus lõ
gis nauibus;quas ipſi ob celeritatẽ patria lingua
Schiulen appellabant, Gildas Britannus Chiu-
las vocat,Galfridus Monemutẽſis celoces rectè
interpretatur;rectà in Angliam delati ſunt: Illã
dico Angliã,quæ Iutiæ proxima eſt,de cuius no-
mine Britannia nomẽ Angliæ poſtea accepit. In
hac enim Anglia tutiſſimũ habuerunt receptacu
lum,quo captarent commodam occaſionem oc-
cupandæ alicuius prouinciæ, in qua ſedes ſuas
figerent: Habebant enim iſti oportunitatem por
tuum,& Saxonibus ſuberant,qui diuturna pira-
tica iam celebres erant,ipſiq; Hengiſtus & Hor-
ſus antiqua etiã cognatione tum Saxones, tũ An-
glos contingebant;cùm antiquiſſimi Saxonum
duces,inter quos Vetgiſtus,eiuſque maiores e-
rant,ex Syfrido deſcendant;cuius pater Gerol-
dus Saxonis filius, mater Engela Anguli filia
fuit,vt ad Saxonem Grammaticum ſupra demõ-
ſtrauimus.Hinc igitur per multos annos in Bri-
tanniã & Armoricas ciuitates cũ Anglis & Saxo-
nibus piraticã exercuerunt, vnde & ipſi Anglo-
ſaxones dicti ſunt,& tãdem oblata occaſione in
Britanniam vocati, egerunt ea, quæ à ſcriptori-
bus fide dignis memoriæ mandata ſunt. Hinc
igitur luce clarius apparet, Hengiſtum & Hor-
ſum,qui Britanniam occuparunt, non Saxones
fuiſſe, ſed Friſios;quod tamen ſuo loco plenius
etiam demonſtraturi ſumus: apparet etiam ali-
am eſſe ſeu Angariã,ſeu Angriã,ſeu rectius deni-
q; Angriuariã Angriuariorũ ſedem in Veſualia;
aliam

Friſiorum colonia in Anglia veteri.

Hengiſtus & Horſus piraticam exercent.

aliam eſſe Angliam veram intra veterem Saxoniam & Iutiam; aliam denique Angliam eſſe ex huius nomine dictam, quæ antea Britannia dicta fuit; omneſque hos locos dilucido interſtitio inter ſe eſſe diſiūctos, & proinde ex ignorantia veritatis nata eſſe figmenta Crantzij, qui Angriam Veſualiæ modò Angla riā, modò Angliam vocat.

Orichius Hengiſti filius. *Octa filius maior Orichij.* *Ebiſſa Orichij filius minor.*

Cùm autem Hengiſti filius Orichius poſt obitū patris in Britannis ſubigendis adhuc multum negotij haberet, filium natu maiorem Octam ſibi laborum ſocium, & regni ſucceſſorem in Britannia retinuit: natu minorem Ebiſſam in Friſiam tranſmiſit; tum vt extra periculum eſſet, tum etiam vt ea quæ ex maiorum vel ſucceſſione vel beneficio habere poſſet, ijs vteretur ad fortunæ ſuæ fabricationem. Octæ & Ebiſſæ meminit Galfridus Monemutenſis lib. 6. cap. 13. ſed perperam Hēgiſti filios facit, qui nepotes ex Orichio erāt; ſed Ebiſſæ poſtea nunquam rurſus mentionem facit, vt ſatis intelligas, eum in Britannia non manſiſſe. Beda lib. 2. cap. 5. Octæ meminit, Ebiſſæ non item; quod ideo factum puto, quod illic tantum regni Cantiani ſucceſſores recenſeantur, qui ex Hengiſto deſcenderunt. Comiter autem Ebiſſa à Friſiorum Rege exceptus, & feudo totius Angriuariæ, bonæque partis Veſualiæ, quanta intra Lippiam continetur, donatus eſt: clypei inſigne illi datus eſt equus niger; equus quidem ad memoriam aui, cuius nomen Hengiſtus equum ſignificat: ſolent enim veteres huiuſmodi quaſi hieroglyphicis maiorum ſuorum memoriam poſteritati commendare. Sic enim & Picentes auem picum in vexillis militaribus præferebant, eſte Sabellico, quod gentis eorum conditor Picus dictus fuerit. Color autem equo niger addi-

tus

tus eſt, ad recordationem atræ ſortis, qua ille regno Friſiæ priuabatur, cuius alioqui legitimus hæres erat. Hic igitur Ebiſſa, cùm ita cum ſuis in Veſualiam conceſſiſſet, comites ſuos Saxones veteres dici voluit; & in ea de nomine Saxonum Saſſendorp & Saſſenburg, quæ condiderat, appellari voluit: tum quod ipſe in veteri Saxonia natus eſſet, & pater auusque veterum Saxonum hoſpitio diu vſi, veteres Saxones & ipſi ab exteris appellati eſſent, & denique quod maternum genus ex veteri Saxonia ducerent. Quare & Beda maternam ſtirpem Hengiſti & Horſi referens cap.15.lib.1. Erant (inquit) filij Vergiſti, cuius pater Vitta, cuius pater Vecta, cuius pater Voden, de cuius ſtirpe multarum prouinciarum „ regium genus originem duxit. Hengiſtus enim „ patris naturalis familia per ſortis acerbitatem priuatus, familiam patris adoptiui ſecutus eſt; ex qua ſola ducum Saxonicorum genealogiam hodie plerique deducunt, cùm familiam patris naturalis ignorent: Alioqui enim Hengiſtus in naturalis patris ſtirpe recta linea in Friſonem gentis noſtræ conditorem reducitur, vno tantùm gradu interclúſus regia ſucceſſione, hoc modo: Hengiſti & Horſi pater erat Vdolphus Haron, ſeptimus & vltimus Friſiorum dux: Friſij enim ab initio ad Carolum Magnum vſque ſeptem principes, totidemque duces, & nouem reges habuerunt: Vdolphi pater erat Odilbaldus, illius Haron, illius Vbbo, illius Richoldus, (ſed non dux Friſiæ; nam duo patrueles eius poſt auum viciſſim imperarāt, Titus & Adelboldus:) Richoldi pater erat Alconius dux Friſiæ; idem qui Titi pater, & Adelboldi erat: Aſconij pater erat Tabbo ſeptimus & vltimus Friſiorum princeps;

Beda maternum genus Hengiſti refert.

Hagiſti genus paternum.

ceps; cuius pater Dibbaldus Segon, cuius pater Diocarus Segon, cuius pater Aſinga Aſcon, cuius pater Adel, cuius pater Friſo, frater Saxonis. In quem ſi maternũ Hengiſti genus pari ſucceſſione referatur, equidẽ non video quis Princeps antiquiori nobilitate hodie polleat in Germania, quàm Hengiſtus, ex quo maxima pars Germanorum principum originem trahit; vt de multis externis Principibus interim nihil dicam: Nobis autem ex Archiuis noſtris defectum Saxonũ in materna Hengiſti linea nec ad Saxonem aſcendendo, nec ad Vitekindum deſcendendo ſupplere admodum difficile erit; quod & in peculiari opere, quod de Hengiſto & Horſo dabimus, diligenter facturi ſumus. Interim verò vt ad Veſualiam redeamus, Ebiſſa Hengiſti nepos hoc facto ſuo occaſionem dedit, vt Veſualia, quanquam nihil minus quàm Saxonia eſſet, tamen non modò Saxoniæ, ſed etiam veteris Saxoniæ nomen obtineret: Quæ res ignorata, Crantzium coegit in omnia ſe vertere, vt hanc primam Saxonum ſedem declararet. Idem Ebiſſa & alteri errori occaſionem dedit; nam cũ ille cum ſuis ex Britannia veniſſet, non defuerũt, qui ſcriberent Saxones originem duxiſſe ex Britannia. Quod Crantzius non modò ſeriò, ſed & cum ſtomacho refellit; quanquam & ipſum Ebiſſam in Britannia natum, & multos iuuenes in comitatu ſuo habuiſſe quidam referant, qui & ipſi in Britannia nati erant: quanquam hoc tẽporum ratio falſum eſſe conuincit, vt in Hengiſto dicturi ſumus, & Galfridus teſtetur, Ebiſſam à patre in Britanniam eſſe vocatum.

Veſualia vnde vetus Saxonia dicta ſit.

Vnde aliqui ſcribãt Saxões ex Britannia oriundos.

Tertia cauſſa.

Prima igitur & ſecũda erroris cauſa ſic diſcuſſa, reſtat tertia, quæ Friſios Saxonum nomine obumbrauit,

ūmbrauit,& quæ propria Friſiorum erant, ea Saxonibus adſcripſit; quod ex dominatu Friſiorū accidit, quem in Veſualia habuerunt, quæ Saxoniæ nomine iam vulgo ob ſupradictas cauſas cenſebatur. Hengiſti filius, vt ſupra dictum eſt, Orichius fuit; huius filij duo erāt Octa & Ebiſſa. Ex Octa ſunt Cantiorum reges in Anglia; ex Ebiſſa ſunt Angriuariorum duces in Veſualia, recta linea deſcendentes in Vitekindum Magnum. Ante huius autem Ebiſſæ aduentum Friſiorum reges Angriuariam & Veſualiā per duos præfectos gubernabant; quorum alter in Angria, alter Suſati præſidium habebat. Poſtquam Ebiſſa adueniſſet, Angrienſe præſidium illi, vt coronæ Friſicæ vaſallo, ad tutelam ditionis ſuæ traditum fuit: Præſidium Suſatenſe Friſij ad defenſionem reliquæ ditionis, quam in Veſualia habebant, ſibi retinuerunt, cui & Driburgenſe accedebat. Atque ita coniuncto moderamine pariter illi Veſualiam gubernarunt vſque ad Clotharium 2. Francorum regem, Dagoberti patrem: per hunc enim, imminutis Friſiorum viribus, Sigardus, qui tum Angriuariorum princeps erat, Francorum vaſallus factus eſt, & cum poſteris ſuis manſit vſque ad Vitekindum. Quæ res quò clarius intelligatur, ſeriem regum noſtrorum paucis hic ſubijciam. Itaque patri Hengiſti & Horſi Vdolpho Haroni, (quia hæredes maſculos non habebat) filijs iſtis orbato, cum conſenſu ordinum Friſiæ ſucceſſit gener eius Richoldus Vſſo, qui regium diadema primus ſumpſit: Richoldo ſucceſſit Odilbaldus; Odilbaldo Richoldus ſecundus; Richoldo demū Beroaldus, qui Clothario Francorum regi æqualis fuit. In hoc autē Beroaldo vnitū eſt vtrumq; regnum

Poſteritas Hengiſti.

Regnū Friſicorum ſeries.

Richoldus Vſſo.

Regnum vtriuſque Friſiæ vnitum.

Friſiæ:nam cùm anteceſſores eius,quos hic nominauimus, ad Orientem tantùm Fleui fluuij, qui mari Hollandico nunc abſorptus eſt, regnauiſſent, ille etiam regnauit ad Occidentem. Ante horum regum tempora non comperio Francos cum Friſijs bello concertaſſe:ſed cùm illi tranſRhenanis dominijs aucti, Friſij autem Hengiſti illa expeditione Britannica,quæ alijs ſuper alias copijs petendis Friſiam vacuabat,diu multumq; exhauſti eſſent,mox Richoldum primum Clodoueus primus, & cæteri cæteros deinceps porrò ſemper infeſtarunt,vſque ad Clotharium Dagoberti patrem, qui ſupradictum Beroaldum non modò Veſualia,ſed & vtroque regno Friſię,& vita denique exuit, & Sigardum vaſallum Francis reddidit. Quantum autem momentum Francis in hac victoria fuerit, inde lector æſtimet, quod huius Beroaldi regnum,ad Orientē Iutia,ad Occidentem Gallia, ad Septentrionē continuo Germanici Oceani littore inter haſce duas extremitates porrecto terminatū fuerit; ad Auſtrum aūt omnia,quæ intra mare Auſtrale ſunt, quod tamē tum temporis adhuc nullum erat,& vltra hoc etiam ditionem Vltraiectinam cum adnexis vſque Nouiomagum,Trāſiſulaniam quoque & Salandiam;& qua cōtinens Friſia eſt,Drentiam,Dubātiam, Tecklenburgiam, Benthemiam, Angriuariam & Veſualię partem maximam continuerit. Clotharius igitur interfecto Beroaldo, Friſijs in ſolatium tantæ calamitatis regem conſtituit Adgillum, interempti Beroaldi filium, admodum adoleſcentem, adiunctis illi quatuor curatoribus ex gente Friſica delectis, quos à religione Chriſtiana non abhorrere cognouerat; quod prudenter fecit, vt rebellionum cauſas tolleret.

Frācorum cū Friſijs prima contentio.

Clotharij Franci victoria de Friſijs.

Adgillus Beroaldo patri in regnum Friſiæ ſuffectus.

Quod

Quod ad paterni regni metas attinet, Adgillo ad Orientem nihil ademit; ad Occidentem omnia abraſit, quæ vltra eam terram ſunt, quæ tunc Friſia Occidentalis, nunc Hollandia Septentrionalis dicitur: ad Auſtrum ademit omnia, quæ vltra mare Auſtrinum ſunt; & qua Friſia continẽs eſt, omnia abſtulit, quæ vltra Drentiam ac Dubantiam ſunt. In ſignum etiam ſubiectionis, tributi nomine Friſijs imperauit annuos ſexcentos boues. Sigardum autem, quò Francis deuinciret, feudo Angriuariæ ac partis Veſualiæ, vt à Friſijs habuerat, donauit: præfecturam Iburgenſem cum arce addidit, eumque & munitionibus aliquot erectis in Veſualia verſus Friſiam, qua continẽs eſt, præfecit, vt inter fidelitatis ac proditionis neceſſitatẽ eum velut inter ſacrum & ſaxum conſtitueret: quæ res tum Sigardo, tũ poſteris eius, multæ inuidiæ magnæque calamitatis cauſa fuit, vt aliâs latius declarabimus.

Quæ Friſiorum regno Clotharius ademerit.

Sigardus Frãcis vaſallus factus.

Porrò autem Adgillus Beroaldi filius regnauit cõtinuis annis octuaginta, & cùm ephoros iſtos haberet, ipſeque vir eſſet amans pacis, in magna quiete Friſiam gubernauit. Interea tẽporis ergo Franci occaſionem habuerunt propagandæ religionis Chriſtianæ: Mox enim Dagobertus Clotharij filius Suſatum dedit S. Cuniberto Epiſcopo Colonienſi, qui illic ſeminariũ doctrinæ Chriſtianæ conſtituit. Mox etiam idem dedit Vltraiectum eidem S. Cuniberto, qui ibidem quoq; ſimile ſeminarium erexit, extructo oratorio in honorem Sancti Thomæ, miſitq; viros pios ac doctos, qui prædicarent infidelibus verbum domini; quibus præfecit S. Koniochum, qui poſt S. Aegiſtum ſecundus Friſiorum Apoſtolus fuit, ante S. Villibrordum pluſquam 60. integris annis: quod te-

Adgillus Beroaldi filius.

S. Koniochus.

S. Aegiſt⁹.

ſtantur præter alios Ioannes Becanus Canonicus Vltraiectinus, & VVilhelmus Heda Præpoſitus Arnhemienſis.

Radbodus primus Adgilli filius. Adgilli filius ac ſucceſſor fuit Radbodus eius nominis primus, ille impius, qui pedem retraxit ex Baptiſmo, & regnauit annis quinquaginta. Is Frãcis rebellauit, & omnia ferme rurſus ademit, quæ auus amiſerat: cũ quo Carolus Martellus & Pipinus vario Marte luctati ſunt.

Negligentia Francicorũ ſcriptorum. Hic igitur mihi ſubit mirari ignauiam Francorum, qui tam negligenter verſati ſunt in regum ſuorum rebus præclarè geſtis memoriæ mãdandis, vt eas non modò magna ex parte prorſus omittant; ſed & eas quoq; quas tractant, legitimis perſonarum, tẽporum, locorum, cauſarumq; circumſtantijs fere nuſquam rectè diſtinguant. Patet id præſenti hoc exemplo, quo ea quæ contra Friſios egit Clotharius, illi contra Saxones acta eſſe prædicãt: Beroaldum enim ſupradictum Friſiorum regem illi ducem Saxonum fuiſſe narrãt, & deprauato etiã nomine Bertoaldum vocãt, vt apud Sigebertum & Aimoinum videre eſt.

Sigebertus quidem Gemblacenſis: Anno (inquit) Chriſti 630. Lotharij 43. Dagobertus rex Saxonibus bello occurrit; cui pater Lotharius rex accurrens auxilio, interfecto Berthoaldo duce Saxonũ, victoriam obtinuit, & peruagãs omnem Saxoniã, nullũ omnino Saxonum, menſuram gladij ſui excedentem, dimiſit viuẽtem. Ita Sigebertus: quæ pluribꝰ verbis narrat Aimoinus l. 4. c. 1°.

Saxones igitur iuſto errore hunc ducem ſuũ faciunt, quem Crãtzius & Buntingius, & alij Bertholdum vocant; B. Rhenanus Berchtholdum; Io. Funccius Bertulphũ nominat; eumque in Saxonicorum ducũ genealogia cõſpicuũ habẽt: & quod conie-

conſequẽs eſt,quæ illi cõnexa ſunt,ad ſe pertinere putant; & proinde Veſualiã & Angriuariam, & cęteras prouincias,quas ille habuit,in Saxonũ ditione tum temporis fuiſſe credũt: vt tertia etiam erroris cauſa hinc manifeſta ſit,qua Saxones Veſualiam putant fuiſſe ſuã,quod Friſios,quorũ ditioni ſubiecta fuit,Franci ſcriptores Saxonum nomine appellarint.Poterant autẽ Franci iſti nõ magno negocio rei geſtæ veritatem cognoſcere, ſi aliquam ſaltẽ diligẽtiam adhibere voluiſſent: Nam cùm Radbodum Beroaldi nepotem Friſiorum regẽ Francis rebellantem agnoſcerent, cum quo Carolus Martellus diu vario Marte luctatus eſt; cùm hunc Vltraiectum recuperaſſe, viros Eccleſiaſticos à Francis ibi conſtitutos exturbaſſe, cæteraſque etiam prouincias auitas, quæ vltra mare Auſtrinum erant, Francis rurſus extorſiſſe non ignorarent; cùm ſcirent eûm etiam cætera tentaſſe, quæ ad Auſtrum & Occidentem auus habuerat, non obſcurè colligere poterant, etiam Beroaldum fuiſſe Friſiorum regem. Quis autem fando audiuit Saxones vnquam habuiſſe Traiectum? Itaque quò notabilior eorum error eſſet, ſcribunt Dagoberto à Saxonibus vulnerato Clotharium ſuppetias ferentem traieciſſe Viſurgin, & fugientem Bertholdum trucidaſſe: Hoc enim ſi verum eſt, quo modo Saxones, qui ad Orientem Viſurgis erant, vulnerare Dagobertum poterant, cuius caſtra ad Occidentem eius fluminis fuiſſe proponuntur? Deinde quis in animo generoſo Saxonici principis, qui hoſtem modò conuicio proſcindere veritus non eſſet, formidinem tantam fuiſſe credat, vt hoſtem infeſto animo in ſe irruentem tam turpiter fuge-

Francicorum ſcriptorum abſurdæ ineptiæ.

ret, ac non potius fortiter exciperet, præſertim qui oportunitatem haberet, vt eum vel per ſe, vel per ſuos in aquis opprimeret, antequam in terram aſcenderet? Deinde quod de tributo annuo dicunt, quis vnquam Saxonibus boues imperatos legit, niſi apud ſcriptores iſtos? Saxonibus enim equi vbique, Friſijs boues imperati leguntur. Quomodo autem ea tempeſtate terram Brūſuicenſem, quæ Veſualis proximè oppoſita eſt, Saxoniam ſcriptores Francici dicent, niſi manifeſta temporis anticipatione? cùm ſupra ſatis liquidò demonſtratum ſit, Saxones ad hanc vſque ætatem in illa terra pedem nullum habuiſſe; vtpote cùm Vinuli eam tunc tenerent, qui, quod Vandali eſſent, congentilibus ſuis Veſualis ad Orientem oppoſiti, Oſuali dicebantur: Tum demū enim hęc Saxonia dici cœpit, cū Saxōes, oppreſſis Vinulis, eam ſuam fecerūt. Quod tū demum factum eſt, cùm ſtipendij nomine eam à Francis acceperunt, quibus aduerſus Bertholdum hunc militauerunt; tantum abeſt, vt Bertholdus Saxonum dux fuerit contra Francos.

Occaſio interficiendi Vt igitur abſurditas horum errorū propius conſpici poſsit, hiſtoriæ veritas paucis referēda eſt. Dagobertus enim, accepta à patre regnandi poteſtate, quo militaris fortitudinis egregium aliquod ſpecimen ederet, in Veſualiam irruptione facta, Suſatum obſidione cinxit: præſto mox fuit ſubſidium, tum à Sigardo Angriuariæ principe, tum à Beroaldo Friſiorum rege: fit impetus in Dagobertum, qui, profligatis copijs ſuis, in fugam verſus capitur, captus ad Friſici exercitus imperatorem Yglonem Galamanū adducitur; nam Beroaldus iam ſenex ipſe non aderat, & alioqui iuuenes cum iuuenibus committē-

dos iu-

dos iudicabat, præſertim cùm Francorum vires hactenus non metueret. Galamanus autem, qui mãdatum à rege ſuo habebat, ne iuuenem regem (ſi fortè poſſet) occideret, aut etiam captiuum detineret; ſed aliquo ludibrio affectum dimitteret, Dagoberto per patrẽ ſuum multa obteſtanti, partem comæ abraſit, eamque pileo cuiuſdam impoſuit, qui eam in ſignum victoriæ triumphabundus toti exercitui oſtentaret. Quo facto, comam vt erat Dagoberto reſtituit, addito mandato, vt patri manubias iſtas tranſmitteret, ipſe autem Friſios vlterius non laceſſeret, niſi grauiora pati vellet: patrem enim Dagoberti Clothariũ Friſij in viuis eſſe non credebant, ipſumque Dagobertum tanti non faciebant, vt maiori incommodo frenãdum ducerent. Dimiſſo igitur ad hunc modum Dagoberto, Friſiorum & Angriuariorum copiæ, vnde venerant reuerſæ ſunt. Dagobertus interea patrem infortunij ſui certiorem facit. Ille verò tanta filij contumelia intellecta (nec enim Frãcorum regi maior inferri poterat, quàm comæ detonſio) efferatus vindictam cogitat, quã ſe regia maieſtate ſalua omittere non poſſe arbitrabatur. Itaque contractis clam vndecunque copijs, in Friſiam ex improuiſo irrupit, vt imparatum Beroaldum opprimeret: Beroaldus tamen collectis ex ſuis, quos in tanta feſtinatione habere potuit, pedem cum hoſte contulit; & cùm Clotharium prȩſentem agnoſceret, acerbiſſimo eum dicterio perſtrinxit, ſua lingua dicens: Ah du alde ſchire bulle biſtu dir ſæ lm? hoc eſt, ah tu vetule incane taure ades tu ibi ipſe quo dicterio cum eo coniuncto, quod iam in Dagobertũ Clotharij filium cõpetebat, Beroaldus quadrigã conuiciorũ, quatenus in hominẽ cadere poterat, abſoluit;

Dagobertus à Friſijs contumelioſè tõſus.

Clotharius contumelia filij offenſus, vindictam cogitat.

Beroaldus Clothariũ dicterio perſtringit

illam inquam,quæ extat apud Poetam,qui dicit:
Turpe caput raſum,turpis ſine gramine campus,
Turpe ſenex miles,turpe ſenilis amor.
Caput enim raſum ea præſertim tẽpeſtate turpe omnibus hominibus,præcipuè autem Francorũ regibus erat;& militare etiã turpe in primis Clothario erat, qui filio Dagoberto iã regni habenas tradiderat,vt ipſe ſenectutem trãſigeret in ocio; ſenem autem libidine diſtendi vbiq; turpe,apud Friſios aũt turpiſsimum erat,qui non modò ſeueriſſimè eam puniebant,ſed etiam homines libidinoſos odioſo vocabulo tauros vocãt: Clothari⁹ autem, vt & Dagobertus,libidinis vulgo etiam tum notabatur;vt hæc in Clotharium, eiusq; filium Dagobertũ dignè torta viderentur.Beroaldus igitur ſimul cũ dictoClothariũ aggreſſus eſt, & ſenex cũ ſene pro viribus acriter diuq; dimicat,donec Clothario vulnerato,ex Francis quiſpiam Beroaldum ſagitta in pectus adacta proſterneret;cui mortuo caput amputari, & haſtæ infixũ omnium oculis exponi Clotharius iuſſit.Quo conſpecto Friſiorũ animi collapſi,victoriã inita fuga Clothario ceſſerunt: ea Franci per triduũ crudeliter vſi ſunt,ferro flammisq; omnia vaſtantes,nulliq; maſculo parcentes,qui gladij Clothariani menſuram excederet.Accidit hic conflictus in ea parte Friſiæ, quæ Veſtergoa dicitur, prope pagum Englum,quẽ veteres Angli illic condiderunt,qui primo prælio contra Britones commiſſo,quo Horſus occubuit,Britannia expulſi, Hengiſtum ſecuti,illic ſedes fixerant; qui tum ob vicinitatem furentis exercitus hoſtilis primũ impetum vindictæ Frãcicæ exceperunt,vt ſupra declarauimus.

Beroaldi finis.

Victoria Francica.

Sigardi fortuna.

Sigardus his rebus auditis,nihil dubitans quin & ſi-

& ſibi periculum immineret, ad bellum ſe parat, Friſiorum præfectum Iburgenſem & Suſatenſem ad fidem & fortitudinem per literas exſuſcitat; ex Friſia primùm quos habere potuit, tum profugos, tum vicinos Veſualiæ finibus, qua Friſiam attingit tuendis imponit; Vinulos Veſualorum congentiles, & ſibi cōfœderatos cum Thuringis Francorum tum ſubditis immittit, vt Clotharij impetum retunderet; ipſe Angriuariam & interiorem Veſualiam validiori exercitu cuſtodit, vt quocunque belli pondus inclinaret, ipſe mox ferre ſuppetias poſſet.

Clotharius interea rebus ex animi ſententia per Friſiā compoſitis, alterum exercitū, quem recens per Dagobertum in Francia conſcripſerat, Rheno trāſmiſſo, eodem duce rectà in Veſualiam dirigit, vt Suſatenſe & Iburgenſe præſidiū occuparet: ac Suſatēſe quidē Dagobertus vi expugnauit; Iburgenſe verò mox deditione cepit; cum altero exercitu, quem ipſe duxit ex Friſia, per continentem rectà in Veſualiam contendit, ac Friſijs illic diſsipatis, ipſum Sigardū petit. Sigardus animaduertens ſe vndiq; circum cinctū eſſe, nec vllā ſpem ſupereſſe vel ſubſidij vel effugij, vtriſque Frācorum copijs coniunctis, ſe etiam & ſua Clothario dedidit. Clotharius igitur Veſualia & Angriuaria pro arbitrio ſuo diſpoſita, Viſurgin traijcit, & ſuis copijs cum Saxonicis coniunctis, Vinulos terra Brunſuicenſi pellit, & in eā Saxones armata manu introducit; quę ex hoc tempore Saxonia dici cepit, obliterato paulatim nomine Oſualiæ, quod ad Carolū Magnum tamen vſq; durauit, vt ex Francorum annalibus apparet.

Veſualia ſubacta.

Saxones in terram Brunſuicēſem intro-ducti à Francis, Vinulis eiectis.

Patefactis igitur ad hunc modum fontibus, ex quibus ſcaturiuit error de Saxonum nomine in

Veſ-

Veſualia vſurpato, cæteriſq; conſideratis, quæ de Saxonũ ſedibus antea diſputauimus, ſole clarius apparet Saxones in Veſualia neque ab initio fuiſſe indigenas, neque ad Carolum vſque fuiſſe aduenas, vtpote qui hactenus ibi ſedes nullas habuerunt. Ex quo patet error B. Rhenani, qui ſcripſit Saxones Veſualiam Francis relinquentibus occupaſſe; Franci enim per Clotharium demum Veſualia potiti ſunt, eamq; Sigardo feudali, hoc eſt, eodem iure reliquerunt, quo eam antea à Friſijs habuerat, quam & annis 58. tenuit. Cuius poſteri, tametſi Francis poſtea Friſijs inſtigantibus rebellarint, id fecerunt, non quod Friſijs, nedum Saxonibus ſubeſſe, ſed quod à Francis liberari vellent: Friſij enim & Veſuali & Angriuarij in hoc confœderati erant, vt communi opera commune Francorum iugum excuterent, ideoque Saxones, quod Francis confœderati eſſent, non minus oderant, quàm Francos ipſos.

Erronea diuiſio Saxoniæ.

Rectè igitur Sabellicus Saxoniam ad Occidẽtem Viſurgi terminauit; & proinde erroneam eſſe ſequitur tripartitam illam Saxoniæ diuiſionem apud Vitekindum, Aimoinum & Vrſpergẽſem, qua diſtribuitur in tres gentes præcipuas, in Oſualos, & Veſualos, & Angarios: Soli enim Oſuali in hac diſtributione Saxones ſunt, qui ad Orientem Viſurgis degunt: Veſuali verò & Angriuarij, qui ad Occidentem Viſurgis habitant, Saxones non ſunt; quia Saxones vltra Viſurgin ſedes non habuerunt, vt ſupra demonſtrauimus. Hinc & illud ſequitur: Quatuor iſtos Epiſcopatꝰ, quos Carolus apud Veſualos & Angriuarios conſtituit, ad Saxoniam non pertinere, & proinde Veſualos neque prima occupatione, neque Iuriſdictionis prorogatione, neque Epiſcopatus denique

que deſcriptione, Saxones haberi poſſe; vt interim de Monaſterienſi Epiſcopatu taceamus, qui Friſiæ adſcriptus eſt, vt ex fundatione Caroli & bulla Gregorij plenius in Friſiæ noſtræ deſcriptione declarabimus. Quod ſi nunc præter hoſce tres, etiam quartum ordinem recentiores genti Saxonicæ colligunt ex Circulis Germanicis, hi meminiſſe debent, non omnes gentes, vel origine, vel Iurisdictione, vel Diocœſi eſſe Saxones, quæ ad Circulum Saxonicum pertinent: Cùm huiuſmodi Circuli non alio fundamento nitantur, quàm libero conſenſu eorum, qui in cõmunem ſocietatem cõfœderati ſunt: qualis etiam inter diuerſiſſimas nationes cõtrahi poteſt contra cõmunem hoſtem, qui cõmune inferat periculum.

Itaque ſi Veſuali non volunt Saxones appellari, quia ſe nec parentes, nec filios Saxonum eſſe agnoſcunt, non ideo ſuperbiæ inſimulandi, ſed generoſitatis potius laudandi ſunt: cùm Veſualici nominis conſeruatio ipſis conſeruatæ libertatis æternam laudem præſtet; Saxonici nominis admiſſio congentilibus ipſorum Oſualis admiſſæ ſeruitutis perpetuum opprobrium infligat.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE

DE ANTIQVITATE FRISIORVM LIBER TERTIVS.

Capvt Primvm.

QVOD SAXONES FVERINT MAcedonici exercitus reliquiæ.

QVod igitur Saxones fuerint Macedonici exercitus reliquiæ, non friuolæ rationes arguere vidētur. Primùm enim author Chronici Germanici, quod apud Petrum Scoffe-rum excuſum eſt Moguntiæ anno 1482. teſtatur, Saxones, antequam in Germania radices egiſſent, vocatos fuiſſe Macedones: teſtantur deinde annales Friſiorum, Saxones militaſſe Alexandro Magno, & eo mortuo veniſſe in Germaniam: Quin & in ipſa Saxonia, ipſo etiam atteſtante Crantzio,[a] communis fuit hæc omnium opinio vſque ad ætatem eius. Id etiam traditur manifeſtè in Speculo Saxonum; teſtatur & huic Albertus Stadenſis, Vitekindus Saxo; teſtatur Vernerus Roleuinck, & is, quem ipſe citat, Ioannes de Eſſendia, & Henricus de Eruordia; & inter Gallicos ſcriptores Sigebertus Gemblacenſis; vt & extranei & domeſtici teſtes coniunctim huc colliment ſimul: vt flocci faciendus ſit Crantzius, qui rationes veras aſſerti ſui ipſe non adducit, & temere interim authoritates tantas reijcit, à qui-

Saxones Macedones dicti.

a *in proœmio Saxō.*

à quibus certè diſcedere non debuit, niſi ſolidiſſimis argumentis & meridiana luce clarioribus inſtructus;cùm ea non recens aut nuper nata, ſed multis ſæculis conſenſu publico recepta & inueterata,& à maioribus per manus ad poſteros continua ſucceſſione tranſmiſſa fuerit,ſicuti colligitur ex vetuſtiſſimis Saxonum monumentis, quæ publicata omniũ manibus teruntur. Proinde admiranda eſt eorum incogitantia,qui Crantzium, non ponderatis eius argumentis,tam temerè Vitekindo ac alijs ſcriptoribus anteponunt,pręſertim cùm ſtultum Crantzij propoſitum eos latere nõ poſſit,qui Saxones indigenas eſſe docere nititur,& ad hoc manifeſtis figmẽtis ipſe vtitur. Nec video quid abſurdi in eo ſit,ſi quis cõmunem ſcribentiũ traditionem ſecutus,dicat Saxones eſſe reliquias Macedonici exercitus, quem toto terrarum orbe,poſt Alexandri mortem diſperſum eſſe conſtat;cùm & Antyriũ referant reliquias eiuſdẽ exercitus per mare Baltheum nauigio ex Scythia in eum terræ tractum deduxiſſe, vbi Megalopolin græca lingua appellatam ciuitatem condidit, quam Germani Mechelburgũ nominant, quibus & Lazius atteſtatur lib.12. de migrat.gent.& Hieronymus Hemminges.

CAPVT SECVNDVM.

PERTEXITVR RELIQVA DE FRIſone hiſtoria ex archiuis Friſiorum.

NOn obſtãtibus igitur nobis iſtis argumẽtis Crãtzianis,quæ perſpicuè cõfutauimus, & ſuffragantibus ijs,quæ contra eũ aliũde produximus,in ſentẽtia noſtra perſiſtimus,qua rẽ geſtam aſſeueramus, & fabulam eſſe negamus, quam de Fri-

Friſone, Saxone, & Brunone ſupra poſuimus: Ideoque ſeparatim de Friſone iam porrò dicemus, vt lector in coniuncta cauſa videat, etiam de cæteris quid veritati conſonet. Proponemus autem eius hiſtoriam ſummatim, quam M. Aluinus Snecanus, ex Rithmis Friſicis copioſius proſequutus eſt: quanquam & huius opus, à diuerſis diuerſimodè deſcriptum, non vbique integrum eſt, cùm alij alia, vt fit, vel addiderint, vel detraxerint; ita vt cum iudicio deligendum & tenendum id ſit, in quo plurima exempla conſonant. Eorum ſumma hæc eſt: In India prouinciam eſſe dicit nomine Freſiam, cuius gubernationem Patriarcha Sem filius Noæ commiſerit Reu, ſiue Ragau, qui ab ipſo in deſcēdenti linea ſextus fuit: hunc autem, cùm præter Saruch proauū Abrahæ, quatuor alios adhuc filios haberet, his ipſis eiuſdem prouinciæ habenas per manus tradidiſſe, quas & ipſi viciſſim continua ſucceſſione trāſmiſerint ad filios ac nepotes ſuos, donec tandem per tyrannidem cuiuſdam oppreſſa Repub. legitimi hæredes regni ſucceſſione priuarentur. Eo igitur continua graſſatione prouinciam affligente, cùm populus ad inopiam redactus, oneri eſſe cepiſſet, oſtraciſmi quadam ſpecie delecta iuuentus veluti deceſſu ſuo patriam ſubleuatura, nouas ſedes quærere iuſſa eſt: cui honoris gratia præfecti ſunt, a quibus ob auiti regni hæreditarium ius plurimum periculi fore videbatur, Friſo, Saxo, & Bruno, qui proinde ſe cum his copijs ad Alexandrum Magnum contulerunt, vt ſub eo ſtipendia mererent; à quo & perquàm humaniter excepti, & ad montes Emodios poſtea in præſidijs contra Indos collocati ſunt. Addūtur etiam huic hiſtoriæ circumſtantiæ ſuæ. Vocat Sem Melchiſe-

Origo Friſiorum ab Indis.

Freſia.

Oſtraciſmus Indorum.

Colonia Indorum.

Friſo, Saxo & Bruno, coloniæ ducendæ præfecti ad Alexandrum Magnum abeunt militatum.

chiſedech & regem Salem, & ſacerdotem à Deo electum,& qui Abrahæ benedixerit, poſteritati Ragau etiam & prouinciæ eius benedixerit, vnde & prouincia Benedicta Freſia dicta ſit; Ragauo etiam in perpetuę libertatis ac regiæ dignitatis authoramentum coronam dederit chalibiã, & vexillũ rubrum,miræ virtutis vtrunque;quod & Friſo à maioribus ſuis per manus acceptum, cùm diſcederet iſtinc extulerit, & in Friſia ſua noua poſteris ſuis tradiderit;coronam hanc Friſijs extorſiſſe tandem regem Daniæ;vexillum verò, quò cælari poſſet, terra multis ſeculis obrutum latuiſſe, tandemque refoſſum datũ eſſe Magno Fortemano,qui huius protectione Friſios,vt capitaneus,ſub Carolo Magno Romam deduxit, eamq; captam Carolo Magno tradiderit. De corona quidẽ ac vexillo ſiue vera,ſiue falſa ſint,(nihil enim hic diſcutio, cùm de his in vita Magni commodius dictum ſit)poſteriori ſæculo attexta videntur; quamquam ea quæ Tacitus de templo Tamfane ſatis obſcurè tradidit, aliquã cum hiiſce cognationem habere videantur.In reliquis autem cõfirmandis, gloſſator citat Moyſen quãtum ad genealogiam Ragaui ſpectat, quãtum verò ad reliqua pertinet Patroclem allegat.Ex Moyſe quidem ſatis conſtat de integritate genealogiæ vſque ad Ragauum,qui Semo filium Arphaxadum,huic Salemum, huic Hebrum,huic Phalegũ,huic Rauagum hũc noſtrum attribuit,Geneſ. ca. 11.Patroclemaũt mihi videre hactenus non cõtigit;eũ Strabo inter Indicarũ rerũ ſcriptores aliquoties allegat,ac magni facit,& in Indię deſcriptione potiſſimum ſequitur li. 15.quẽadmodum & Plin.li. 6.c. 17. vbi hunc Patroclẽ ait fuiſſe claſſis pfectũ, ſub Seleuco & Antiocho,mox poſt Alexã-

Sem Melchiſedech.

Benedicta Freſia.

Ragau rex coronam & vexillũ accipit.

Vexillum hoc Friſij hactenus vocãt Magnus fane.

Hiſtoriæ teſtes.

Genealogia Semi.

Patrocles quis fuerit.

dri mortē, in circūnauigatione Hircani maris & Caſpij. Oportunum quidem huius authoris teſtimonium rebus noſtris futurum erat, ſi extaret, qui rem tam memorabilē de migratione horum ducum ignorare non potuit, cùm nuper admodum geſta recenti adhuc memoria ſub aduētum ipſius in India flagraret; præſertim cùm Zeleucus aduerſus Sadrocottum Indiæ regem diu bellum geſſerit, qui ab Alexandro Magno victus, poſt eius mortem excutere iugum, & recuperare libertatem cupiens, præſidiarios duces ab Alexandro relictos occiderat, vt teſtatur P. Oroſius lib. 3. cap. 23.

Sadrocottus Indorū rex.

Capvt Tertivm.

Qvibvs argvmentis historia ſuperioris veritas comprobetur.

Iam igitur, quod nulli vitio vertendum eſt, in patrijs hiſtorijs conſenſu populari & domeſticis teſtimonijs vtemur, quibus & ſcriptorū externorum teſtimonia, & cōiecturas non abſurdas aliunde addemus. Primùm enim hoc omniū pene gentium commune obliuionis amuletum antiquiſsimum eſſe conſtat, vt maiorum ſuorum res præclarè geſtas cantilenis patrijs celebrarēt. Id de Aegyptijs teſtatur preter alios Plutarchus; de Græcis Homerus, qui in cōuiuijs eas ab Heroibus cani ſolitas eſſe ſcribit; ipſum quinetiā Homeri opus quantū eſt, nihil aliud eſſe quàm centones quoſdam fruſtillatim ex huiuſmodi cantiunculis (quas ille oſtiatim mendicans ad lyram ipſe cantitârat) ab eruditis collectos & cōſutos, memo-

Commune omnium gentium obliuionis amuletum Rythmi patrij.

memoriæ proditum eſt, vt & hos ipſos, & horum ſimiles, etiam florente & literis iam exculta Græcia, more maiorum præſtantiſſimos quoſque in ſympoſijs viciſſim cantitaſſe: vnde & Themiſtoclem, cùm recuſaſſet lyram, habitum eſſe indoctiorem. Apud Romanos veteres eandem viguiſſe conſuetudinem, teſtatur Cicero, qui; Vtinam " (inquit) extarent illa carmina, quæ multis ſæcu- " lis ante ſuam ætatem in epulis eſſe cantitata à ſin- " gulis conuiuis, de clarorum virorum laudibus, " in originibus ſcriptum reliquit Cato. De Germanis idem refert Cornelius Tacitus; de Gothis Iornandes; de Danis Saxo Grammaticus, qui totum ferè opus ſuum ex huiuſmodi cantionibus compoſuit. Apud Friſios hunc itidem fuiſſe morem, cùm hæc ipſa quæ allegamus Rythmica à maioribus nobis per manus tradita, tum etiam præſentia veteris conſuetudinis veſtigia declarant: & in vita Sancti Ludgeri legimus, Bernlefum quendam eo nomine in Holüerdia Friſiæ pago habitantem à populo viro ſancto fuiſſe commendatum, quod regum res geſtas ſcitè caneret, quem S. Ludgerus malè habitum priſtinæ ſanitati reſtituerit: & quod apoſtata Iulianus in Miſopogone ſuo barbaris trans Rhenũ habitantibus exprobrat, agreſtia eorũ carmina ſimilia clangoribus auium aſperè clamantiũ, id aliqui nõ tam de Germanis in genere, quã ſpecialiter de Friſijs intelligendum putant; quorum linguam inter Germanicas aſperrimam eſſe conſtat. Quanti hoc monumentorũ genus faciendũ ſit, declarat Corn. Tacit⁹, qui his tantũ fideiadhibuit, vt ad declarandã Germanorũ originẽ nulla alia ſcriptorum teſtimonia requiſierit. Car. Magnus certè in huiuſmodi priſcis cãtilenis colligẽ-

diſ,deſcribendis, & memoriæ mandandis multum operæ impendit: quas & Maximilianum Imperatorem eius nominis primum maximi feciſſe teſtatur B. Rhenanus. Porrò autem Rythmis hiſce patrijs accedit, qui sẽper fuit, hactenusq́ue durat apud nos vnanimis omnium cõſenſus, quo vulgo creditur fratres hoſce tres ex India ꝓfectos in hiſce terris gentes nominibꝰ ſuis conſonas fundaſſe: neq; temere is cõuellendus eſt, cùm inueteratam hanc opinionem poſteros à maioribus ſuis per manus accepiſſe conſentaneũ ſit, quibus nihil gratius eſſe ſolet maiorũ ſuorũ recordatione. Huic populari conſenſui ſuffragantur omnes hiſtoriographi noſtrates, & nominatim, quos ego quidẽ viderim, Andreas Cornelius, qui Solconẽ Fortemannũ, Occonẽ Scherlẽſem, & Io. Vlieterpiũ nobis refert; tũ Vorperus Thaborita, Suffridus Sterckenburgius, Cornelius Kempius, Sibrandus Leo, Folkerus Simonis, & nonnulli alij, qui tractatus quoſdã particulares conſcripſerunt; qui omnes velut in vno ludo edocti, concordi ſubſcriptione vulgatam opinionem conſtabiliunt ſine vllius contradictione. His accedunt in communi cauſa & Saxonum, vt & Gallorum ſuffragia, de quibus ſupradictum eſt.

Conſenſus vnanimis vulgi.

Conſenſus hiſtoriographorũ indigenarum.

Externorum ſcriptorum ſuffragia.

CAPVT QVARTVM.

QVAE FVERINT ANTIQVITATVM conſeruandarum firmamenta Friſijs præ cæteris Germanis olim peculiaria.

Friſij quomodo ſuas antiquitates ab interitu præſeruauerint.

ET ne quis ideo hęc minꝰ vera eſſe putet, quod Friſia bellis tam crebris afflictã, inundationibus tam frequentibus oppreſſa, minus ido-

idonea fuiſſe videatur, ad antiquitates huiuſmodi ab interitu præſeruandas, cùm in vicinis gentibus, etiamſi mediterraneis, nihil huiuſmodi appareat; ſciendum eſt hac in parte Friſios reliquis Germanis longè præcelluiſſe. Ipſe enim Friſo, gentis noſtræ conditor, ſicuti princeps eruditus & Græcanicis diſciplinis egregiè excultus fuit, ita etiã harum ſtudium poſteris ſuis decreto publico commendauit: Inſtituit enim more Græcorum certis in locis Gymnaſia, in quibus iuuentus ſtatutis diebus tum literarijs, tum etiam militaribus exercitijs excoleretur, ſic vt & mens & manus adoleſcentum à teneris annis exercitata, tam in bello quàm in pace fructum Rei publ. dignum adferre poſſet, id quod in Germania tota nuſquam alibi ante Carolum Magnum factum eſſe comperio. Ac primum quidem Gymnaſium Stauriæ prope templum Stauonis conſtituit; in ipſo templo Bibliothecam antiquitatibus auitis & actis regni cuſtodiendis dedicauit: poſteri eius hanc Bibliothecam ſollicitè ſemper nouis auctarijs locupletarunt; & ſucceſſu temporis in Dockenburgo, VVardena, & alijs nonnullis per Friſiam locis Gymnaſia erexerunt, certisque præmijs & pœnis ſubditos extimularunt, vt filios ſuos diligenter in his exerceri procurarent. Qua conſuetudine ob aſſiduitatem quodammodo in naturam verſa factum eſt, vt etiam in hunc vſque diem, quamuis decreto iſto iam longa deſuetudine obliterato, maneat nihilominus huic genti ſingulare quoddam erga literas ſtudium, ita vt nullus in Friſia pagus fere tam frigidus ſit, qui non peculiarem quendam habeat ludimagiſtrum ſuum; nemo priuatus fere ſit tam tenuis, qui liberos ſuos lite-

Friſo princeps eruditus, ſtudijs literarum & armorum gymnaſia deſtinat.

Primum gymnaſiũ in Friſia Stauriæ à Friſone cõſtitutum. Bibliotheca in Friſia.

Propẽſum in Friſijs literarum ſtudium.

rarum prorſus rudes eſſe patiatur; imò ſi aliunde non ſuppetat, oſtiatim corrogare non multo malit, quod erudiendis his impendat, quàm videri liberis defuiſſe negligentia ſua: nam qui aliqua ſaltem fortuna ſunt, etiam ad mediocritatem eruditionis perducunt ſuos, etiamſi fortè ſtiuæ deſtinarint. Olim certè ſub principibus, ducibus ac regibus Friſiorum, dum in vigore ſuo ſtatutum eſſet, æmulatione quadam iuuentus in his Gymnaſijs flagrabat: præmia enim his proponebantur; literaria quidem, tabulæ ac pugillares, ac cera linumque; militaria verò, galeæ, lanceæ, gladij, arcus, reliquaque armaturæ genera conſueta; quibus generoſi iuuenum animi ad ſtudium rei literariæ ac militaris accendi ſolent. Principum deinde ac Magnatum filij in hiſce liberaliter exculti, foras mittebãtur ad principes exteros, Græcos, Romanos, Venetos, Britannos, Danos, Francos, Auſtraſios (quod ſuis locis melius declarabimus) vt militiæ tyrocinium ſub his facerent. Quibus inde cum laude reuerſis id præmij erat, vt ipſi ad politicas & militares dignitates præ cæteris haberentur cõmendati, & elogia eorum, quæ apud exteros virtute ſua meruerant, vnà cum hiſtoria rerum ab ipſis geſtarum in publica Bibliotheca reponerentur; quod ad memoriam ſplendoremque antiquarum familiarum conſeruandum in primis conducebat. Huic decreto inſtitutum aliud additum erat, de conſeruanda lingua patria: Animaduertebant enim prudentiſsimi principes actis publicis obliuionem non aliunde præſentiorem imminere, quàm ex ignorantia linguæ patriæ: hanc porrò ignorantiam excludi commodiſſimè poſſe, ſi in ſua integritate lingua

Diſciplina Gymnaſiorum.

Præmia exercitiorũ.

Inſtitutum Friſiorum de conſeruanda memoria antiquitatis.

Inſtitutũ Friſiorum de conſeruanda lingua.

Friſica

Friſica purè conſeruaretur; cùm omnibus linguis perniciem adferat mixtura vocum exoticarum. Rhetran igitur patriam, hoc eſt, ſyntagma quoddam ex vocibus Friſicis aſperrima literarum iunctura compoſitis fabricatum ediderunt, quo non modò ſuorum linguam acuebant, ſed & aduenas ab indigenis diſcernebant: Nam qui hanc Rhetram pronunciare nequibat, vt extraneus habebatur, nec vltra certum tempus in Friſia verſari poterat, ne Friſicam linguam ſua inficeret ac deprauaret. Vmbram huius Rhetræ, vt & vſum, propius explicat in annalibus ſuis Kempo à Martena, & Cornelius Kempius noſter libro primo cap. decimo octauo. Effectus is fuit, quem maiores noſtri voluerunt, hoc eſt, vt in vigore ſuo lingua durauerit, & proinde nobis actorũ veterum intelligentiam præbuerit, & nó modò hominum priuatorum, ſed etiam familiarũ nomina primitiua conſeruarit, quorum iudicio ad altiſſimarum antiquitatum ſacraria penetramus. His omnibus memorabile adiumentum conſeruandæ vetuſtati addidit inſignis vir, qui primus in Friſia regium diadema vſurpauit, Richoldus Vffo, qui anno Chriſti 419. regni ſui 10. in Regia Stauriẽſi extruxit inſigne palatium, in quo omnes Principes ac Duces, qui à primo inde gentis noſtræ conditore Friſone ad ætatem vſque ſuam Friſiæ præfuerant, continuo ordine depingi curauit, expreſſis vbique temporibus, quibus quiſque eorum vel cepiſſet, vel deſijſſet. His reges octo, qui illum ad Carolum Magnum vſq; ſubſecuti ſunt, ſinguli prædeceſſores ſuos pari cura addiderũt; ſic vt à Friſone, qui anno ante natũ Chriſtũ 313. in has terras

Rhetra Friſiorũ.

venit,ad Carolum vſque Magnum Friſijs originum ſuarum ratio, non modò ex archiuis in publica Bibliotheca aſſeruatis, ſed etiam ex pictura omnium oculis expoſita, per continuos annos mille centum & tredecim calculo indubitato conſtet: qui ſi porrò ad ætatem hanc noſtram vſque producatur,annos mille nongentos & vnum continebit,omneſque omnium nationum calculos in Germania, ni fallor, longè ſuperabit. Ex iſtis igitur tum ſcripturæ, tum picturæ monumentis, hiſtoriographi noſtri ſua mutuati ſunt: qui perinde ſicut Rythmis iſtis & cantilenis patrijs conſonant, ita Friſonem cum fratribus ſuis iſtis ſupradictis ex Freſia Indica adAlexandrũ; ab Alexandro ad montes Emodios;ab iſtis in patriam rurſus; & inde tandem in Friſiam Germanicam veniſſe commemorant.

CAPVT QVINTVM.

FRISONIS FRATRES FVISSE BRVnonem & Saxonem pluribus argumentis adſtruitur.

QVod igitur Bruno & Saxo Friſonis fratres fuerint, equidem ſalua alijs ſententia ſua hiſtorica fide credo. Primùm,quia maiores noſtri id ſuis annalibus memoriæ prodiderunt; quorum vt certa ſcientia fuit, ita nihil inter erat gentibus alienis & exteris falſos effingere conditores. Deinde, quod comperiam ſynceros atque incorruptos rerum Saxonicarũ ſcriptores, quos ſupra allegauimus, cum noſtris conſentire in tempore & loco aduentus eorum. Tertiò, quod ab initio gentes haſce vnius lingua fuiſſe comperiam: Nam quod Crantzius dicere videtur *a* antiquiſsimam Saxonum linguam eſſe Brandeburgenſem,

a cap.1. li. Saxon.

genſem, ſine ratione dicit, vt pleraque alia ſua. Nos id, quod hic aſſerimus, ſolidiſsimis argumentis demonſtramus, vbi de Friſiorum lingua ex profeſſo agimus *a*. Quartò, quod, vt ex eadem patria profecti, eadem Reip. forma in principio vſi ſint. Hæc qualis fuerit ante Carolum Magnum Albertus Crantzius nobis deſcribit hiſce verbis *b*: Ferunt (inquit) ante regis aduentum apud Saxones prouinciam adminiſtrari ſolitam per duodecim proceres alternis vicibus: quem verò grãde bellum in adminiſtratione deprehenderat, eum regem habuêre ad finem vſque belli. Finito autem bello redibat in ius priſtinũm: reddita adminiſtratione cõparibus ſuis. Hęc Crantzius. Quibus aſtipulatur Beda, *c* Petrus Albinus, & Varnerus Roleuinck, qui paulo vlterius deſcendens: Regem (inquit *d*) antiqui Saxones non habebant, ſed per pagos ſatrapas conſtitutos, moriſq; erat, vt ſemel in anno cõſilium generale agerẽt in media Saxonia, iuxta flumen Veſeram, ad locum qui dicitur Marcklo: ſolebant ibi omnes ſatrapæ in vnum conuenire, ex pagiſque ſingulis duodecim electi nobiles, totidem quoque liberi, & totidem laici renouabant ibi leges, pręcipuas cauſas adiudicabant, & quod per annum eſſent acturi, ſiue in bello, ſiue in pace, communi decreto ſtatuebant. Hæc ille. In quibus & tempus, & locum, & cauſam, rebus præſentibus rectè accommodauit, extra querelam futurus, ſi non ex ſingulis, ſed ex omnibus pagis magiſtratum hunc ordinarium congregaſſet, & laicorum nomen omiſiſſet; cùm ante Carolum Magnũ omnes tum nobiles, tum liberi vtiq; ibi laici eſſent. Hæc fere forma Reipub. Friſijs à conditore ſuo magna cura ac diligentia præſcripta & cõmendata fuit; ſed

a *in opere de lingua Friſiorũ.*

Friſij & Saxones eadem Reipub. forma antiquitus vſi.

b *Saxon. lib. 2. c. 22.*

c *lib. 5. ca. 11. de hiſt. Eccleſiaſt.*

d *partit. 1. cap 1. de laud. anti. Saxon.*

Friſiorum antiqua reſpub.

ea vti per Danos & alios quoſdam exteros diu non potuerunt: à quibus ne opprimerentur, coacti ſunt Monarchiam ſubire, vt ſub vnius defenſione perpetua ſubditi in tuto eſſent.

A Carolo Magno tandem impetrarunt, vt ad primitiuam illam Reipub. formam redire poſſent; qua vſi ſunt deinceps vſque ad Anarchiam, qua factioſi mutuis latrocinijs fere centum annis ante Caroli Quinti ætatem inter ſe graſſati ſunt, oppreſſa Republ. & legibus: quod intelligi peculiariter de illis tantùm Friſijs hic volumus, qui ſedes habent inter Amiſin & mare Hollandicum; nam cæteri vtrinque ante Carolum Quintum ab hac forma dimoti ſunt. Saxonibus diuerſum accidit, qui cùm ad Carolum Magnum vſque primæuam Reipublicæ formam conſeruaſſent, illo authore amiſerunt; erexit enim per Saxoniam diuerſis in locis principes, qui ſinguli in ſuis ditionibus veluti Monarchę quidem conſtituti, æqualitate primitiua cōtempta, certatim id egerunt, vt æquales ſuos quàm maximè præcellerent. Hinc igitur euenit, vt poſt Carolum Magnum apud Saxones demum Barones, Comites, Duces auditi ſint, qui ante hunc principem nulli fuerant; cùm apud eos Iſotimia vigeret, qua omnes nobiles æquali dignitate pollebant, etiamſi alij alijs ditiores eſſent. Diuerſum apud Friſios euenit, vbi cùm ad Carolum Magnum vſque Principes, Duces ac Reges fuiſſent, poſt eum conſtituta Iſotimia, omnes nobiles eiuſdem dignitatis hactenus fuerunt; neque gradus vllus vltra equeſtrem admittitur, vt ambitio euitetur, quæ dum priuatæ potentiæ ſtudet, Rempub. opprimit; & in hoc gloriantur Friſij, ſibi per Carolum Magnum reſtitutam & ratificatam eſſe priſtinam

Saxonum Ariſtocratia in Monarchiam verſa.

Friſiorum Monarchia in Ariſtocratiã verſa.

ſtinam illam & verè Friſicam libertatem à Friſone primo conditore traditam & commiſſam, quam, vt ſupra attigimus, ita commodiori loco plenius explicabimus. Quinto loco ſunt in ſignia vetera Friſiorum & Saxonum, quæ vt maiores eorum aduenæ pacto ab indigenis conſecuti ſunt, ita & aduentum eorum & officium coniunctum fuiſſe concordia ſua clariſsimè declarant. Quam rem vtique vt præ cæteris ſcitu dignam & memorabilem, cùm Crantzius illuſtrandæ ſuæ patriæ gratia omni diligentia celebrare deberet, data opera obſcurauit & ſuppreſsit, non alia de cauſa, vt videtur, quàm quod huius occaſione & aduenas eſſe Saxones, & ſedes antiquas Iutiæ vicinas habuiſſe, & Friſiorum conſanguineos eſſe agnoſcere deberet. Friſoni data ſunt inſignia, quæ ipſi poſteriſque eius Oceani Germanici tutelam in omne æuum commiſſam eſſe declararent, vt ab inundationibus maris ac piratis horum obiectu gentes interiores tutæ eſſent: Scutum igitur cæruleum, tres argenteæ trabes in obliquum deſuper à dextera ad ſiniſtram deductæ erant, inter haſce trabes paluſtris herbæ nympheæ rubra folia ſeptem collocata ſunt, vt inter dexteram trabem & mediam quatuor, inter mediam & ſiniſtram tria folia conſpiciantur. Hæc ſunt antiquiſſima Friſiorum inſignia, quibus Principes, Duces ac Reges Friſiorum ſemper vſi ſunt, ſicuti Cappidus Staurienſis atteſtatur; in quibus ſeptenarius foliorum numerus ſeptem Zelandias ſiue inſulas ſignificat, ex quibus Friſia conſtat: reliquæ partes quid notent, in vita Friſonis diligenter explicabimus. Poſt obitum tamen Friſonis

Friſiorum primitiua libertas per Carolū reſtituta.

Inſignia Friſiorum ac Saxonū arguunt gentiū cognationem.

Friſonis inſignia.

ſonis ſcuto trabs vna, folia quatuor adiecta ſunt, trabium ſitu in contrarium acto; qua figura nos ea tum in vitreis templorum feneſtris, tum etiam in antiquis Heraldorum libris, qui paſſim venales extant, depicta vidimus: folia Nympheæ cùm humanis cordibus admodum ſimilia videantur, à plerisque myſterium ignorantibus etiam corda eſſe putantur. Regum deinceps ſucceſſione ſublata, mutata ſunt & gentis inſignia: ſcuto enim eodem reſeruato, fului leones duo à læua ad dexteram currentes, ſubiectis ſeptem teſſerulis, quæ ſupradictas Zelandias notent, recepti ſunt; quanquam Heraldorum libri pro leonibus leopardos habeant, exertis linguis anhelantes. Saxoni data ſunt inſignia, quæ Friſoni mutuam à tergo opem ſponderent, qua contra ingruentem à mediterraneis vim tutus foret; ſic vt harum duarum nationum ſubſidijs mutuis reliqua Germania maiorem ſolito tranquillitatem habere poſſet, cùm & ad arcendos retundendosque maris impetus plenius inſtructæ, & bello magis exercitatæ eſſent, quàm indigenæ. Scutũ igitur æquè cæruleũ Saxoni datum eſt, quod linea tranſuerſa à dextera ad ſiniſtram ducta medium diuidit; in inferiori parte ad dextram leo, ad ſiniſtram draco conſertis fermè rictibus placidè ſibi mutuo adſiſtunt: in ſuperiori parte aquila expanſis alis] volans vtrunque intuetur. Hæc ſunt antiquiſſima Saxonum inſignia, quæ & in Heraldorum libris, & in Chronicis Saxonum antiquis, & in Chronico Henrici Bunting, & alibi ſic depicta cernuntur; quibus & antiqui rerum Saxonicarum ſcriptores atteſtantur: Nam Videkindus Corbeienſis Monachus, qui vixit ſub

Saxonis inſignia.

Otto-

Ottone primo, circa annum Chriſti 900. & Al-
bertus Abbas Stadenſis, qui vixit circa annum
Chriſti 1256. vnnaimiter & velut vno ore idẽ præ
dicant, quod nos referimus. Quid ſingula in his
inſignibus ſignificent, illi quidem curioſius non
diſquirunt, ſummatim tamen & perfunctoriè
communem eorum finem indicant. Videkindus
de Hatthagato Saxonum duce ſuos aduerſus
Thuringos exſuſcitãte; hic (inquit *a*) accipiens ſi- a *Lib.* 1.
gnum, quod apud eos habebatur ſacrum, leonis «
atque draconis & deſuper aquilæ volantis inſi- «
gnitum effigie, quo oſtentaret fortitudinis atque «
prudentiæ, & earum rerum efficaciam, & motu «
corporis animi conſtantiã declarãs, ait, &c. Quæ «
Albertus Stadẽſis totidem fere verbis repetit ad
annum Chriſti 917. Crantzius, qui vtrunque hunc
authorem vidit, ſupplere debuerat, quod in his
ad præſentis myſterij intellectum deſiderabatur,
vt in explicanda tantæ antiquitatis ratione dili-
gentiam ſuam probaret patriæ, & exemplo ſuo
poſteros ad induſtriam conſimilem excitaret:
Atqui Crantzio longè alia mens eſt, qui non mo-
dò Saxonum, ſed & Brunuicenſium quoque inſi-
gnia diſsimulare, cælare, ſupprimere, & concul-
care mauult, quàm agnoſcere his aliquid eſſe
cum Friſijs commune. Itaq; ille de VVidekindo
Saxonum duce loquens: Armorum inſignia, (in- «
quit *b*) quæ militaribus (vt fit) ſignis præferebat, b *Saxon.*
pullum equinum habebant atrum: ſed placuit *lib.* 2. *cap.*
regi, poſtquam de tenebris gentilium errorum 24.
peruenit in lucem veritatis, vt candidum accipe- “
ret. Ea verò ſunt vetuſtiſsima Saxoniæ arma, ſæ- “
pius deinde demutata; vel leonibus ex Anglia “
allatis, per Henricum ducem cognomento Leo- “
nem: vel ſtratorijs in clypeo lignis, quæ rutæ ſer- “
tum

„ tum ex obliquo condecorat, per Bernhardum
„ prius comitem de Anehold, inde verò ſurroga-
„ tum Henrico Leoni in ducatum Saxoniæ, cùm il-
„ le per Fridericum primum ſolenni Imperij con-
„ uentu per ſententiam deponeretur. Hæc ille. Vbi lector Crantzij aſtutiam conſideret, qua ſupradictos authores prorſus diſsimulat, quaſi non viderit, vt ſyncerè in propoſito ſuo agere videatur: Deinde calliditatem eius animaduertat, qua velut in antiquitate patriæ non antea tradita, aſſerit antiquiſsima Saxonum inſignia fuiſſe pullum equinum: Poſtremò quàm verſutè recentiora his doceat ea eſſe, in quibus leo conſpicitur; cùm is ab Henrico demum Saxonum duce (vti dicit) qui Leonis cognomen habuit, aſſumptus ſit: hac enim techna ſuperiores iſtos ſcriptores tacitè confutat, & fidem, quam illis adimit, ſibi arrogat, vt improuidus & occupatus lector, ſi non Crantzio prorſus adſentiat, dubitare tamen cogatur, an iſtis fidendum ſit; cùm Crantzius vbique ſe ſtrenuum profiteatur fabularum euerſorem. Vt igitur diſcuſſis nebulis, quas Crantzius offudit, ſyncera maiorum veritas in lucem priſtinam reuocetur, Silenus hic aperiendus eſt. Itaque quod leo in Saxonum inſignia non primùm aſſumptus fuerit per ducem iſtum Henricum, vt Crantzius nugatur, ſed ab initio in his fuerit, vt maiores iſti tradunt, ex S. Methodio conſtare poteſt, qui ſcribit Saxones ſuo tempore leonem in ſuis numiſmatibus circumtuliſſe: Vixit autem Methodius ſub Decio & Valeriano Impp. circa annum Chriſti 255. multis vtique ſæculis antequam Videkindus, nedum Albertus Stadenſis naſceretur, ne quis eos fabulas potius, quàm rem geſtam nobis tradidiſſe ſuſpicetur.

ſpicetur, dum ſcribit, in vetuſtiſsimis Saxonum inſignibus fuiſſe leonem: eadem enim vel integrè, vel particulatim in numiſmatibus ſuis, quæ in inſignibus exprimere etiam hodie principes ſolent. Iam igitur cùm Videkindus non rex Saxonum, etiamſi hoc nomine à pleriſque celebretur, ſed vnus inter duodecim electos Saxoniæ ſatrapas fuerit, vt ipſe Crantzius declarat *a*, quo teſte Crantzius probat, Videkindum militaribus ſignibus communia, Saxoniæ inſignia prętuliſſe; aut ſi prætulit, qua ratione, quo authore negat hæc illa fuiſſe, quæ deſcribunt iſti veteres, Videkindus inquam Monachus, & Albertus Stadenſis. Secet nobis hunc nodum Crantzius; nihil quidem poſſet ille facilius, niſi hoc facto contra ipſum erumperet veritas: Nam vetera illa inſignia, quæ Videkindus & Albertus Stadenſis exhibent, cùm toti Saxoniæ communia eſſent, ſatrapæ iſti duodecim, vt & reliqui nobiles per Saxoniam, ex quibus hi eligebantur, ſinguli priuatim peculiaria ſua quædam inſignia habebant, quibus familiæ propriæ decora quiſque aſſereret; hoc enim veluti communi quodam gentium conſenſu apud omnes vbique populos omni ætate ſic vſurpatum deprehendimus.

a *Lib. 2. cap. 22. Saxon.*

Quocirca cùm Videkindus, ex duodecim Saxoniæ ſatrapis vnus in adminiſtratione tùm fuerit, vt Crantzius aſſerit, cùm Carolus Magnus Saxonibus bellum indiceret, & id proinde patriæ nomine aduerſus illum geſſerit, quis dubitat, quin, qui vice rex Saxonum fuerit, communia Saxonum inſignia illa, quæ veteres iſti tradunt, militaribus ſignis toto belli tempore prætulerit? Nam quo alio authoramento exercitum in of-

in officio contineret,quàm præferendis communis patriæ inſignibus, cuius defenſio ipſi legitimè commiſſa erat?Hoc qui verum eſſe fatetur, negare non poterit, eundem Videkindum à Carolo victum,finito bello communia illa Saxonũ inſignia depoſuiſſe: nã hoc etiam facturus erat, ſi maximè victoriam conſecutus eſſet;tum enim finito bello rediturus fuerat in ius priſtinum, reddita adminiſtratione comparibus ſuis,vt pau
a cap. 26. lo ante dixit a Crantzius. Occupata igitur à Carolo Saxonia,quo modo vetera illa inſignia,quæ Saxoniæ hactenus communia fuerant, ſibi reſeruaret Videkindus? à deuicta patria ſigna habere non potuit, quæ libertate amiſſa, etiam libertatis ipſa inſignia amiſerat; à victore Carolo nõ habuit,qui vt Saxoniam integram,ita & conſequentia ei inſignia ſibi reſeruauit.Sublata igitur per Carolum veteri illa Saxonum Repub. etiam libertas,& vnà cum libertate inſignia ſublata ſunt, quæ poſtea amplius vſitata non ſunt. Nam ſatrapæ,qui ea ætate per Saxoniam multi erant, peculiaria familiarum ſuarum inſignia tum porrò ſicut antea vſurparunt: Hæc enim Carolus nulli eripuiſſe legitur,cùm tamen Saxonia in prouinciã redacta,& hos ipſos in ſuis ſedibus conſtabiliret, & nonnullis comitatus etiam dignitatem conferret;nulli tamen vni integrum Saxoniæ principatum cõtulit,vt hac occaſione etiam vetera Saxonum inſignia ad quemcunque ex conſequenti deriuata dici poſsint.

Atque hæc quidem contra ſententiam Crantzij hoc modo ex præmiſsis conſequũtur, etiamſi Crantzio concedamus Vitekindum & Saxonem, & ex duodecim ſatrapis Saxonum vnum fuiſſe. Iam verò cùm Vitekindus Veſualus fuerit, aut ſaltem

ſaltē Veſualis confœderatus, vtpote Angriuarius, & proinde Saxonib' hoſtis, vt ſupra declarauimus; apud quos tum Carolum fugiens patria extorris agebat, quo modo ille in electorum 12 ſatraparum numero eſſe potuit? aut inſignia ſua Saxonibus præferre, quæ ſibi fugam exprobrarent, Saxonibus iuſtam deſperationem mouerēt? Itaque cùm certum ſit, Vitekindum Carolo plurimum exhibuiſſe negotij, neque Carolo plus inuidiæ mouere, neque Saxonibus plus fiduciæ conferre potuit, quàm præferendis armis Saxonum; cùm & Carolum pœnitere facti meritò poſſet, quod Vitekindum ſedibus ſuis expuliſſet, qui illi non modò Veſualiam, ſed & Saxoniam quoque redderet infeſtam; & Saxones animaduerterent, ſe ſub eius defenſione militare, quem & patrijs inſignibus ornatum eſſe, & Carolo nequaquam ſimulatum hoſtem fore viderent & crederent.

Vitekindus non Saxo fuit, ſed Veſualus, ſiue Angriuarius.

Cùm igitur Carolus Magnus Vitekindo in gratiam recepto, non niſi Angriam ſuam cum adiunctis auitis poſſeſsionibus permiſerit, vt & Crantzius, & reliqui Saxonum ſcriptores fatentur, illuceſcit veritas, quam Crantzius obſcurare voluit, quæ declarat Vitekindo non magis vetera Saxonum inſignia, quàm ipſum Saxoniæ principatum à Carolo eſſe datum: Vitekindo enim quæ Crantzius adfert, inſignia gentilitia fuerunt familiæ auitæ, qui equum in clypeo geſsit, ad memoriam Hengiſti, qui Britanniam occupauit, cuius nomen equum ſignificat; ex huius enim ſanguine Vitekindus originem ducebat, vt nos ſupra diximus & in Hengiſto deducta eius genealogia clariſsimè demonſtrabimus. Huius igitur equi colorem Vitekindo poſt receptum baptiſ-

Vitekindi familiaria inſignia equus.

X mum

Ludgerus poſt baptiſmum Vitekindus, equum album accipit pro atro.

mum Carolus immutauit, vt & ipſius viri nomen: pro atro enim equo album illi dedit; ipſum quoque ducem, qui Ludgerus dudum vocabatur, deinceps Vitekindum appellari voluit, vt ex ſacro fonte renatus, ex omni parte candidus eſſet. Hic enim eſt Ludgerus ille dux Saxonum, quo debellato, Friſij in præmium à Carolo Magno libertatem illam ſuam, de qua ſupra dictum eſt, obtinuerunt; quam Crantzius oportunè & importunè ſuggillat vbicunque poteſt. Ludgerus igitur poſt baptiſmũ Vitekindus eſt vocatus, quo nomine omnia eius acta tã præcedentia quàm ſequentia cõcepta ſunt, obſoleto nomine Ludgeri: Quod etſi Crantzius non tradat, Saxones tamen à me dictum hîc benignè accipiant, quod breui idoneis rationibus demõſtrabo. Interim verò Carolus multò benigniori vtiq; volũtate erga Veſualos extraneos ac dudũ hoſtes fuit, quã Crãtzius erga cõterraneos & bene de ſe meritos: cùm Carolus ex nigro album; Crantzius ex candido atrum faciat, qui veritatẽ figmentis obruit, & illuſtres patriæ antiquitates obſcurat. Nec enim in Saxoniæ communibus inſignibus poſt Carolum Magnũ conſtituendis talis ſolennitas adhibita fuit, qualis in illis vetuſtis, & ꝑ antiquos iſtos ſcriptores celebratis, quę ſupprimere Crãtzius voluit. Hęc enim gradatim poſt Carolum Magnum collecta ſunt, cũ plures ſatrapæ, comites, & alij magnates, partim connubijs, partim victorijs acquiſita potentia, oppreſſis æqualibus eminere paulatim, ac demum principatum in omnes arripere ceperunt; quod non repentè, ſed intermedio lõgi temporis ſpacio factum eſt, vt ex ipſius Crantzij exemplo hîc propoſito ſatis apparet, vbi priuatis & auitis aliena & ex-

& externa paulatim accumulata videtur. In vetuſtis illis alia ratio eſt, quæ vno tẽpore cõſenſu & pacto publico pluriũ gentium conſtituta, fœderibus firmata, & ſuis finibus circũſcripta ſunt, & gẽtis officiũ inſigni myſterio demonſtrant; vt & inſignia vetera Brunſuicenſiũ, quę Crãtzius oppreſſit, aut ſaltẽ ignorauit, nos aũt commodo loco explicabimus, aut ipſis libenter communicabimus, ſi gratum fore intellexerimus.

Sexto loco numero continuatam illam vſque ad Carolum Magnum fãmiliaritatem Friſonum & Saxonum, vt putem gẽtes ab initio conſanguineas fuiſſe, quæ tum veteris cognationis, tum etiam fœderis antiqui memoria mutuam beneuolentiam inter ſe conſeruauerint. Nam ſi Crantzius rectè arguit,[a] Saxones ex Danis prognatos non eſſe, quod inter hoſce cõtinua bella fere fuerint; quis me iudicabit ex mutua Saxonum & Friſiorum beneuolentia malè colligere gentes haſce ex eodem ſanguine oriundas? Solent enim alioqui inter gentes finitimas inteſtina eſſe odia, & ex his continua bella. Cum Danis, Francis, Sicambris, Batauis, hac de cauſa noſtratibus plurima & acerba fuiſſe bella annales noſtri referunt; inter Saxones aũt & Friſios vlla vnquam fuiſſe bella ante Caroli Magni tẽpora, neq; Crantzius commemorat, neque alius quiſquam rerum Saxonicarum aut ſcriptor Friſicarrum tradit: tanta enim tamque profunda ſemper inter haſce gentes pax ac tranquillitas viguit, vt exteræ nationes gentem vnam crederent, & vno quaſi generali nomine Saxonum etiam Friſios comprehenderent; quod non facerent, ſi ex vllo diſſidio diſcrimen deprehendere potuiſſent. Suffragantur his commercia inter haſce gentes vltrò citroq; ſine peri-

Diutina Friſiorum & Saxonũ familiaritas.

[a] *in proœmio Saxõ.*

Commercia Friſiorum ac Saxonum

 culo

culo mercatorum, ſine acerbitate animi acta. Suffragantur connubia & multa, & ſplendida inter haſce gentes ab initio ad Carolum vſq; Magnum vltrò citroque celebrata. Nam, vt cætera omittamus, vna Hengiſti linea ſufficit ad demonſtrandam hanc matrimoniorum communionem inter haſce gentes; cùm Hengiſtus ipſe naturalem patrẽ Vdolphum Haronem habuerit, Friſiorum ducum vltimum, (nam huic reges ſucceſſerunt) adoptiuum patrem habuit Vetgiſtum, quem nominat Beda, ex ſtirpe Hengiſti, qui Britanniam occupauit, ibique perijt, interiectis aliquot perſonis, natus eſt Vitekindus, vt ſupra aliqua ex parte deduximus, & in Hengiſto plenius dicturi ſumus. Vitekindus autem indignatus ſe à Friſijs auxilio contra Carolum deſtitui, qui iam antea Chriſto & Carolo nomen dederant, Friſios ferro flammiſq; nimis immaniter perſecutus eſt; qua calamitate Friſij laceſsiti, correptis armis Carolo ſubſidio venerunt, & captum in pręlio Vitekindum Carolo tradiderunt.

Connubia Friſiorum cum Saxonibus.

Vitekindus Friſijs infenſus.

Friſij Vitekindum captum, tradunt Carolo Magno.

Hæc cùm ita eſſe Crantzius non ignorauerit, mirari ſatis non poſſum, quæ cauſa illi tantum Friſonicæ gentis odium incuſſerit, vt præclaras antiquitates patriæ ſuæ ſupprimere maluerit, quàm agnoſcere Saxonibus quidquam eſſe cum Friſijs commune. Sequatur autem quiſque vel nos, vel Crantzium, prout in præſenti propoſito, vel hic, vel alibi, vel noſtra, vel illius argumenta ad declarandã rei veritatem plus ponderis habere videbuntur: nos interim donec certiora videbimus, in ſententia noſtra perſiſtimus, & ſupra relatis argumentis freti, credimus Friſonis fratres fuiſſe Brunonem & Saxonem, & proinde velut in coniuncta fratrum cauſa, quod de vnius

alicu-

alicuius origine ſeparatim verè dici poteſt, idem de cęterarum quoque propagine intelligi rectè arbitramur.

CAPVT SEXTVM.

DE PATRIA FRESONIS FRIſonum progenitoris.

AD Freſiam igitur, vnde patrię noſtræ nomen deductum eſt, inquirendam accedamus; qua in re me noſtratium expectationi ad plenum ſatisfacere poſſe optarem; ſed quoniam de ea in Archiuis noſtris nihil curioſius determinatum reperio, id conſultò à maioribus noſtris omiſſum eſſe puto, qui ſuperuacaneum eſſe rati ſunt, anxiam eius prouinciæ deſcriptionem relinquere, quam ſuo ſæculo tum per ſe, tum per Alexãdri Magni expeditionem toto terrarum orbe ſatis celebrem eſſe norant. Huic igitur ſucceſſu temporis aliud inditum fuiſſe nomẽ conſentaneum eſt, vnde difficilis iam ſit eius indagatio rem geſtam ignorantibus. Quemadmodum enim in Germania hac noſtra alijs prouincijs ſubinde alia nomina ſunt impoſita, ita etiã alibi accidiſſe non eſt incredibile, nó magis herculè, quàm olim frequentes fuiſſe ybique terrarum migrationes gentium. Itaque cùm ob hanc ipſam cauſam in propoſito noſtro nobis contendendum ſit de primis ſeu antiquiſsimis ſedibus Saxonum, quos nobiſcum adduximus, quid mirum eſt, ſi demonſtrare liquidò nó poſſumus veterem Friſiorum ſedem, quam reliquimus? Habemus quidem rerum Germanicarum ſcriptores multos; habemus horum interpretes antiquarios non paucos, quorum opera nos iuuare poteſt in Germania: in India nobis huiuſmodi ſubſidia nulla

Authores Friſiæ patriam veterem non deſcripſerũt curioſè

Freſia vetus aliud nomen aſſumpſit.

Rerum Indicarum ſcriptores pauci.

nulla ſuppetunt; cùm veteres rerum Indicarum ſcriptores ad nos aut nulli, aut certè pauci ijdemque acciſi, mutili ac laceri peruenerint: Ipſa autem India, vt à nobis longiſsimè remota eſt; ita multis ſæculis ab omni fere gentium commercio ſecluſa fuit.

India diu non frequentata.

Eſt autẽ in India intra Gangem ſita (quam Ptolemæus Aſię decima tabula, Plinius lib. 6. cap. 19. deſcribit) celebris quædam prouincia, inter Gangen & Vccentum fluuios, nomine Praſia; cuius & incolas Strabo Praſios, Paulus Oroſius Praſidas, Q. Curtius Pharraſios appellat; quam vt ego maiorum noſtrorum Freſiam eſſe ſuſpicer, coniecturis, vt equidem puto, nequaquam friuolis adducor.

Praſia Freſia.

Primùm enim, quanquam externi ſcriptores motus, & eorũ cauſas, vt in quaque regione contigerunt, non omnes ad amuſsim ſemper referre aut poſsint, aut velint, ex Q. Curtio tamen conſtat, in hac gente legitimos regni hæredes auita ſucceſsione per tyrannidem circa tempora Alexandri fuiſſe priuatos; quod de noſtris maioribus Rythmi patrij commemorant.

Indi Praſij legitimos regni hæredes auita ſucceſsione priuant.

Verba authoris, quę ob alia quędam oportunè adiuncta admodum notabilia ſunt, hic ſubijciam ex 2. lib. vbi: Percontatus igitur (inquit) Phegela quæ noſcenda erant; vndecim dierũ vltra flumẽ per vaſtas ſolitudines iter eſſe cognoſcit, excipere deinde Gangen maximũ totius Indię fluminũ, vlteriorem ripam colere gentes Gangaridas & Pharraſios, eorũq; regem eſſe Agrammen, viginti milibus equitũ, ducentiſque peditum obſidentem vias: ad hoc quadrigarũ duo milia trahere, & præcipuum terrorem
» elephantos triũ milium numerum explere dice-
» bat. Incredibilia omnia regi videbantur. Igitur
» Porũ (nam cum eo erat) percontatur, an vera eſ-
ſent

Diodorus Siculus li. 17. hunc φήγια vocat

Diodorus appellat ξανδράμην

ſent quę dicerentur?Ille vires quidẽ gentis & re-
gni haud falsò iactari affirmat; cæterùm qui re- “
gnaret nõ modò ignobilem eſſe, ſed etiã vltimæ “
ſortis;quippe patrem eius tonſorem, vix diurno “
quæſtu propulſantẽ famem,propter habitũ haud “
indecorum cordi fuiſſe reginæ, ab ea in propio- “
rem eius,qui tum regnaſſet amicitię locũ admo- “
tum,interfecto eo per inſidias, ſub ſpecie tutelæ “
liberũ eius inuaſiſſe regnum, necatisque pueris, “
hũc qui nũc regnat generaſſe, vilẽque populari- “
bus,magis paternę fortunę q̃ ſuę memorem.Hęc “
ille.Ex quibus nõ obſcurè colligitur, hunc tyran “
num de Alexandri aduentu certiorẽ factũ, oſtra-
ciſmo eos mox fuiſſe amolitũ, quos ſe nouo ho-
ſti vindictæ ergô prodituros eſſe ſuſpicabatur.
Huius regionis pleniorẽ deſcriptionẽ, q̃ Q.Cur-
tium nõ parum illuſtrant,ex Strabone hic ſubijci
am.Is lib.15.de hac ita dicit:Effertur etiã(inquit) “
epiſtola quædam Crateri ad matrem Ariſtopa- “
tram ſcripta, quæ cùm alia permulta mirabilia “
narrat,& cum nullo cõcordat,tum etiã refert A- “
lexandrũ in Gangen vſq; proceſsiſſe, & ipſe vi- “
diſſe ſe id flumen affirmat,& cete in eo, idque & “
magnitudine& latitudine & profũditate remoti “
us,q̃ iunctius veritati.Nã quod maximũ ſit omni “
um fluminũ quę in tribus cõtinentib⁹ memoran- “
tur, & quod poſt Indũ ponant, & tertiũ Iſtrũ,& “
quartum Nilũ ſatis cõuenit:eorũ verò ſingularia “
alij aliter tradunt. Quidã minimam eius latitu- “
dinem triginta ſtadiorũ dicunt, quidam trium; “
Megaſthenes, cùm moderatus eſt, ad C.eum ſta- “
dia dilatari exiſtimat,maximam verò profundi- “
tatem viginti paſſuum.In huius & alius fluminis *Palibo-*
cõcurſu ſita eſſe Palibothra, q̃ octoginta ſtadiorũ *thra ciui-*
longitudinem habeat,latitudinẽ quindecim,in fi- *tas.*

„ gura quadrata, cincto ligneo & perforato circū-
„ data, ita vt per tranſennas ſagittent, propoſitam
„ etiam eſſe foſſam tutelæ gratia, & recipiēdorum
„ purgamentorum ex vrbe affluentium: gentem,
Praſij. in qua ciuitas eſt, Praſios vocari ab omnibus dif-
„ ferentes: eorum regem, vltra proprium eius no-
„ men à generatione impoſitum, de nomine vrbis
Palibothrus dignitatis regalis titulus. Palibothrum appellari, quemadmodum & Sa-
drocottum, ad quem miſſus Megaſthenes fuit. I-
dem apud Parthos fit; omnes enim Arſacæ nomi-
nantur, priuatim verò alius Herodes, alius Phra-
âtes, alius aliter. Hactenus Strabo. Fuiſſe aūt ma-
Præſidij ſitus in quo Friſo contra Indos ab Alexandro collocatus fuit. iores noſtros ab Alexandro in præſidijs colloca-
tos ad mōtes Emodios, vt Rythmi patrij aſſerūt,
ita ſitus ipſe huius loci quodāmodo indicat; cùm
Emodij mōtes Alexandro ad præſidiū neceſſarij,
ad hanc gentem compeſcendam oportuni eſſent:
quod & idē Strabo cōmodè declarat. Is enim lib.
a Strabo lib. 15. ſupradicto, Sicut & alij, (inquit *a*) qui dicūt draco
nes in Emodijs mōtibus capi, & in ſpelūcis nutri
Pori terra. ri. Inter Hydaſpen & Aceſinen eſt Pori terra, mul
ta ſanè & opulēta, trecentarū ferè ciuitatū. Item
„ ſylua prope Emodos mōtes, ex qua Alexāder mul
„ tam abietem, & pinū, & cedrum, & varias alias ar
„ bores in Hydaſpen deduxit, ex quibus claſsē con
„ ſtruxit, iuxta vrbes in vtraq; fluminis ripa ab eo
„ cōditas, vbi Porū vicit. Hactenus ille; vt præſidij
neceſſitas manifeſta ſit. De oportunitate loci
b Strabo lib. 15. ſubijcit eodem li. Athenodorus (inquit *b*) author
eſt, Gangen ex Emodis montibus ad Auſtrū defer
„ ri, & cùm ad Gangen vrbē peruenerit, cōuerti ad
„ auroram vſque Palibothra, atq; in mare egredi.
„ Hęc ille. Cùm igitur rerū in India geſtarum hiſto
riæ Rythmis noſtris hacten⁹ ſuffragentur, vt cōie
cturas de earū veritate non prorſus ineptas præ
beant,

beant, ex ipſa deprauatorũ nominũ colliſione facilè deprehendetur, eandem eſſe prouinciã, quæ ab Indis Freſia, à Curtio Pharraſia, à Strabone Praſia dicitur; ſcriptũ enim fuiſſe nomẽ hoc per literã Ph, quæ literę F reſpondet, ex Curtio percipimus: Eam igitur ſi Strabo retinuiſſet, Phraſiam ſcripſiſſet, & hic a in e priſtinum reſoluto, Phreſiam, quæ Indis Freſia erat. Eſt autem ſolenne hoc, vt in proprijs locorum nominibus alij a in e, alij cõtra e in a mutẽt; vnde Semum alij Samum vocant. Paulus Oroſius lib. 3. cap. 19. ſonum aliquatenus repreſentat, qui incolas huius inſulæ Præſidas appellat, quos Ptolemęus ætate ſua Mandralas appellatos ſcribit. Interim verò Gręci, qui locis à ſe repertis nomina ſibi familiaria imponere ſolent, Praſiæ ſuæ nomen Indorũ Freſiæ impoſuerunt, eodem modo, quo Luſitani nuper Hiſpaniolam appellarunt inſulam in eadem India, quæ ab indigenis nomine vernaculo aliter appellabatur: habẽt autem Græci Praſiam ſuam, quam idem Strabo in eo tractu ponit, in quo Praſia, Sterea, Brauron, Myrrhinuſa, Probalinthos, & Marathon coniunguntur, lib. 9. ſuntq; & alia diuerſa hoc nomine loca in Græcia apud Pauſaniam, Stephanum, Polybiũ, & alios, quę hic referre nihil eſt neceſſe. Hinc autem Indis & ſuam Praſiam eſſe voluerunt. Ad hanc igitur originem indicandam apparet eos demum optimè ſcribere, qui Freſiam, & Freſos, ſeu Freſios proferunt; vnde & Ioachimus Hopperus de antiqua Freſionum Repub. ſe ſcripturũ promiſit. Hęc de Freſia. Sunt autem & alię cõiecturæ generaliores, quæ vtcunque Friſiorũ veſtigia in India commõſtrant: nam & Iouem Indi in iſtis partibus coluerũt, eiq; humanis victimis litarunt, quas & ſtrangulare ſolent;

Nomẽ Friſiæ erutũ.

Friſij, Praſij, Mandralæ.

Freſia rectè ſcribitur.

Aliæ coniecturæ de Freſia.

Sacrificia.

lent; quæ eadem etiam conſimiliter in Friſia primis temporibus acta ſunt. Suffragantur huic veſtigia linguæ, quę multis vocabulis hactenus apud nos vſitatis declarant originem genuinam. Suffragantur etiam genera veſtiũ maioribus noſtris vſurpata, vt ſuis locis perſpicuè declarabimus. Itẽ prima Reipub. inſtitutio, qua à reuerentię paternę gubernatione nihil diſcrepauit. Linguã quoq; Zeuocarus ſcripſit in Indię partibus iſtis eandem fere eſſe, quæ eſt ad littora maris Septentrionalis; cuius fides tamen penes authorem eſto. Habent etiam non pauca indicia Græcanici prę ſidij, vt ſunt Gymnaſia & exercitiorũ genera, tam quæ ad pacem, quàm quæ ad bella pertinent, vt alibi commodius demõſtrabimus a: hæc enim non tam ad originẽ patriæ, quàm ad diſciplinam militiæ pertinent, quæ extra patriam Friſo vidit, & ſuis aliunde tradidit.

Lingua. *Cultus.* *Gymnaſia.* a *in vita Friſonis.*

Capvt Septimvm.

DE MAIORIBVS FRESONIS.

NE quis autem miretur, quód diximus Ragauum noſtrum à Semo Freſiam hãc gubernandam accepiſſe, ſcire debet in diuiſione orbis Aſiam obtigiſſe Semo, ipſumq; Semũ, qui ſuorũ nepotum colonijs deducẽdis præfuit, in India fixiſſe ſedes, donec inde à patre Noa in Salem reuocaretur; vnde etiam in India regio Sami à Q. Curtio celebratur. Multorum etiam filiorum eius nomina ibidem fluminibus ac locis indita teſtantur, aut totam Indiam, aut certè maximam eius partem à filijs Semi fuiſſe occupatam. Hebri ſanè filius alter, Phalegi frater, quem Moyſes Iectam a, Beroſus Gangen appellat b, & patruus magnus Ragaui noſtri fuit, anno mundi 1828. poſt

Iectã ſiue Ganges. a *Geneſ. 10.* b *lib. 5.*

Dilu-

Diluuium 172. in India ſedem fixit, & Gangem fluuium de nomine ſuo appellauit: huius filius Heuila inter fratres ſuos præcelluiſſe videtur, de cuius nomine Indiam Hebræi Heuilæ terram appellant. Eo autem tempore, quo Iectan in Indiã venit, Ragauus annum ætatis 37. agebat, vt ex Moyſe colligitur *a*, & filium iam ſeptennem habebat, & ab eo die 200. adhuc annis vixit, & filios ac filias procreauit. Semus porrò his omnibus præeſſe, & ſingulis in diuiſione prouinciæ partes, quas voluit aſſignare potuit, qui poſt Diluuiũ, teſte Moyſe *b*, quingẽtis annis vixit, & proinde Ragauo defuncto, trecentis integris & ſexaginta annis ſuperſtes fuit. Ragauus igitur ſecundum Rythmos noſtros ad finem vſque vitæ ſuæ, hoc eſt, vt Moyſes calculat, annis integris ducentis Friſiæ præfuit, qui defunctus anno mũdi 2025. eius gubernationem filijs ſuis reliquit. Hanc illi legitima hæredum ſucceſſione, per annos ferè mille ſexcentos pacificè tenuerunt; quo tamen temporis tractu, quid à quibus illic actum geſtumq́; ſit, ad notitiam noſtrã non peruenit. Circa hęc autem tempora, vt ex Curtio colligimus, *c* perfidus ille tutor, iuſtis regni hæredibus pupillis extinctis, Agrammen filium ſuum Friſiæ iniuſtum Palybothrum obtruſit.

Ragaui ætas ac poſteritas.

a Gene. 11.

Semi ætas.

b Gene. 11.

Ragauus præeſt Friſiæ.

Succeſsio Freſonum in patria ſua.

c lib. 2.

Agrammes tyrannus.

CAPVT OCTAVVM.

PEREGRINATIO ET ADVENTVS Friſonis & fratrum eius.

Itaque Friſo vnà cum fratribus & amicis, eiuſdẽ fortunę ſocijs, ad Alexandrũ Magnum abijt militatũ, à quo ad mõtes Emodios aduerſus emergẽtes tumultus in præſidio collocatus eſt; Alexandro autem poſt biennium extincto, pręſidium metu Indorum Sadrocotto ducę rebellantiũ relin-

relinquere coactus, publica fide accepta ac data, patriam reuiſit, vt & alios amicos ſecum inde aſſumeret, quos ob eandem regni recuperandi ſuſpicionem conſimili oſtraciſmo Agrammes prouincia excedere iuſſerat; hæc enim nõ grauatim Friſoni conceſſit. His igitur ipſis occupationib⁹ & vlterioribus peregrinationibus poſt obitum Alexandri cõſumpſit annos octo, & ſub initium noni in Germaniam venit, & hanc prouinciam occupauit, quam de ſuo patriæque ſuæ nomine Freſiam appellauit, anno ante natum Chriſtum 313. vt ſupra dictum eſt. Atq; ita nos æræ noſtræ caput ab hoc anno, hoc eſt, ab aduentu Friſonis, deducimus, cuius certitudo hac ratione conſtat: Euſebius enim Alexandrum Magnum mortuum eſſe dicit Olimpiadis 114. anno primo; quem in hoc Hermannus Contractus, Chriſtianus Maſſæus, & cæteri Chronologi diligẽtiores ſecuti ſũt. Hic autem annus mũdi 3642. Vrbis Romanæ 430. & ante natum Chriſtũ 321. fuit. cui ſi octo annos adimas, quibus Friſo à morte Alexãdri peregrinatus fuit, apparet eum aduenifſe anno ante natum Chriſtum 313. qui annus vrbis Romanæ 422. fuit. Quanquam Paulus Oroſius, & quidam alij, in paucis annis diſcrepent, quos non moramur. Albertus Stadenſis, quem & alij plerique ſectantur, aſſerit hoſçe duces habuiſſe claſſem inſtructam nauibus trecentis, quæ omnes perierint exceptis 54. quarum octodecim Pruſsiam, duodecim Rugiam, viginti quatuor has noſtras terras occuparint. Neque hîc aliquis miretur, vnde illis tanta nauium copia tum fuerit, aut quomodo ex India in Germaniam venire potuerint; cùm nõ ſit neceſſe cogitare, naues omnes in India correptas eſſe, quæ in itinere aliũde collectæ fortaſſis fue-

Friſonis peregrinatio.

Aera Friſonica.

Claßis Freſonis, Saxonis, ac Brunonis, & ſociorum.

ſis fuerunt: neque mirum ſit ex 300. ſaltem 54. incolumes euaſiſſe, quæ annis integris octo in itinere fuerint Ingreſſæ autem in annalibus noſtris dicuntur per oſtium Fleui fluuij, ſub tempus autumnale, quo Sueui ob metum inūdationis, quæ terram nullis aggeribus cinctam ſub hyemem fere ſemper operiri ſolebat, ad mediterranea digreſsi, ſpacium aduenis dederunt, quo citra impedimentum illic radices agere poſſent.

Friſo quando & qua parte Friſiā occupauerit.

CAPVT NONVM.

VBI, ET QVAMDIV, ET QVA CONditione cum Freſone fratres eius verſati ſint.

ITaque mox ad eundem fluuium Fleuum Ioui, qui ipſis Stauo dicebatur, inſigne templum ædificarunt, & fundamenta ciuitatis iecerunt, quam de nomine dei ſui Stauoram appellarunt, eandem quam hodie Stauriam vocamus, quæ mox aduerſus ingruentem vim hoſtilem præſidio ipſis eſſe poſſet. Itaque tredecim annis continuis eo loco vnà egerunt, & interea terra marique fortiter nouas haſce ſedes tutati ſunt, non modò aduerſus Sueuos, ſed etiam aduerſus Danos, Britannos, & alios; victum interim partim piratica, partim agricultura ſuppeditabat, donec ſuccreſcente populi frequentia, loci anguſtia cōtentiones inter eos excitare inciperet, qui ſuſtentandis omnibus pecoribus idonea pabula ſuppeditari non poſſe querebantur. Tunc enim Friſo, qui inter fratres natu maximus erat, ne contentio, quæ inter ſubditos iam gliſcebat, inter principes quoque maiorem aliquam turbam

Ab Ioue principiū.

Stauria condita.

Quamdiu Freſonis fratres cū eo fuerint in Friſia.

Victꝰ quærendi ratio.

Populi frequentia & loci anguſtia lites pariūt.

daret,

daret, re cum fratribus ac populo communicata, diuerſos conſeruandæ beneuolétiæ modos propoſuit, inter quos iſte maximè omnibus probatus fuit, quo Saxo & Bruno Friſoni eiuſq; nepotibus hanc prouinciam peculiarem ac propriã relinquerent, ipſi ſibi poſteriſque ſuis ſedes nouas quærerent, non longè ab ea diſsitas, ſed proximè vicinas; ita vt non modò diſciplinis inſtitutiſq; auitis coniunctim vti, ſed & auxilio mutuo defendi poſſent aduerſus ingruentes hoſtes.

Conſilium fratrũ de conſeruanda in poſteritatẽ beneuolentia.

Capvt Decimvm.

QVANDO, ET QVO FRATRES A Friſone deceſſerint, & quæ poſt fratrum diſceſſum Freſo egerit.

A Freſone diſcedunt fratres ſui.

Sedes Saxonis.

Itaque anno ante natum Saluatorem 300. Saxo & Bruno, inſtructis nauibus Stauria ſoluerũt, & quà venerant egreſsi, Fleuo Orientem verſus abnauigarunt, donec ad Hadeleriam peruenirent, vbi Saxoniam Oceanus Germanicus alluit: hinc oſtium Albis fluuij ingreſsi, ad mediterranea paulatim occupanda tetenderunt, donec finitimis paulatim repulſis ac ſuperatis, fines ſuos in immenſum dilatarent. Bruno etiam, ne fratri ſuo oneri eſſet, vnà cum ſuis ad Veſeram declinauit, Occidentem verſus; ibi ciuitatis fundamenta iecit, quam de nomine ſuo Brunſuicum appellauit: quæ tametſi ſucceſſu temporis & amplificata, & viciſim vaſtata ſæpius fuerit, vſq; ad Caroli Magni tamen ætatem ciuitatis aut vici certè liberi iura retinuit. Teſtatur enim S. Marcellin[9], S. Suitbertum prędicaſſe verbum Dei, & multos ad fidem Chriſti conuertiſſe in grandi vico Saxoniç, dicto Brunſuick, & inde tranſijſſe ad Boru-

Sedes Brunonis.

Brunſuicum.

ctuarios

ctuarios anno Chriſti 705.& Henricus Buntingh in Chronico Brunſuicenſium teſtatur, hunc vicum à Carolo Magno occaſione belli Saxonici fuiſſe vaſtatum, & à Brunone Saxoniæ duce Ludulphi filio anno Chriſti 861. fuiſſe reſtauratum; quod ideo hic adnotandum duxi, ne quis putet, authore Crantzio, Brunſuicēſium originem non altius eſſe repetendam, quàm ab hoc Brunone Ludolphi filio, quam Crantzius longè altius arceſſere potuiſſet, niſi eo facto fabulam quam prę dicat, veram hiſtoriam eſſe declararet. De Brunone igitur & Saxone, eorumque rebus geſtis quæ reſtant, ea Brunſuicenſibus & Saxonibus inquirenda tradendaque remittimus: noſtræ gentis conditor Friſo, dimiſsis fratribus Friſiam ſuam, cui 68. annis pręfuit, diuerſis munitionibus firmauit, aggeribus cinxit, caſtellis ac pagis ornauit, & vt eam pacatam ipſe poſsideret, ac poſteris per manus traderet, cum vicinis principibus pacem compoſuit, leges condidit, Rempubl. formauit, liberisq; ſuis prouinciam aſsignauit: de quibus omnibus ac ſingulis diligentius acturi ſumus in annalibus Friſiorum, & in vita Friſonis, quam plenius tractaturi ſumus in eo opere, quod de Principibus, Ducibus, ac Regibus Friſiorum ſeparatim breui expedituri ſumus. *Friſonis acta in Friſia.*

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagin. 2 .*lin*. 21.*lege* 102.*in generatione*.3.*l*.32.*exſuſcitare*.47. *l*,1.*Orientales* 66.*l*. 9.*vrbem eſſe*.122.*l*.24.*Virgilius*.219. *l*.*vlt*.*Neuillius* 225.*l*.20.*cacozelia*.257.*l*.10.*quo & l*.27. *teſtatum*.*Be-noni*.260.*l*.3.524.280.*l*.14.*antiquarū*.283.*l*. 15 *Brunonij*.

FINIS.

DE SCRIPTORIBVS FRISIÆ,

Decades xvj. & ſemis:

IN QVIBVS NON MODO PECVLIARES FRISIAE, SED ET TOTIVS GERMANIAE COMMVnes antiquitates plurimæ indicantur, & veterum Hiſtoricorum ac Geographorum loci hactenus non intellecti explicantur: Cauſæq; redduntur dilucidæ, cur veteres Germani præter meritum ruditatis & imperitiæ à quibuſdem in re literaria arguantur.

Authore SVFFRIDO PETRO *Leouardienſi, vtriuſque I. C. Hiſtorico Friſiæ, Canonico ad SS. Apoſtolos.*

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Henricum Falckenburgh,

Anno 1293.

1593

[illegible]

IO. Matalius Metellus Sequanus I. C. Suffrido Petro Friſiæ Hiſtorico I. C.

FAMA Virum occiderat, doctorum in Friſide terra,
Qui ſua compoſitis clararunt nomina libris.
Illa ſed, vt Phœnix rediuiua repullulat ales;
Perq; ſuos cineres vacuum nunc aëra pulſat,
Ac velut impoſitos vectans titania dorſo
Scriptores Friſiæ, ſpatia orbis cuncta per errat.
Hæc Suffride tibi debentur munera vitæ,
Seruaſti ciues ciuis, tibi parta corona eſt
Ciuica; vt Ilígna tibi tempora fronde corones.
Fallimur; an roſtri ceu pectora cuſpide pungit
Platalea, vt fetus exangues ſanguine ſeruet;
Inq; hyperionij producat luminis auras?
Sic tu Scriptores illos veteresq; nouosq;,
Squallore obductos tetro, terraq; ſepultos,
Vnus reſtituis vitæ, reuocas & ab vmbris;
Per te quo celebres viuant, famaq; perennes.
Ciuibus ergo tuis dum vitam Petre dediſti;
Hanc dando, ſæua victor, de morte triumphas:

Coloniæ Vbiorum Agrippinæ
8. Kal. Quintileis, 1593

AMPLISSIMIS NOBILISSIMIS CONSVLTISSIMISQVE VIRIS AC DOMINIS ORDINIBVS FRISIAE, DOMINIS ſuis vnicè colendis.

S. P. D.

AMpliſsimi, Nobiliſsimi Conſultiſmique Viri ac Domini, Mæcenates Candidiſsimi, ante triennium, cũ tres de Antiquitate & Origine Friſiorum libros in lucem darem, eam Rationem reddidi, cur illos primo loco ederẽ, qui argumenti ratione vltimi inter eos erant, quos Rerum Friſicarum titulo complectebar, quod ingraueſcente iam ætate, maturandã mihi præ cæteris eius operis editionem iudicarem, in quo mihi plurimos contradicturos eſſe putabam, quod plurima ibi præter communem eruditorum expectationẽ

maioribus noſtris aſſererẽ. Volebã enim ipſe dũ viuerẽ, vel mutare in his, ſi quis quid erratũ à me cãdide admonuiſſet, vel defendere, ſi quis quid præter meritum ſuggillaſſet: Atq; huius quidem conſilij mei me nondum pœnitet: Nam etſi libri iſti interea temporis ad multorum manus peruenerunt, qui inter ſcriptores noſtri ſæculi locũ habẽt, nemo tamen eſt repertus hactenus, qui vel in minimo aliquo eos repræhẽderit: Quin potius multi ſcriptis ad me literis collaudarũt, & ad cætera in lucẽ edẽda cohortati ſunt: Itaq; tametſi plurimę difficultates, me hactenus ab edendis reliquis (quæ interea cudi) retardauerint, quas hic omnes recenſere longum foret, tamen vel huius iudicij exſpectatio ſola moram hanc excuſare poſſet, cum ex euentu ipſo nunc intelligam quorundam veterum de noſtratibus commenta, eruditorum iudicio ſatis iam eſſe à me confutata: Neque magnopere mihi verendum eſſe, ne quis me mortuo tumultuetur, qui viuente me quieuerit. Itaque iam ſecuriori pectore deinceps ad cætera, quæ propoſui, abſoluenda & edenda contendam: In quibus publicandis hunc ordinem mihi obſeruandum eſſe puto, vt antiquitatis Friſonicæ aſſertioni proxime ſubiungam opus hoc de ſcriptoribus Friſiæ, vt appereat nobis idonea earum rerum, quas tradidimus, documenta non deeſſe,

eſſe, ſiue de prima iſta origine, ſiue de ſubſequentibus maiorum noſtrorum actis agamus. Alioqui enim cum literarum monumenta apud Germanos non admodum antiqua reperiantur, noſtra fidem non facilè inuenirent apud Lectoré cordatum: Quocirca vt Lectori pleniorem de noſtris fidẽ faciamus, eximendus ante omnia hic error eſt iis, qui putant Scriptores in Germania omnes recentes eſſe nullos antiquos fuiſſe: Negari vero non poteſt veriſimilia valde eſſe eorũ argumẽta qui diuersã à nobis ſententiam fouent. Primum enim extra controuerſiam eſt, Cornelium Tacitum aſſerere *a* Viros pariter ac fœminas in Germania ad ſuam vſq; ætatem literarum ſecreta ignoraſſe. Et Io. Trithemius aſſerit, ſe nullú antiquius vidiſſe ſcriptum Germanicum, quam Monachi cuiuſdam Ontfridi Theotiſci nomine, circa annum Domini 820. idque Rithmis, vt vocant, conditum. Cui conſonat, quod Ioannes Stumpfius in Chronicis Heluetiorum refert, Carolum Magnũ primum latinis literis Germanicam linguã conſcripſiſſe, ſed hanc ſcripturam adeo imperfectam fuiſſe, vt aliquot etiam poſtea ſæculis contractus & cauſæ Forenſes, & inſtrumenta & priuilegia Cæſarum latinè ſcriberentur, ita vt circa annum Domini 1200. demum Germanici ſermoni ſcribendis ac ſtyli ratio in vſum publicè recepta ſit. Quæ

a In libro de morib. Germanorum.

ſi ita ſimpliciter & ſine diſtinctione conce-
dimus eſſe vera, nos merito paradoxa ſcri-
bere videbimur, qui Friſiis noſtris tantam
aſſerimus antiquitatem: Et libera relinque-
mus extraneis quibuſdã in Germanos ſua
ſcommata, qui eos hinc vixiſſe cauillantur
pecudum inſtar ſine ingenio, ſine ratione
ſine omni diſciplina. Nec mirum cum eoſ-
dem fungorum inſtar ex terra ortos ijdẽ
Ibidem. credant, quod idẽ Tacitus ſcripſerit Ger
manos non aliunde aduenisse, ſed in ipſa
Germania natos eſſe. Et inualuit apud quoſ
dam adeo hæc peruerſa ex Taciti verbis
concepta opinio, vt diſputare etiam publi-
cè non vereantur, cadat ne in Germanos tã
ta vis ingenij, qnanta in alias quaſdam natio
nes? ſerioque mirentur, ſi quid egregium
præſtetur à Germanis, quod ab his nihil
huiuſmodi expectarunt: Et haud ſcio ri-
dendum potius an flendũ ſit, extitiſſe Ger-
manos quoſdam tam ineptos, vt non alia ra
tione maiores ſuos ab hoc contemptu vin-
dicarint, quam quod ſcripſerint, Germa-
nos veteres fortiter agere, quam acta con-
ſcribere maluiſſe: Videntur enim hi Taci-
Ibidem. to in eo etiam ſuffragari, quo ſcripſit, Ger
manos quoties bella non ineunt, non mul-
tum venatibus, plus per otium tranſigere
deditos ſumno ciboqne. Vt qui amarint in
ertiam & oderint quietem: Alioqui enim
Taciti verbis in hoc propoſito, vel ſimplex
con-

contradictio, vel commoda diſtinctio adhi benda erat: Nam quod Germanos indigenas eſſe aſſerit, in eo per ſacras literas eius iam dudum eſt exploſa ſententia: Et alij aliunde nationes alias, nos ex India Friſios in Germaniam adduximus. Quod autem de literarum cultu hic controuertitur, diſtinguendum eſt: Nos enim hic de rebus communibus, & in vſu populari verſantibus loquimur, quas ſcriptis etiē ante Cornel. Tacitum compræhenſas dicimus. Tacitus vero, ſicuti ſentit, ita loquitur, de literarum ſecretis hoc eſt, de arcana illa doctrina, quæ penes Sacerdotes ſolos in pleriſque gentibus ea tempeſtate fuit. Apud Gallos penes Dryidas literarum ſecreta erant, qui ſoli doctrinam arcanam in abdito tractabant. Literæ interim ipſis authoribus populo non deerant, quibus acta patriæ, contractus, epiſtolæ familiares, & ſimilia notantur: Eadem ratione ipſe Tacitus apud Sacerdotes Germanorum Religionis cultum & leges, quæ in diſtributione pœnarum & præmiorum conſiſtebant, fuiſſe dicit, quæ communia erant, & populo concedebantur: Ab his vero diuerſa erant, quæ ſecreta literarum vocat, & populo non committebantur: Ita Plutarthus author eſt penes ſacerdotes AEgyptios ſolos arcanam religionis auitæ diſciplinam fuiſſe, quæ literis arcanis, hoc eſt, Hieroglyphicis continebatur

tur: Ita apud Indos Gymnoſophiſtis ſecreta literarum committebantur, communia literarum populo non denegabantur, quibus in liberalium artium explicatione vtebantur: Quæ cum ita ſint, nos à Tacito vulgum in Germania, à ſecretis literarum non à literis ipſis alienum declarari intelligimus quatenus & acta conſignari, & abſentium voluntates indicare abſentibus & res geſtæ poſteritati tradi potuerint: Nam quod Trithemius ſupra dicit, ſe nullum antiquius ſcriptum germanicum vidiſſe, quam ab anno 820. id ad characteres tantum pertinet, quibus in lingua Germanica exprimenda tunc vtebantur. Germani enim primum ſuis antiquis, deinde Græcis, poſtea Latinis, ad extremum ſuis iterum, ſed nouis characteribns vſi ſunt: Interim vero multis ſæculis ante natũ Chriſtum: Germani veteres habuerunt Remp. leges & iudicia, celebrarunt contractus & & mercimonia, habuerunt curam poſteritatis: ſatis id ex Iulio Cæſa. ſatis ex Tacito & alijs apparet, qui, quam Rempub. Sueui, quam Canchi, qnam alij nonnulli habuerint, ſatis perſpicue declarant, dũ illis actus huc pertinentes attribuũt: ita vt neceſſario conſequatur, ea tempeſtate apud Germanos fuiſſe rerum patriarum Scriptores: Cũ harum rerum memoria diuturna eſſe non poſsit, niſi ſcriptis conceptas maiores poſteris ſuis eas per manus traditas tranſmi-

ſiſſent. Nos certe hoc opere à trecentis ac tredecem annis ante natum Chriſtum, qui hactenus apud nos Scriptores fuerunt, pro ponimus, & horum teſtimonio declaramus, apud nos toto huius temporis curriculo Rempub. & eius nomine literas viguiſſe Quod quidem ſi in reliqua germania ſingulis nationibus pręſtare forte difficile ſit, non inde tamen præſumendum eſt, minus multos fuiſſe: Sunt enim cauſæ & multæ & iuſtæ, cur vel interceptos, vel ſuppreſſos, vel deniq; oppreſſos exiſtimare debeamus potius, quã prorſus non eſſe ſcriptos, quos deſideramus: Situm autem cariem, tineas, blattas, bella, item tumultus, incendia inundationes, & cõſimiles calamitates, quæ vbique terrarum rebus humanis perniciem adferunt, quis credat in Germania tot ſæculorum interuallo Scriptoribus antiquis non nocuiſſe? Atqui tamen in Germania præter communes iſtas calamitates etiam aliæ longè magis rem literariam impedierunt, quæ tanto grauiores Germaniæ fuiſſa cenſeri debent, quanto magis illi peculiares extiterunt: Hæ potiſsimum numero quinque ſunt. Gentium migrationes crebræ, linguæ popularis declinatio characterum frequens mutatio, edictum de non ſcribendo, linguæ ipſius conſtans difficultas. De quibus ſingulis in rerũ Germanicarum opere commodius ac plenius, hic tantum dicturi ſumus, quantum præ-

Cauſæ cur apud Germanos minus multi Scriptores antiqui extent quam alibi.

Gentium crebræ migrationes in Germania

ſens inſtitutum hoc noſtrum poſtulat: Crebriores autem in Germaniam quam vſquã alibi gentium fuiſſe migrationes, dubitare nequaquam poteſt, qui geographos & hiſtoricos veteres euoluit, Strabonem, Plinium, Tacitum, Ptolemæum & conſimiles, & recentiores Lazium, Althamerum, Bilibaldum & alios. Sed cum à Septentrione & Oriente mari alluatur Germania, qui primi eam ingreſsi ſunt, cum nauigio appellerent, inſulas potiſsimum eas occuparũt, quæ ad Septentrionem vergunt, quod eas ſibi ad poſſeſsionem magis in tuto fore arbitrarentur, ob id quod aquarum præſidio, mœnium inſtar, aduerſus ingruentem vim defenderentur: Apparet id in Thegorma, quem Germanorum patrem Moyſes conſtituit. Cuius poſteritas Aquilonis latera occupauit, vt in Germania noſtra clarius docebimus. Qui proinde cum ſedes ſuas pertinacius & efficacius tutati ſint, antiquitates etiã ſuas literis melius conſeruarunt. Poſtea vero qui acceſſerunt, cum in mediterraneis cõſediſſent, ſuperuẽientibus idẽtidem ab Oriente nouis Colonijs, frequenter ſedibus ſuis expulſi ſunt, & ipſi viciſsim expulerunt alios: Quod quidem cum ſæpius acciderit, & poſteriores cõtinue priores non aliter, quam vnda vndam pellerent, factum eſt, vt & ſcripta vna cum cæteris quæ chara habuerunt, amitterent. Quẽadmodum

admodum enim victoribus nihil prius eſt, quam vt omnem antiquitatis memoriam victis auferant, ita victis in tanta trepidatione, qua ſedibus expellerentur, parua eorum cura fuit, quę poſtea forte in alijs vſui futura non erant: Cum igitur violenta hęc gentium migratio ſcriptoribus perniciem attulerit, tum etiam quæ huic conſequens fuit, linguæ declinatio, id conſimiliter effecit. Nam cum ſubinde aliæ atque aliæ nationes in Germaniam ingruerent, quorũ lingua inſolens erat fieri non potuit, quin ex commixtione diuerſarum gentium, lingua, quæ ſimplex antea fuerat, à priſtina ſua puritate deflecteret. Quo facto cum libri antea ſcripti, paulatim obſoleti non intelligerentur, mirum non eſt, eos vt inutiles porro fuiſſe neglectos & contemptos. Quod quidem ab initio gentis ad Carolũ vſque magnum quantum in mutanda hac lingua valuerit inde quiuis æſtimet, quod nos ea vix nunc intelligamus, quæ viuente Carolo ſcripta ſunt: Nec mirum id quidẽ, cùm & Cicero Decemuiralibus Rom. Tabulis id accidiſſe teſtetur, in quibus tamen non gentium diuerſarum commixtio, ſed ſola nouitatis affectatio orationem obſcuram reddiderat: Confectis enim vocabulis nouis & in vſum popularem receptis, lingua priſca illa, quæ vetuſtis conſtabat, faſtidita fuit: Itaque cum ob cauſam ſupradictam

Linguæ Germanicæ declinatio.

ctā minus obnoxia mutationi lingua Germanorum Septentrionalium fuerit, conſequitur minus etiam periculi hinc fuiſſe eorum Scriptoribus, quam Scriptoribus mediterraneorum: Porro autem pari neceſsitate qua gẽtium migratio mutationem linguæ, ita viciſsim & ipſa quoque linguæ mutatio, mutationem characterum, Scriptoribusque perniciosam ſecum traxit. Res erit perſpicua ſi à fontibus ſuis arceſſatur: Tres enim linguæ ſunt ſacræ, quarum ſingulæ dum in populari vſu verſarentur viciſsim latiſsime patuerunt: Hebraica enim ad Babylonicam vſque confuſionem vniuerſo generi humano per totum terrarum orbem communis fuit, vti teſtatur Moyſes, & vtebantur prouide omnes homines ex æquo in exprimenda lingua ſua characteribus Hebraicis: Poſt cōfuſionem Babylonicam diſparſis in diuerſas regiones gentibus, cũ lingua non eadem manſiſſet omnibus, aliæ Hebraicis porro vſæ ſunt, aliæ ſibi ad ſcribendum proprios commenti ſunt, aliæ mutuatitias vſurpârũt: Iudęi tametſi toto orbe diſperſi vbicunque terrarum habitant literis Hebraicis veluti proprijs, ac ſuis nō modo communem Iudæis linguam Hebraicã ſed & popularem ſuam in qua quiſquis natus eſt, & quam familiariter vſurpat, deſcribunt. Ideoque nos iam epiſtolas Germanicas, Gallicas, & Italicas literis Hebraicis

Mutaio characterum in Germania.

Geneſ. cap. 11

con

textas vidimus:Cadmus ante Troiam conditam Græcis proprios characteres tradidit,quos ipſi progreſſu temporis expoliuerunt,& in húc vſque diem vſurparunt:Carmentis Euandri mater Latinis proprios characteres inuenit quibus & ipſi hactenus vtũtur: Reliquæ nationes mutuatitijs vſæ ſunt,aliæ alijs, prout id commodius quibuſq; fuit viſum:Nã illæ linguę quæ nõ longe ab Hæbræa declinauerant, vt Chaldaica,& ſi quæ ſunt aliæ Characteres Hebraicos retinuerunt: Cum autem Græcorum lingua ſucceſſu temporis longè latèque per totum pene terrarum orbem diſperſa eſſet eaque omnes pene nationes veluti communi in commercijs, & politicis negotijs vterentur, Græcorum etiam characteres ad exprimendam linguam ſuam multę mutuatæ ſunt:Hoc enim illud eſt,quod notat Plinius, omnes gẽtes in hoc comſpiraſſe tacitè,vt Ionum literis vterentur.Iones enim Gręci appellantur à Iauan filio Iapheti,qui conditor eorũ fuit. Exemplo ſunt Moſcouitæ & Lithuani,qui etiam hodie characteribus Græcis vtuntur,quanquam linguam habeant pene Schlauonicam : De Germanis id comperio,antiquiſsimos illos, qui in hanc prouinciam primi venerunt, depoſitis vtcumque Hebraicis,proximẽ ſibi condidiſſe nouos& peculiares,quibus ad Reip. ſuæ neceſsitatem vterentut.Saxo Grammaticus

ticus commemorat Thulenſes antiquitus, ſingulari quadam curioſitate incubuiſſe, in conſcribendas vicinarum gentium hiſtorias, id quod eos peculiaribus quibuſdam ſuis characteribus feciſſe, ex ipſo colligimus, qui non pauca ab illis in hiſtoriam ſuã traduxiſſe videtur Quibus characteribus vetuſtiſsimi Gothi ac Dani vſi ſint. Ioannes Magnus Gothus, & Henricus Ranzouius repræſentant: In Mediterraneis Germanis nullum horum characterum veſtigium reliquum apparet, quod inde factũ puto, quod hic vt ipſa lingua ſic & characteres quoque magis caduci fuerint: Itaque vt remotis Hebraicis proprios, ita proprijs obſoletis Græcos acceperunt: Quod factũ ſolidiſsimis ijſdemque euidentiſsimis argumentis conſtat: Gallorum Dryides (vtique antiquiſsimos) lingua Græca vſos eſſe
323. teſtatur Cęſar, & de Germanorum ſacerdotibus idem ſcripſit Trithemius: Nec mirum cum ijdem hi cum illis fuerint: Accedunt huc ipſorum Germanorum creberrima cum Græcis nationibus commercia, quæ vſum eius linguæ neceſſario flagitabant: Accedebat huc, quod non paucæ Coloniæ ex Græcia in Galliam & Germaniã deductæ ſint, quæ ſuis vocibus haſce linguas non parum fœcundaruut: Quam rem non modo Græcorum inſcriptiones aliaq; monumenta ab eruditis paſsim adnotata;

ſed

ſed & voces quoque Græcæ ab Althamero Lazio, Budæo, & alijs copioſe adnotatę teſtantur: Itaque quod & militares tabulas ſiue indices Græcis characteribus exarauerint, ex Cæſare cõſtat, qui tales in Heluetiorum caſtris repertas eſſe ſcribit. Nam quod *Lib. 1 de bel. Gall.* idem Cæſar ſcribit, ſe ad Q. Ciceronem dediſſe epiſtolam Græcam ne intelligi à *Lib. 5 de bello Gall.* vulgo poſſet ſi forte interciperetur, id ſignificat, Epiſtolam iſtam, & lingua ipſa & characteribus Gręcam fuiſſe. Etſi enim vulgus forte interceptam Epiſtolam ob notitiam characterum legiſſet, ob ignorantiam tamen linguæ eam non intellexiſſet. Itaq; & Vaſtaldum etiam antiquiſsimum Franconicæ gentis Hiſtoricum Hunibaldus refert, in ſcribendo vſum eſſe characteribus perquã ſimilibus Græcis: Sed vt hęc de Germanis Mediterraneis affirmamus, ita & Aquilonares iſtos, Gothos, Danos, & reliquos ſatis conſtat, (quãquã non paulo ſerius) antiquis proprijs depoſitis vſurpaſſe Græcos: Et nobis etiam hic coram teſtatus eſt clariſsi. V. I.C. Matalius Metellus Sequanus, ad ſuas manus aliquando perueniſſe Nouum Teſtamentũ lingua Gothica characteribus Græcis ſcriptum: Friſij noſtri proprios characteres nunquam habuerũt. Ideoque ſemper mutuatijs vſi ſunt, primũ Græcis, deinde latinis, ad Germanicos hactenus inhabili eorum lingua, quæ Græcis

ita commode ſcribitur (modo Vocales ac Diphthongos vero, hoc eſt, eo ſono, proferas, quo Eraſmns, Chiecus, & Mekerchus docuerunt.) vt nihil concinnius fieri queat: cur autem Grçcis potiſsimum characteribus vti inſtituerit Princeps noſter Friſo, cauſam eſſe puto, primum quod patrios ſuos, hoc eſt, Indicos, vt prorſus peregrinos neque vtilè neque facilè fuerit introducere, deinde. quod, vt cæteris ea tempeſtate Germanis, ita & Sueuis Græci placuiſſent quibus emigrantibus in prouinciam ipſe ſuccedebat: Deinde quod eos ad commercia non modo cum Germanis ac Gallis ac cæteris nationibus aganda terra marique, ſed etiam cum cognatis Siculis & Aegyptijs commodiſsimos eſſe iudicaret: Accedebat huc, quod ipſe Græcis literis liberaliter ex cultus erudiendæ iuuentuti gymnaſia erexiſſet, in quibus literarum & armorum exercitia inſtituiſſet, accitis ad hoc ex Græcia magiſtris: Deinde quod etiam diſciplinæ publicæ Dryides præfeciſſet, quibus vt Religionis & Legum & Philoſophiç cura commiſſa eſt, ita Græca lingua familiaris erat: Scripſerunt igitur Friſii acta patriæ lingua Friſica, ſed characteribus Græcis, vſque ad Carolum Magnum: tametſi mox ab expeditione Cimbrica literas etiam latinas receperint, non quidem coacti, vt nonnulli alij

ſed

ſed volentes & vltro, propter neceſsitudinem cum Romanis contractam. Cum miro ſemper affectu Imperium Romanum proſecuti Romanis Imperatoribus libenter militarent, ex quo tempore & acta publica & priuata, & libri, etiam lingua latina à Friſijs conſcribi cœperunt: Inualeſcentibus tandem tota Germania literis latinis etiam apud nos Græcæ ceſſerunt, quarum tamen reliquiæ ad nos peruenerunt: Nam vt alia omittamus, illud ſaltem hic commemorandum eſt, quòd vir clariſs. Stephanus Vinandus Pighius Scholaſticus Sanctenſis, mihi quondam Bruxellæ apud Cardinalem Granuellanum Contubernalis, rogatus à me per literas, vt communicaret, ſi quas haberet antiquitates quæ illuſtrandæ patriæ noſtrę eſſent, in hæc verba reſcripſit literis Traiana Sanctorum Coloniam datis Prid. Id. Maij. anno 1588. In veteri (inquit) hiſtoria, vel antiquitatibus Friſiæ, vicinarũ ùe regionũ adferre tibi parum aut nihil auxilij potero. Nam eius generis vel argumenti collectanea mea quæcunque Dom. Ioachimus Hop. ante multos annos à me habuit, mutuo nec vnquẽ reddidit, & inter alia vetuſtiſsimæ linguæ germanicę, quã ille Friſicam appellabat, Orationem Dominicam ex eius lingua Noui Teſtamenti libro quodam deſcriptam, characteribus antiquiſsimis Græcis: Græcis igitur characte-
 ribus

ribus in Germania latini proximè ſuffecti ſunt, quod tum factum eſt, cum Romani Gallis linguam ſuam obtruſerunt: Linguarum enim mutationem neceſſario comitatur mutatio characterum: Nec verò quiſquam ignorat, quo ſtratagemate Romani Gallis linguam ſuam ingeſſerint: Forum enim & iudicia Gallorum ad conſuetudines legeſque ſuas conformarunt, tum in his actiones, proceſſus iudiciales, & ex quibus hæc oriuntur, contractus, acta priuata & publica lingua ſua concipi mandarunt, nec aliter ius dixerunt, niſi ex hoc præſcripto propoſita eſſent: Sic igitur victi dum victorum linguam diſcunt ſuam dediſcũt. Hinc in obliuionem venerunt reiectæ & ob id neglectæ conſuetudines patriæ. Obliterata tandem ſunt non intellecta ſcripta maiorum, interciderunt monumenta vetuſtatis, perijt omnis memoria antiquitatis: Sic autem à Romanis in Hiſpania, in Gallia, & in alijs locis actum eſſe, quibus plenè imperarunt, magis notum eſt, quam vt dubitare quiſquam poſsit: Expediebat enim victoribus, victos planè in Ius arbitriumque ſuum redigi, ne ex ſtatutis, aut monumentis auitis vllum haberent prætextum tergiuerſandi. Quamquam autem in Germania linguam ſuam populo ſic obſtrudere non potuerint, vt in Gallia, eo tamen rem deduxerunt, vt in ſcholis & in foro Germani eã

vſur-

vſurparent: Quo facto etiam apud Germanos Græcis characteribus abolitis latini ſuffecti ſunt: Tum Hunibaldus ſub Clodouæo primo, & eum deinceps ſecuti alij publicè res Francorum memoriæ mandarũt. vſi lingua latina characteribuſque lat. Durauit ea res ad Carolum vſque Magnum, qui latinis characteribus linguam Germanicam primus ſcribere incepit: A quo elapſis annis fernie quadringentis formæ Germanicorũ characterum inuentæ ſunt, quibus lingua Germanica ſcriberetur, quibus hodie vtimur: Legum tamen Friſicarum liber qui Friſica lingua publicatus eſt, latinis literis perſcriptus eſt, quanquam ſatis ineptè: Diximus iam de migratione gentiũ de mutatione linguæ, de mutatione characterum in Germania, quarum ſingulæ quã tum rei literariæ nocuerint, ex ſupradictis æſtimetur. Vltima tamen hæc cum primũ ex Hebræis, deinde ex proprijs, poſtea ex Græcis tandem ex Latinis, iterum in proprios facta ſit, longè perniciosior cæteris fuiſſe credenda eſt. Infeſta verò omnia ac ſingula hæc antiquitatibus, non minus autem infeſtum illud fuit, quod Romanos ſumma diligentia cauiſſe nonnulli tradunt ne quid à Germanis ſcriberetur, quod metuerent ne fortè Romam perlata rerum veritas, populum ad impenſas in bellum Germanicum faciendas, tardiorem redderet

ret

ret: Quod idem & in ſuis ipſorum Scriptoribus prouidiſſe, Criſpi Salluſtij, Cornelij Taciti, & aliorum exemplo confirmat Paulus Oroſius: ſed hoc interdictum Friſii perpetuo contempſerunt, & in cōtrarium propoſitis præmijs ſuos ad ſcribendum exuſcitarunt: Franci primi in reliqua Germania violarunt: Itaque ſub Clodouæo primo demum palam ac liberè Germanis ſcribere ſine metu pœnæ licuit, quod expedire videbatur: Quam rem tamen Clodouæo Rex Friſiorum Richoldus Vffo, qui æqualis illi fuit, vitio vertit, vt ex Siuardo ſapiente refert Cappidus Staurienſis: Nam cum Hunibaldus inter cætera falſa ſcripſiſſet, Friſios ex Frācis originem ducere, Richoldus illi contrarium probauit, & honeſtius Clodouæo fuiſſe ſcripſit obtemperare decretis Romanorum, quam his violatis Hunibaldum & conſimiles mendaciorum ſcriptores fouere, quos non puderet, gentium origines in præſenti liquidas, in futurum controuerſas facere: Reſtat quintum impedimentū antiquitatibus Germanicis, ex difficultate linguæ: quod cæteris iſtis nō paulo grauius fuiſſe credendum eſt: nam cum vocabulis ac diphthongis quibuſdam inuerſis horrida, & conſonantibus aſpere concurrentibus dura extiterit, contempta ſemper fuit ab exteris gentibus, quod ad percipiendum ac diſcendum difficilis eſſet: Quā

Li.7 cap.10.

Difficultas linguæ Germanicæ.

etiam

etiam querelam hodie vulgarem hic eſſe, negare non poſſumus: Nec enim ſufficiunt ſpiritus delicati, & linguæ molles ad pronũciationem vocũm tam horridarum: Hæc igitur difficultas ſemper deterruit ſcriptores exteros, ne vel Germanos ſcriptores euoluerent, vel ſaltem quæ ab his eſsent mutuati, ſuis authoribus accepta ferrent: Nec enim dignos iudicabant, quos nominarent quorum nominibus auditis fides lectori fieri non poſſet, limatum aliquid ab his expectari poſse, quorum nomina tam impolita eſſent: Conſiſtebat autẽ difficultas illa partim in appellatiuis partim in proprijs nominibus: ſed appellatiua quidem quanquã difficilia eſſent, intellecta tamen interpretationem ſcribentis admittebant. propria nõ item: itaq; cum Virorum, Mulierum, Deorum, Dearũ, Vrbium, Montium, Fluminũ, & conſimilium propria nomina depræhenderent, illi etiam, qui ex profeſſo geographiam aut hiſtoriam ſcripturi erant, hæc aut prorſus omiſerunt, aut ad Analogiam ſuæ linguæ ſic deformarunt, vt nobis iam difficile ſit, his laruam iniectam detrahere: Quantopere Ouidius hac aſperitate ſit offenſus, ipſe teſtatur inquiens.

Nomina ſunt ipſo pene tremenda ſono:

Pomponius Mela homo Hiſpanus, ſed „ *Lib. 3. cap. 3.*
Romanizatus, in deſcriptione Germaniæ „
Montium (inquit) altiſsimi Taurus, & Rhe „

 tico,

Lib.1.cap.2. tico, niſi quorum nomina vix eſt eloqui ore Romano. De lingua Cantabrorum idẽ cõqueritur in deſcriptione extimorũ Hiſpaniæ littorum. Cantabrorum (inquit) aliquot pepuli amneſq; ſunt, ſed quorum nomina noſtro ore concipi nequeant: Itaque ſicuti Mela montes aliquot in Germania, & populos aliquot amneſq; in Cantabria prætermiſit, quod exprimere eorũ nomina nõ potuerit, ita & alij cõſimiliter ob eandẽ difficultatem, rerum Germanicarum tractationem auerſati ſunt, & proinde Scriptores earum contempſerunt: Cæſar autem, Tacitus, Plinius, item Strabo, Ptolemęus, & conſimiles, quo modo ſuæ linguæ analogia nomina Germanorum obſcurarint, quiſquis perſpexit, haud quaquam negauerit, aſperitatem linguæ Germanicis antiquitatibus etiã hac in parte permultum obſtitiſſe: Cõſideratis igitur hiſce quinque impedimentis, mirum videri nulli debet, quod in Germania minus multi Scriptores antiqui reperiantur, quam alibi: & immerito ruditatis & imperitiæ Germani veteres arguuntur, quaſi qui fungorum inſtar nati, pecudum inſtar vixerint, ſine literis, ſine memoria antiquitatis, ſine cura poſteritatis. Cum illi remotis hiſce impedimentis alioqui vel cum politiſsimis nationibus paria hac in parte facturi fuerint, vt qui ea nõ neglexerint, quæ ſine literarum præſidio cõ-

ſer-

ſeruari nequeunt: Patet hoc non aliunde manifeſtius, quam ex ipſo diſcrimine Germanorum. Nam cum hæc impedimenta minus infeſtauerint Aquilonares, quã Mediterraneos, vt ſupra dictum eſt, & proinde plures antiquitates apud Aquilonares reliquæ ſint, quam apud Mediterraneos, etiã inter ipſos Aquilonares quo quæque gens propriùs ad Aquilonem accedit, eo minus fuit obnoxia impedimentis iſtis, & idcirco fidelius antiquitates ſuas cuſtodiuit. Quod quidem cum nonnullis paradoxum videatur, putantibus ad Aquilonem (vt ipſi loquuntur) in aere Craſſo homines generari Craſſos & à muſis ac gratijs prorſus alienos, inſtituti noſtri ratio flagitat, vt id paucis hic diluamus: Inter omnes autem Germanos maxime Aquilonares ſunt Friſii, & hi inter omnes Germanos pertinaciſsime ſuas antiquitates conſeruarunt, quia impedimenta iſta minimè omnium ſenſerunt, vt mox apparebit. Itaque à primis iſtis quatuor impedimentis ſine controuerſia liberrimi, ſtrennuam operam ab initio nauarũt ſemper in omni facultatum genere, vt cedro digna cuderent, quo declararent ſibi nec ingenium deeſſe nec induſtriam in literarum tractatione, quæ vel ad liberales artes, vel ad politiam vel ad Religionem pertinerent: Quod tamẽ quo minus mũdo hactenus innotuerit, in cauſa fuit ſingularis aſ-

peritas linguæ, ex qua Friſij longe plus incommodi ſenſerunt quam Germani reliqui: Friſica enim lingua non modo ſic diſcrepat à reliqua Germanica, vt à vicinis etiam Germanis non intelligatur, ſed præter difficultates iſtas ſupradictas, quas cum reliqua Germanica communes habet, etiam inſuper habet alias quaſdā peculiares ſuas: Crebras dico, vocalium contractiones, & conſonantium ſyncopas, & ecthlipſes: Quæ quoniam ſunt ad pronunciandum valde difficiles, paucißimi reperti ſunt hactenus exteri etiam Germani, qui eam perdiſcere potuerunt: Hinc igitur propria noſtratiū nomina etiam à vicinis noſtris ob inſolentiam ridentur, non modo in natiua lingua Friſica, ſed etiam in Latina, ſi vtcumque ea colorata ſint. Abhorrent ab his etiam Typographi, quod hæc operis eorū multum faceſſant negotij: Abhorreret ab his, ſat ſcio, Pomponius Mela non minus, quam ab iſtis Cantabricis: Sunt enim Cantabrica iſta ni fallor, plane Friſica: Nam cum Schottus noſter qui Friſonis ex filio Scoltone nepos fuit, ex Friſia Coloniam ducturus in Schotiam, aliquantiſper in Cantabria verſaretur multos ex ſuis inibi reliquit, qui familias & poſteritatem condiderunt, & nomina locis intulerunt, quæ ipſis vſitata erant, ſicuti latinis declarauimus in Colonijs Friſiorum Vtcumque hoc ſe habet, qualia tandem in genere

genere noſtratium nomina ſint, præſens hic liber copioſe declarabit: In quo multa eſſe non negamus, quæ minus delicata ſunt, nulla tamen eſſe putamus tam horrida, vt ipſo ſono tremenda ſint: Et ſi maxime ſint, cum tamen hic tremor mortem nõ incutiat, ſi quis ſolidas ac veras Germaniæ antiquitates cognoſcere deſiderat, is hoc tædium qualecunque libenter contemnet, quod ex authorum nominibus percipiet, modo à Friſijs eas petendas eſſe intelligat: Friſij enim eas præ cæteris Germanis non modo Mediterraneis, ſed & Aquilonaribus quoque omnibus, & maxime vetuſtas, & maxime illibatas ſuppeditare poſſunt: Cum à quatuor impedimentis germanicis iſtis (vt antea dicere cœperamus) magis liberi fuerunt, quam Germani reliqui: Primum enim gentium migrationibus minime omnium vexati ſint: Cum à primo aduentu ſuo hactenus, hoc eſt, integris mille nongentis annis ſedes eaſdem quas nunc in colunt, continue poſſederint: linguam etiã eandem ab initio hactenus conſeruarunt: Nam cum Sueuis partim bello partim pacto ſubactis, in prouinciam ſuccederent, linguam Sueuicam exoticis quibuſdã, hoc eſt, Indicis ac Græcis potiſſimum vocibus mixtam obtinuerunt, quam Friſicam vocarunt, ab antiqua Sueuica modice deflexam: Deinde cum inter Rhenum & Cim-

Penes Friſios ſolidiores Germaniæ antiquitates quam alibi & quare.

bricam

bricam Cherſoneſum toto tractu ad Septentrionem mari ad auſtrum viæ Regiæ tuendæ ab Ordinibus Germaniæ præfecti eſſent, & eo nomine ab omnibus oneribus publicis immunes conſtituti, ſuis finibus tuendis intenti gentium exterarum incurſu linguam non mutarunt: Quin potius vt eam incorruptam conſeruarent, Rhetras quaſdam contexuerunt vocibus quibuſdã vocalium & conſonantium aſperitate notabilibus difficiles, quibus pereginos ab indigenis diſcretos, poſt certa tẽporum ſpatia ſubmouebant, ne diuturniori conſuetudine ſuã linguam vitiarent. Quod ſtatutum durauit vſque ad Carolum Quintum. Eo effectu, vt in primæuo vigore linguam friſicam conſeruauerit: A qua reliquæ germanorum linguæ ob diuerſarum gentium immixtiones tantum degenerarnnt, vt ex cæteris germanis nullus Friſicam linguam nunc iutelligat: Friſica autem iſta lingua, de qua loquimur, poſt Carolum Quintum multum luxata eſt, introducta in curias lingua Belgica: Porro autem ex characterum immutatione nihil incommodi ſenſerunt, cum non alijs vſi ſint, quam primum græcis, ac deinde latinis: Nec Vero pœnis vnquam, vt cęteri germani, aſcribendo deterriti ſed in contrarium, præmijs ad ſcribendum prouocati ſunt: vt alibi latius diximus. Quæ cum ita ſint, res ipſa loquitur, Friſiorũ anti-

antiquitates eſſe non modo vetuſtiſsimas, ſed etiam ſynceriſsimas, vt, quibus non modo legitime adnotandis, ſed & diligenter conſeruandis debita cura publicè adhibita fuit: Quocirca ſi quis hiſtoriæ Germanicæ ſtudioſus, horrore aliquot nominum propriorum à cognoſcendis hiſce Friſiorum antiquitatibus abſtineat, is ſatis declarat, ſe voluptatem potius in literis ſectari quã vtilitatem: Eo magis, quod omnis horror hic, de quo loquimur, in proprijs aliquot nominibus conſiſtat: Nam cum nos hic non de ipſa lingua Friſica diſcenda loquamur, quã nulli obtrudimus, ſed agamus tantum de Friſiorum antiquitatibus, quę penes earundem Scriptores ſunt, hoc dicimus, nomina propria noſtratum nonnulla eſſe horridiora, quã vt ad mollitiam analogię latinę facilè conformari queant, nec tamen omnia apud nos nomina tam horrida ſunt, ſed ea tantum, quæ origine vetuſtiſsima ſunt: Quatuor enim generum nomina apud nos ſunt, dilucidis interuallis viciſsim in vſum recepta: Primi generis ſunt, quæ Conditor noſter aduenienſ huc importauit antea incognita, qualia ſunt Vitho, Scholto, AEſgo, Ida, Hylla, & conſimilia: Secundi generis ſunt Sueuica, quæ popularia tota Germania tũc erãt, cum ille adueniret, qualia ſunt Vilhelmus, Folcardus, Conradus & ſimilia: & in his duobus generibus omnis difficul-

tas

tas ſita eſt: Tertij generis ſunt, quę mutuati ſumus à Romanis familiaritate cum his cõtracta poſt expeditionem Cimbricã qualia ſunt, Lollius, Liuius, Gellius, & cõſimilia: Quarti generis ſunt, quæ accepimus à Diuis poſt natum Chriſtum, qualia ſunt, Petrus, Paulus, Andreas & cõſimilia: in quibus duobus poſterioribus nulla difficultas eſt. Vnde conſentaneum non eſt hominem ſtudioſum ob tantillas difficultates, quæ ex duobus prioribus generibus emergere poſſunt Omnibus antiquitatibus Friſicis renunciaturum eſſe: Quanquam igitur quinque ſupradicta impedimenta effecerint quod in Germania tam pauci Scriptores veteres reperiantur, alibi tamen plures alibi pauciores ex his deſiderantur. Non defuiſſe interim primis etiam temporibus in Germania Scriptores, arguit antiquitatum ipſarum hactens conſeruata memoria quæ ſine ſcriptorum opera conſeruari non potuit: Vtriuſque huius rei prę́ſens documentum ex Friſia noſtra ſuppetit: Fuiſſe enim primis tẽporibus apud nos ſcriptores, declarant idonei teſtes antiquitatis hactenus cõſeruati. Conditor gentis noſtræ Friſo Dryides diſciplinæ publicæ præfecit, vt ſupra diximus, quibus ſedem aſsignauit, in ciuitate, quæ nunc Leouardia vocatur, tunc autem ex ipſa doctrina & Antiſtitum reuerentia Aula Dei appellata eſt: Horum ſuc-

ceſſores pleroſque omnes à primo inde exordio ad Carolum vſque Magnum continuata ſerie Sapientum titulo nominatim hoc opere recenſemus, & quid eorum quiſque ſcripſerit, commemoramus: Hinc igitur apparet, apud nos vtcum que conſeruatos eſſe Dryidum Sriptores qui alibi aut nulli aut pauci extant: Deprӕhenditnr etiam manifeſtus error Cӕſaris, qui ſcripſit in Germania Dryides non eſſe, cum & Friſia vtique pars Germaniӕ ſit, & in reliqua etiam Germania Dryidum veſtigia extare Althamerus teſtatur: Ipſeq; Tacitus Dryidum officia Germanorum Sacerdotibus attribuat: Nec enim refert quo nomine vocentur, modo ijdem eſſe intelligātur, qui in Gallia Dryides, in Germania Sacerdotes, in Friſia ſapientes dicti ſunt: Pluribus enim & diuerſis prouincijs eos habitaſſe, neque Gallia ſola circūmſcriptos fuiſſe, ſatis declarauit Cӕſar Tiberius, qui eos Roma eiecit: Conuincitur hinc etiam non tū demū Dryidas in Germaniā veniſſe, quod quidam putant, cum per Caium Cӕſ. Gallia eijcerentur: Nam apud Friſios amplius trecentis annis ante natum Chriſtum à Friſone noſtro inauthorati ſunt, & in reliqua Germania diutius eos fuiſſe, inde conſequitur cum iſtinc ad nos acciti fuerint. Hinc igitur, deprӕhenditur Scriptores tot ſӕculis in Germania fuiſſe ante aduentum Roma-
norum

norum: Quod quidẽ ſi quis ideo minus credit, quod Cæſ. ſcribit Dryidum doctrinam ſecretâ fuiſſe, & ex ea nihil fuiſſe proditũ in vulgus, is primũ ex facto noſtrorũ diuersũ intelligat, quorum ſimiles & alij vbique extiterunt. Deinde verba Cæſaris non ſiniſtra, ſed dextra manu excipiat: Primum enim cum Dryidibus nefas eſſe aſſerit ea literis committere, quæ adoleſcentibus clam tradunt, hoc dicit, ſecretam hanc doctrinã, nullo modo publicari. Scripto autem inter Profeſſores ipſos contineri, nuſquam negat: Alioqui enim Senioribus magiſtris ſubinde morientibus, procliuis eius eſſet obliuio, niſi prædiceſſorum monumentis ad ſucceſſores continuaretur: In reliquis autẽ rebus publicis priuatiſque rationibus ſcripto eos vti teſtatur ipſe Cæſar, neque poſſent vlla quantumuis tenaci memoria res tam diuerſæ, tam arduæ diu ſuſtineri, niſi literis committerentur. Quæ quidem cum ita ſint, nos hoc opus de Scriptoribus Friſię duabus de cauſis hoc tempore edendum rati ſumus: Primum vt appareat nobis rerum à maioribus noſtris geſtarum Scriptores ab initio hactenus non defuiſſe. Deinde vt plenius hinc demonſtremus originem & antiquitatem, quam noſtratibus antea aſſeruimus, veram eſſe ac ſolidam: Itaque exorſi ab ipſo Friſone gentis noſtræ Archego, Scriptores omnes noſtrates, quos inuenire

nire potuimus vſque ad hanc ætatem hic congeſsimus, complexi à principio ad finẽ annos intermedios mille nongentos: Ex quo indubitata conſequentia patet, tanto temporis ſpatio diſciplinas illas eſſe cultas in Friſia, quas hi Scriptores tradiderunt: Diſtinximus autem Scriptores ipſos in Decades, memoriæ gratia, quo facilius Lector inueniat, ac retineat, quod cupit: Interim etiam ordinem temporum in deducendis hiſce ſcriptoribus diligenter adnotauimus non modo vt ætas cuiuſque ſcriptoris in promptu eſſet, ſed etiam vt doctrinæ viciſſitudo, quæ non ſemper eadem fuit, ſuis ætatibus euidenter diſcreta haberetur. Fatemur autem numerum hunc ſcriptorum, quos proferimus, perquam exilem eſſe, ſi cõſideremus tot ſęcula quibus collecti ſunt Sed non dubitamus his longè plures vel iniuria temporum prorſus intercidiſſe, vel adhuc alicubi in ſitu ac puluere deliteſſere, quorum aliqui forte vel ad noſtras, vel ad aliorum manus aliquando venturi ſunt: Et cogitandum eſt, hoſce, quos hic damus, collectos eſſe ex vnica gente Friſonica, eaque non tota, ſed illius vna tantum parte illa, quę inter mare Hollandicum & Amiſin fluuium degit, paucis tantum exceptis: Non diſsimulamus autem præter hos, etiam & alios nonnullos ex recentioribus ad notitiam noſtram perueniſſe, quos ideo hic referre

ferre non potuimus,quod de operibus eorum non ſatis fuerimus inſtructi, quos pro inde appēdici reſeruamus:Nonnullos tamē hic recenſemus ex vetuſtioribus quorum ſcripta inuenire nō potuimus,vt ad indagādum Lector incitaretur: Ideoque admonitos ac rogatos noſtrates omnes volumus vt nobis in hoc inſtituto noſtro ſuppetias ferant,mittendis authorum nominibus, & operū quæ ſcripſerunt, cathalogis: Hoc enim in primis ad communis patrię laudem facit,ſi quam plurimi extiterint.qui in cultura ſapientię verſati induſtria ſua declarēt homines etiam apud nos eſſe natos: Neque Brutorum more omnes ſomno ciboque tēpus omne contriuiſſe: Viſis autem his ipſis Scriptoribus quos nunc adferimus, Candidus Lector euidentiora & ſolidiora documenta capiet de antiquitate & origine Friſiorum quam dudum: Cum hi vel eos Authores citent, quibus extra controuerſiam debetur fides, vel rationē antiquitatis reddant, quæ indubitata veritate nititur. Res paucis exemplis illuſtranda eſt: Originem gentis Friſonicæ ad Patriarcham Semum Noæ filium alibi reduximus. Viſi ijs authoribus quos in opere de origine Friſiorum allegauimus:his igitur fidē augent allegati Indicarum rerum Scriptores Patrocles ac Megaſthenes,qui Ragaui originem à Semo & eiuſdem poſteritatem ad Friſonem deducunt

ducunt, vt in Aluino Snecano videre eſt, quem Lector hoc opere habet Dec. 8. c.3. Cornelius Tacitus annalium primo refert à Romanis militibus euerſum eſſe celeberrimum illud templum in Marſis, quod Tã fane vocabant. Cuius templi hiſtoriam nemo eorum hactenus eſt aſſecutus, qui Tacitum explicuerunt: Eam Aluinus ſupradictus ibidem ita deducit, vt, qui legerit, nullo modo dubitare poſsit, ea quæ nos de origine, patria, & aduentu Friſonis diſſeruimus, eſſe veriſsima: Teſtamentum Friſo conditurus, conuocatis, quos habebat, ſeptem filijs, præter cætera quæ mandauit, concordiam enixe commendauit, quod ea ſeruata inuicti forent, violata autem Danis & alijs finitimis in prædam ceſſuri eſſent. Quod vt eorum animis altiùs infigeret, ſeptem ſagittas in faſciculum colligatas ſingulis viciſsim obtulit, vt frangerent: Quod cum eorum nemo poſſet, exemptas & reſolutas, ſingulas ſingulis frangendas dedit: Quod cum ſinguli facillime feciſſent, hic eſt (inquit) typus concordię atque diſcordiæ, cuius vos memores eſſe volo: Memorabilem hanc ſapientiſsimi patris admonitionem filij grati ac morigeri, non modo viuis verbis ad filios ſuos, ſed ſcriptis quoque ad poſteros tranſmiſerunt: Vnde & frequentes etiam ſcriptores repetitam longè latèque celebrarunt: Adeoque poſteris ob memoriã Prin-

cipis placuit, vt paſsim ædificijs ſacris & prophanis alijſque monumentis publicis & ad extremum etiam pecuniæ publicæ inſculperetur: quemadmodum & in moneta ordinum Friſiæ, & in Regalibus Hiſpanicis hodiè videmus: Hoc ſymbolum cum recentiores quidam à Græcis Scytharum Regi attributum vidiſſent, nec meminiſſent Plinij ac Strabonis, qui Friſios vna cum cæteris Germanis Scythas olim dictos eſſe ſcribunt, ignorarent etiam Friſios quondam habuiſſe Reges, veram ſymboli originem obſcurarunt, & Scytharum quendam Regem allegant, cui ſymbolum hoc ineptiſsimè attribuunt: Cũ hic octuaginta filios habuiſſe dicatur, & Friſone noſtro multo fuerit recentior. Sic vt ſymbolum errore Schythici nominis à priori ad poſteriorem trãſlatum, & ipſius faſciculi mole ineptum depræhendatur: Iam ab ipſo Friſone vſque ad Carolum Magnum, qui Principes, qui Duces, qui Reges, & à Carolo Magno vſque ad Carolum Quintum, qui poteſtates, & deinceps, qui Domini in Friſia rerum viciſsim potiti ſint, qui etiam toto tempore in alijs Principatibus æquales his extiterint, & quid ab his, & ſub his memorabile ibidem geſtum ſit, Scriptores hi, quos proferimus, ſuo quique ſæculo, quo vixerunt veluti teſtes oculati, diligenter ac fideliter adnotarunt: Vt horum teſtimonijs vnani-
mis

mis conſenſus tanto temporum interuallo continuatus rerum geſtarum veritatem nobis indubitatam repræſentet: Eodem modo de Columnis Herculis, quas Tacitus apud Germanos collocat, itemque de Rheni brachijs, & alijs Germaniæ fluuijs per Friſiam in mare Septentrionale decurrentibus, pluribuſque alijs conſimilibus antiquitatibus, quę in Friſia ſunt, ſentiendũ eſt, quas noſtrates vt res patrias tenent, & ſolidè explicant: Denique & Vitas, & Schotos, & Vbios, Heluetios, & Heſſos, & Frieſlandos, & Anglos & Abyſsinos, & quoſdam alios populos. de quorum Origene diſceptatur Friſiorum Colonos eſſe, euidentiſsimis rationibus demonſtrant: Quibus proinde recta bilace ponderatis de vetuſtiſsima ac ſolidiſsima Friſiorum antiquitate dubitare nemo poſsit. Ideoque operam dedimus vt ſcriptores hoſce diligenter in lucem erueremus, & erutos operi de antiquitate & origine Friſiorum proxime ſubiũgeremus: vt Lector certus ſit, nos idoneis teſtimonijs ea quæ tradidimus ab initio ad finem fulcire poſſe: Non puto autem mihi vitio verſurum eſſe quenquã, quod Damiano de Goes Gerardo Geldenhaurio, Hermanno Hamelmanno, & alijs quibuſdam laudi datum eſt, qui illuſtres patriæ ſuæ ſcriptores conquiſitos in lucem ediderunt, ijſdem nimirum cauſis, quibus & nos moti: Quocirca

nos non modo noſtrates, vt ſupra ſed & omnes Germanos hortamur, quin potius obnixè rogamus, vt pari conatu ſcriptores patrios ſcrutentur & in publicum eruant. Minus enim obnoxia eorum ludibrijs Germania erit, qui veteres Germanos nihilo cultiores prope fuiſſe, quam ſues, ſcriptis etiã publicis nugantur, ſi ſinguli populi prolatis ſuis declarent id falſum eſſe, & conuincant, etiam homines fuiſſe, ex quibus ortum ipſi ducunt. Etſi enim nõ omnibus tãtundẽ ſuccederet, tamen ſingulis idem tentantitibus aliquid ſuccederet: Et eſſet quidem doctiſsimo hoc ſæculo res ea factu perfacilis, cũ nulla ſit hodie in Germania prouincia, quæ non aliquot Scriptores egregios habeat: Qui proinde ſi vel proprio motu, vel Mæcenatum ſubſidio fulti, patriæ ſuæ hoc obſequium præſtarent, gratiam maiorem pro ortu ſuo illi referre nullam poſſent.
Colonienſium vicini Leodienſes Germani quidem non ſunt, ſed tamen ſub Imperio Germanico ſunt, multiſque rebus terra marique præclare geſtis coniuncti ſunt cum Friſijs. Habentq; earundem ſcriptores, vt & peculiarium quoque ſuarum, & aliarum item, quas cum alijs finitimis & exteris nationibus communes habent: Hos igitur (cũ plerique ſplendidiſsimi ſint & patriæ ſuæ ſummo honori eſſe poſſent) in vnum à nemine hactenus collectos eſſe, equidem val-

de

de miror,& pro noſtra amicitia, vt ipſe hãc prouinciam caperet, non ſemel hortatus ſum Clariſs. V.I.C & Hiſtoricum D. Ioannem Politum Leodienſem, qui pro ſingulari eruditione ſua & diutino ſcribendi vſu pręclare id facere poſſet, vt & facturum eſſe adhuc ſpero: Friſijs ab Oriente proximè vicini ſunt Hollandi, quos aliqui etiam Batauorum nomine complectuntur: Horum ſcriptores illuſtres collegit Gerardus Geldenhaurius, ſed multos omiſit: vidimus elegans in hoc genere ſcriptum doctiſsimi viri Iacobi Heſij, qui & Amorsfordienſes, & Vltraiectenſes, & Hollandicos ſcriptores collegit, qui hanc Spartham optimè ornare poſſet: In cuius defectu poſſent & Hiſtorici harum gentium clariſsimi Cornęliſſonius Bockenbergius, & Pontus Heuterus: Friſios noſter Tranſamiſanos vſque ad Danomarchiã colligere præclarè poſſet, Strantfriſius noſter Albertus Meierus. Nec minus digne tractare porro gentiles ſuos poſſet Chriſtianus Cilicius Cimber: Saxonicos ornabit Petrus Lindebergius, Miſnenſes Petrus Abbirus, Turingicos Matthæus Dreſſerus: qui quantum in hac palæſtra valeat, nos olim Erphordiæ coram vidimus, & ex Ioſiæ Simleri Bibliotheca recordamur: In cæteris Germaniæ nationibus, quas omnes hic ſingulatim recenſere longum foret, conſimiliter multos eſſe, qui pa-

triæ ſuæ gratiam hanc referre poſſent, equidem non dubito: quos proinde rogatos volo, vt etiam id faciant. Digna eſt hæc res pijs Principibus, & prouinciarum ordinibus, & magnarum Ciuitatum præfectis, vt propoſitis præmijs eruditos inuitent, vt illuſtres patriæ ſuæ ſcriptores in lucem eruant & ab interitu vindicent, ex quorum teſtimonijs ordine legitimo digeſtis origo populi, familiarum illuſtrium ortus ac ſucceſſus, Caſtrorum & Vrbium fundationes, Iura & Priuilegia Ciuium, Reipub. ornamenta ac ſubſidia, Bella item, pericula & cætera incõmoda diuerſis temporibus intentata: Maiorum denique pro his ipſis vel arcendis ac propulſandis res qræclare geſtæ, non modo cum voluptate ſed etiam cum vtilitate ſumma percipiuntur: AEternam laudem, ſempiternamque gratiã hac in parte noſtra ætate promeruit omni ſæculo ſuſpiciendus. Ampliſs. ac nobiliſs. Vir Henricus Ranzouius Prorex Daniæ. Qui non modo Viros eruditos præmijs liberaliſsime excitat, ſed & ipſe quoque ſcriptis ſuis doctiſsimis operam ſtrennuam nauat: Et quanquã politicis, imò & regalibus quoque negotijs infinitis diſtrictus ſit, nihilo minus tamen & Daniam & Saxoniam ſuam aſsidue exornant: Cui nihil magis cordi eſt, quam vt antiuos patriæ Scriptores vndecunque conquirat, & extructis Bibliothecis conſecret

inte-

interimque horum ſubſidio antiquitates deſideratas in lucem proferat: vnde iam non modo Saxonicæ genitis origo verior quam dudum,ſed & illuſtres familiæ certius cognoſcuntur,&maiorũ facta præclara commodius explicantur, & apparet etiam antiquitus in Dania atq; Saxonia natos eſſe viros eruditione, prudentia, fortitudine conſpicuos: Quorum virtus non alio, quã authorum defectu obſcurata iacuit,cum illi qui eam poſteritati commendarant, ipſi in tineis ac blattis deliteſcents lucẽ hactenus non viderint,quam nunc tandem deb ent Ranzouio: Paulo prolixius hæc præfatusſum Mæcenates Candidiſsimi,vt cauſam explicarem cur hoc opus operi de Origine Friſiorum proxime ſubiunxerim:Deinceps iam quæ reſtant, facilius ac citius, Deo fauente,expblicabo.Coloniæ 21.Augusti anno 1593.

Nobiliß Conſultißimæq; Amplit.veſtræ

Famulus dediſentiſsimus,

SVFFRIDVS PETRVS *Leouardienſis:*
V.I.C. Hiſtoricus Friſiæ, Canonicus ad SS. Apoſtolos.

EPIGRAMMATA, CLARORVM VIRORVM IN SVFFRIDI PETRI, V. I. C. LIBRVM DE VEteribus recentibuſque Friſiæ Scriptoribus.

Iani Caroli A'nobardi ab Yſinbardia.

EN iterum redeunt Friſicæ ſua lumina genti,
Quæ fraudata ſuo fuerat tot honore per annos:
Nunc iubare exorto, tandem caligo fugatur,
Quæ prope Lethæis populum demerſerat vndis.
Quo nec erat validis præſtantior alter in armis,
Nec magis indocilis famulo dare colla capiſtro,
Proq; focis patriæ caput obiectare periclis
Promptior, & mortem merita pro laude paciſci:
Quo ſe plura tuis debere laboribus iſtis
Patria Suffride agnoſcit tua, nempe quod index
Ipſe ferè extiteris, (quæ gloria maxima) ſolus
Scriptorum Friſiæ, & geſtorum præco canorus:
Namq; negare tua haud tu pro pietate volebas
Vlterius (præſtare tuis pro ciuibus vnus
Et patriæ officium poteras) hunc nempe fauorem:
Quandoquidem paucos habeat quod Friſia tecum
Qui valeant ſtudijs contendere, & arte magiſtra
Scribendi hiſtoriam, & ſibi demeruiſſe nepotes:

Efficit eximia hæc tua nunc doctrina, per omnes
Illuſtris populos, dubio certamine quæ non
Romulidas tantum, ſed Graios prouocat omnes,
Nec poſuiſſe modum pugnæ cuiquam illa veretur.

Liuini de Succa G. Doctoris & Equitis.

MActe animo, Suffride, pio, tibi patria grates.
Grata refert, claris annumeratque viris,
Ipſi te Manes, ignotæq; hactenus vmbræ
Priſcorum merita laude & honore colunt:
Quod tantis vno Scriptoribus ampla libello
Iuſta facis, dignum reſtituiſque decus:
Viuite fælices animæ queîs munere Diuum
Altera Suffrido vindice vita datur.

Io. Matalij Metelli Sequani vtriuſque I.C. Dialogiſmus.

QVænam age turba virûm, quam conſpicor? Illa Sophorum eſt;
Sunt Friſij veteres, ſunt Friſiique noui.
Cur pallent? Stygiæ remeant de ſedibus oræ.
Quo properant? patriam viſere quiſque ſuam:
Quis præit his? Themidos Suffridus in agmine ductor
Ecquid concipiunt pectore? Grande Sophos:
Grande ſophos, quale ſcriptis abſiſtit ab illis,
Quæ ſæclis viuent innumerabilibus,
Sic: quos atra dies lethæis merſerat vndis,
Candida lux auris reddidit AEthereis.

Caroli

Caroli Vtenhouij.

R Odolphum Hermoleos Venetorũ gloria laudat
Barbarus Agricolam, Friſiorum nobile germen:
Nomen & illius priſcorum laudibus æquat,
Quos gremio latiuumue ſuo vel Græcia fudit.
At Petrum vnanimi celebrant modo voce Sufridũ
Tergemini en Cygni, Yſenbardus, Succa, Metellus:
Carolus accedit quibus Vtenhouius anſer.
Qui tantum Agricolæ canit hunc præſtare Sufridum
Hermoleo quantum Batauorum numen Eraſmus:
Nam ſi vitam alijs dare quam ſibi, dignior res eſt,
Agricola ille ſibi Friſius vitam dedit vni,
Pluribus at vitam Friſiis dedit iſte Sufridus.

Ioannis Politi Leodij Art. & I.V.D. ac Ser. Elect. Col. Hiſtorici.

L Acteus attentas delectat ſuauiter aures
Liuius, Auſoniæ dum fera bella refert:
Nec malè ſublimis narrat ſua prælia Cæſar.
Cum fuerat Gallos poſſe domare labor.
Horum ſcripta quidem nunquam peritura legentur,
Ad mores faciunt nil tamen illa bonos:
Nam quibus auſpicijs Roma potentia creuit,
Quæque tulit duro triſtia Marte ferunt:
Quis vero extollat tam multo ſanguine geſta
Bella? quis & vanæ Relligionis opus?
Non ita is Suffride agitat te gloria, non te
Nominis æterni ſplendida fama mouet.

Sed

Sed patriæ virtutis honos, tua ſola voluptas.
Doctaq; magnorum tot monumenta Virum:
Quis putet Arctoo ſolem inſeruire, polumq;
Vt toleret pallas poſthabuiſſe Pharum?
Mutant cuncta Vices ſed & omnibus obuia terris.
Natura ex Vno traduce dona fluunt.
Cernis vt oceani modicus tot lumina tractus
Porrigat, vtq; ſuum ſpargat in orbe Decus?
Sed quis erat dignos meritis qui ferret honores?
Non debet virtus laude carrere ſua:
Hoc ſuffride tuum, patriæ te friſo decorem
Suſpicit, atq; tuo gaudet ab ore cani.
Tu Themidis phœbiq; decus, tua gratia ſumma
Iungere Romanis pallia græca togis:
Erige ſublimes fœlix modo Friſia vultus,
Diceris ingenijs terra beata tuis
Clarior inde tibi Leonardia gloria ſurget
Sc tua & authoris fama perennis erit:

Gauconis ſeptem ſyluani Friſij. Canonici Aquenſis & Seren. Philippo, & Ferdinando, Bauariæ principibus, A Secretis:

Scriptorum referant alij primordia gentis,
Siue tua latinm, Græcia ſiue tuæ.
Nil Italis, nihil eſt penitus quod Friſia Graijs
Inuideas, Petrum, qui tua pandat habes:

Antiqua

Antiquum decus ille tuum, monumenta tuorum,
Arte vel ingenio, qui viguere refert:
Sic tibi grande venit Suffride vindice nomen
Ipſum honor & patriæ ſcilicet vrget amor:
O fœlix! eſt cui patriæ iuſtiſsima clari
Cauſa laboris amor, fructus amoris, honor.

Arnoldi Manlij Gandenſis, Medicinæ Profeſſoris.

IVnctus hic authorum veteri nouus, ordire longe,
Scire cupis Lector, quis ſit & vnde, chorus?
Aſpice Teutonicum Friſios genus, arma minantes
Chartea pro ferro Roma ſuperba tibi.
Vi patres, calamo prompti certare nepotes:
Maius ab ingenio ſurgit & arte, decus.
Verba dabat Rhetor Latius, finxere Poëtæ:
Nec ſolus mendax Græcus in hiſtoriâ.
Non impune feres ſolitos vrbs Romula fucos:
Non niſi fit vero vindice, tuta fides.
Erras, ſi Friſiis rerum monumenta ſuarum,
Si ſua Germanis ſcripta deeſſe putes:
Lux ſuperat veri: Scriptores fama per iſtos
AEqua volat rebus, nec niſi certa probat.
Cimmerijs, Orci Suffridus nocte ſepultos,
Eruit è tenebris, reſtituitque Ioui.
Non potuit tantum Minos, non AEacus olim.
Nec ſoboli Maiæ tam ſua virga potens.
Quo non dexteritas, quo non prænobile magni
Pertigit ingenium, cura, laborque viri.

Quis

Quis credat reduces rediuiuo carcere mentes?
Itque animas vno tot remeare choro?
Sunt ſua barbariæ, ſunt & ſua tempora Muſis:
Et locus, & genius vertitur ipſe loci.
Græcia quæ quondam fuerat, iam Græcia non eſt:
Quamque vides cultam barbara terra fuit.
Cuncta nouat fluitans æuum: variantur in horas,
Alternantque vices reſque homineſque ſimul.
In Friſia Latium: Leouardia migrat Athenas:
Fit Friſo vir Samius, fit Maro fitque Plato.
Dicite cuſtodem morum ritusque vetuſti
Suffridum, Friſiæ, turba nouena, Deæ.
Hunc recinat conſtricta pedes, pedibusque ſolutis
Inuehat Arctoo Belgica Muſa polo.
Teutonis ora ferat meritas pro munere grates,
Nec taceat facti præmia, Græca Charis.
Tu quoque depoſita quæ vel tua maxima virtus
Inuidiâ, tellus dicta latente Deo.
Vindicijs veri dederis cum gramine quercum,
Sic tua nec Cimber, Teuto nec arma premat.
Autorem, ſyluæ reboent ædeſque viæque.
Hunc vates, toto quotquot in orbe, canant.
Gloria Teutonici dum Cæſaris alma manebit,
Dum Boreas Friſios frigidus vret agros,
Nulla decus gentis memori lux eximet æuo,
Atraúe Suffridi nox teget vlla chorum.

Simonis Toelmanni Pomerani,
V. I. C.

NOn ſat erat veterum forti res Marte peractas
Condere quos olim Friſia clara tulit;

Nec

Nec ſat erat, priſca fuerit quæ gentis origo
Pandere, ſera nihil fata morante libro
En quoq; ſcriptores primis Suffridus ab annis
Friſiadas repetit, luce beatq; noua:
Nunc tumido Italia ore tuos, nunc Græcia iacta,
Scriptoresq; ſuos Friſiam habere nega:

Authoris ad Poſteritatem.

ACcipe Poſteritas maiorum ſcripta tuorum.
Quæ Primo repetita vides a Principe noſtro
Friſone continuos nongentes mille per annos:
Pauca quidem fateor noſtro producta labore,
Si ſpatio reuoluta notes tot ſecula tanto:
Sed tamen hoc ſpatio quam multa abſumere tempus
Quiuerit, & Friſiciis graſſans creberrima terris
Eluuio, qam multa feris incendia flammis,
Et quam multa truci Mauortia bella tumultu
Atque etiam iunctis incomoda cætera blattis.
Abſtulerit, quæ barbaries tam longa negarit,
Qui ſecum reputat, nō is fortaſſe negarit,
Plura ſuperſtitibus tenebras ſubiiſſe perenne?
Aut, qui nunc olido marceſcunt puluere forſan
Et latitant, alias meliori ſydere nobis,
Aut alliis. promptos ſe dedere poſſe libellos:
Quicquid fors dederit, quicquit Fortuna negarit
Tu pia poſteritas hac ſpe ſubixa futuros,
Exemplo properes noſtro ſtimulare nepotes,
Vt Veterum monumenta patrum neglecta tot annis
Fortiter ex tenebris in apertum aſſerta reducant.

Et

Et merita donent in publica commoda luce:
Hac ratione pios ad ſidera tollere manes
Maiorum poterunt, dum Cedro digna locuti,
Ingenium ſcriptis, ingenti ſcripta nitore,
Vſibus haumanis hi commendaſſe probatur:
Hac ratione etiã poterunt abſtergere dudum.
Quæ quidam patriæ, nectunt abbrobria noſtræ
Barbariæque notam ſatagunt aſpergere fœdam:
Nam patet hinc, priſco noſtris maioribus æuo,
Artes ingermuas, leges & bellica iura,
Et quæcumq; docent ſacro gymnaſia ritu.
Complacuiſſe ſatis non, harum munere rerum
Cedere Romanis noſtros, non cedere Grayis:

SVFFRIDI PETRI LEOVARDIENSIS DE SCRIPTORIBVS FRISIAE.

DECAS PRIMA.

I. FRISO.

Ante natum Christum.

FRISO Friſonicæ gentis conditor fuit. Eius originẽ vitam & res geſtas tradidimus Annalium Friſicorũ libro primo, & in ijs tribus libris quos de origine Friſiorum conſcripſimus & in Strena quam ad ordines friſiæ ſcripſimus. Hoc opere, quod ſcriptoribus friſiæ peculiariter deſtinauimus, ſcripta eius paucis recenſebimus, quatenus ad notitiam noſtram peruenerunt: Scripſit autem itinerarium vitæ ſuæ quod niſi temporum iniuria intercidiſſet pleniſſimã haberemus noticiam actorũ omnium huius Principis, quorũ nunc veſtigia quædam Rhytmis ſuis conſeruauit. M. Aluinus Snecanus de quo infra hoc opere ſuo loco dicturi ſumus. Scripſit etiam teſtamentũ ſuũ, in quo filijs potiſſimum agenda omittendaq; præcepit, ad obſeruandam inter ipſos concordiam, & cum finitimis principibus pacem: Cuius etiam veſtigia relucent in ſupradictis Aluini Rhytmis. Scripſit etiam fœdus initũ cum Principibus Germaniæ, cum illi committeretur aggerum refectio aduerſus inundationes maris, & viæ Regiæ tutela aduerſus Sicarios ac prædones. Cuius manifeſtæ reliquiæ ſunt in legibus friſio-

Ante natum Chriſtum. rũ antiquis, quæ friſia lingua excuſæ extãt, & longe aliæ ſunt, quam illæ friſiorum leges, quas cum alijs aliarum Germanicarum gentium legibus publicauit Ioannes Herolt: Scripſit etiam diſtributionẽ friſiæ, qua eam diuiſit pro numero filiorum ſuorum in ſeptem prouincias, quas poſteri Zelandias appellarunt, & vnicuiq; ſuos terminos diſerte præfixit: Cuius rei itidem extant veſtigia clariſſima, in eodem legũ friſicarum libro ſupradicto. Scripſit etiã præterea leges politicas, Iura feudorum, quorum ipſe primus inuentor & author fuit, de quibus tũ apud Heroldum, tum in friſico legum codice reliquiæ manifeſtæ reperiuntur: horũ autem omni memoria apud ſcriptores noſtros extat, inter quos aliqui non modo operũ titulos, ſed & fragmenta integra ex hiſce citant & in medium proferunt: an autem plura ſcripſerit, nobis hactenus nõ conſtat: ſcripſiſſe autem eum hæc lingua friſica, ſed characteribus græcis in præfatione huius operis docuimus, quod idẽ de ſucceſſoribus eius quoq; intelligi volumus, vſq; ad ea tempora quibus Romanorum literæ in Germania inualuerunt: Obijt hic

149. Princeps anno ante natum Chriſtum 149. poſtquam Principatum friſiæ tenuiſſet continuis annis ſexaginta octo. Quo temporis curriculo qui fuerint (quãquã fuiſſe equidem non dubito) in germania ſcriptores, nominatim recenſere non poſſum.

2. ADEL

ADEL Friſonis ſupradicti filius ſecundus Friſiorum Princeps paternas leges renouauit & ſuis adiectis auxit: Acta item fœderum memoriæ mandauit, quæ tum pater ipſius tum ipſe pacis ergo cum

vicinis principibus pepigit, quæ allegantur a Suffrido Sterckenburgio: Tulit etiam conuiuiorum leges, & alias quibus in honeſtorū luſuū exercitijs ſubditi vterentur, quas pleraſq; ex Sicilia tranſlatas eſſe, & in hodiernum vſq; diem vſurpari nos in friſiorū legibus conuiualibus ſuo loco plenius declarabimus: Hic princeps fato ſuo functus eſt anno ante natum Chriſtum. 159. Poſtquam Principatum friſiæ a morte parentis adminiſtraſſet annis continuis. 94. Hoc itidem temporis curriculo nullum reperio nominatim in Germania ſcriptorē, quamq̄ nullos interim extitiſſe, equidem non credā: de reliquis huius Principis actis lector videat Annalium noſtrorum librum ſecundum: ex cuius nomine tota germania in hodiernum vſq; diem nobiles Adelingi & Vam Adel dicuntur.

Ante natum Chriſtum.

159.

3. VITO

VITHO qui & Iutho dictus eſt eiuſdem Friſonis filius fuit, cuius vitam & res geſtas eo operè tradidimus, quod de Ducibus, & Comitibus Equitibus ac Nobilibus Friſiæ conſcripſimus, qui rei bellicæ gloria præſtiterunt, & in vniuerſali Regni Friſonici adminiſtratione non fuerunt. Hic enim quia de friſiæ ſcriptoribus peculiariter agimus, huius principis ſcripta duntaxat cōmemoramus: quæ tametſi multa non ſunt, ingenti tamen ſubſidio nobis eſſe poterant ad res maiorum noſtrorum cognoſcendas. Scripſit enim de friſiorum Colonia in Iuthiam ducta.

Item de bellis ſuis aduerſus Danos geſtis.

Item inſtitutionem Principis.

Ex quibus Danorum, Suetonum, Gothorum, Saxonumq; Scriptores veteres non pauca mutuati ſunt,

Ante natum Chriſtum. *vt ex recentioribus Saxone Grammatico, Alberto Crantzio, & Ioanne magno Gotho apparet: Noſtri certe cum fruſtillatim iſta citant ingenti dolere nos afficiunt quod integra non conſeruauerint, ſed hec eſt iniuria non hominum ſed temporum: An plura ſcripſerit hic Princeps, nobis nundum copertum eſt, qua ætate vixerit ex comparatione patris ac fratris facile colligitur. Mortuus ſane eſt, Anno ante natũ Chri-*
238. *ſtum 238.*

4. HETTO.

HETTO, *qui & Heſſo & Heſſius & Heſus dictus eſt eiuſdem ſupradicti Friſonis filius fuit. Cuius & ipſius vitam & res geſtas in ſupra allegato opere noſtro de Ducibus, Comitibus etc. tradidimus; ideoq; hic tantum de ſcriptis eius agimus: ſcripſiſſe enim dicitur, vt noſtri allegant.*

De origine & ſucceſſu earum gentium quæ Germaniam ſua tempeſtate incolebant.

Item ſingularum earum gentium leges collegit & paternis adhibitis temperauit ac mitigauit: Mor-
230. *tuus eſt hic Princeps Anno ante natum Chriſtũ. 230.*

5. HAIO.

HAIO *eiuſdem Friſonis filius fuit, de quo etiam plenius egimus in ſupra allegato opere noſtro de Ducibus Comitibus, etc. Nam hic eius ſcripta tantummodo indicabimus, ſcripſiſſe enim a noſtris memoratur.*

De Dijs patrijs quos ego indicos intelligo, cum ipſe ex India originem duxerit.

Item de Dijs Germanorum,

Item de Deorum ſacrificijs in Friſia faciendis.

Item

Item de templis, delubris, & altaribus per Friſiã conſtituendis: Mortuus eſt hic Princeps Anno ante natum Chriſtum. 180. Ante natum Chriſtum. 180.

6. SCHOLTO.

SCHOLTO *ſiue Schelto itidem Friſonis filius fuit, qui ſcripſiſſe perhibetur. De re militari. De exercitijs Gymnaſiorum. De conditionibus ſalui conducti. De coercendis maleficis. De tuenda via Regia. De Friſiorum Colonia in Scotiam ducta.*

Quæ ad vitam, & res geſtas huius Principis pertinent, ex ſupra allegato opere de Ducibus, Comitibus, &c. Lector petat: Obijt hic Princeps Anno ante natum Chriſtum, 176. 176.

7. GAILO.

GAILO *etiam Friſonis filius fuit, de quo itidem inter Duces, Comites &c. in opere ſupra allegato plenius locuti ſumus. Hic ſcripſit vt noſtri citant ac referunt. De reficiendis aggeribus.*

De nonnullis alijs quæ ad arcendas inundationes maris pertinent: Obijt autem Anno ante natũ Chriſtum, 169. 166.

8. AESGO.

ÆSGO *itidem Friſonis filius fuit de quo etiam inter Duces, Comites, &c. in opere ſupra allegato plenius tractauimus. Hic de ſcriptis eius dicendum nobis eſt: Scripſit autem vt ex teſtimonijs ac citationibus noſtrorum intelligimus.*

Leges politicas. De ordine iudiciorum.
De gradibus dignitatum politicarum.
De officio iudicis.

Ante natum Chriſtum. Obijt hic Princeps anno ante natū Chriſtum 160.
160 vno anno ante fratrem ſuum Adelem, qui omnium diutiſſime vixit inter filios Friſonis.

9. VBBO.

VBBO tertius Friſiæ Princeps Adelis filius & Friſonis nepos fuit, cuius vitam ac res geſtas tertio Annalium libro tradidimus: hic de ſcriptis eius tantum acturi ſumus. Scripſit autem:

Vitam Friſonis: Vitam Adelis.

Coloniam Vbiorum.

Plenam hiſtoriam de Friſiorum rebus geſtis:

Quæ omnia allegantur à Cappido Staurienſi, qui aſſerit Solconem Fortemanum ſuas Antiquitates, ex hoc Vbbone maxime eſſe mutuatum: vt infra in Solcone dicemus latius Obijt hic Princeps anno ante na-
79 tum Chriſtum 79. Cum principatum Friſiæ adminiſtraſſet continuis annis 80.

10. GRYNS.

GRYNS qui & Grunus, Gailonis ſupradicti filius Friſonis nepos fuit: cuius vitam & res geſtas lector videat in opere quod de Ducibus, Comitibus &c. conſcripſimus. quod huius inſtituti eſt hunc ſcripſiſſe Suffridus Sterckenburgius aſſerit.

Genealogias poſterorum Friſonis.

80 Obijt hic Princeps anno ante natum Chriſtū 80.

DECAS SECVNDA.

1. FRISO IVNIOR.

FRISO iunior, qui & Friſus dictus eſt, Grun ſupradicti filius fuit, de cuius vita & rebus geſtis ple-

ſtis plenius egimus in opere noſtro de Ducibus, Comitibus, &c. hunc ſcripſiſſe noſtri aſſerunt. Ante natum Chriſtum

Expeditiones ſuas, quas ſub diuerſis Principibus fecit.

Item Coloniam ſuam quam ipſe vltra Fleuum duxit in terram, quam de nomine ſuo vocauit Friſianouam.

De obitu Principis huius nihil reperire certi hactenus potui.

2. ASINGA ASCON.

ASINGA Aſcon quartus Friſiæ Princeps, Vbbonis ſupradicti filius fuit, cuius vitam & res geſtas quarto Annalium noſtrorum libro tradidimus. hic ſcripſit.

Fœdus inter ſe & Auguſtum Cæſarem initum: cuius mentio fit in multis Imp. ratorum Rom. Bullis ac Diplomatibus, quibus genti noſtræ priuilegia vetera renouantur & confirmantur, quod infra in Carolo Magno, in Sigiſmundo & alijs declarabitur oportunius.

Scripſit etiam expeditiones ſuas contra Sicambros ac Batauos habitas.

Obijt hic Princeps anno poſt Chriſtum natum vndecimo poſtquam Principatum Friſiæ adminiſtraſſet annis continuis 82. Anno Chriſti 11

3. VERRITVS.

VERRITVS Friſiorum legatus vna cum Halorige Romam miſſus fuit ad Neronem pro vacuis agris, quos Romanis Friſij ademerant, vti refert Cornelius Tacitus Annalium libro 13.

Vitam & res geſtas vtriuſque huius legati ple-

Anno Chriſti. *nius tradidimus, in opere de Ducibus, Comitibus &c. Incidit hæc legatio in annum Neronis 6. hoc eſt Chriſti 62. Scripſit Verritus teſte Cappido.*

Legationem ſuam Romanam.

Itinerarium Romanum.

Bellum iſtorum agrorum nomine inter Friſios ac Romanos geſtum.

4. S. AEGISTHVS.

S. AEGISTHVS *vnus fuit ex 72. diſcipulis Domini, quem D. Petrus in Friſiam & Saxoniam miſit ad prædicandum Verbum Dei ſicuti Varnerus Rolevink refert in opere de laude antiquæ Saxoniæ, addens eum in his prouincijs ſine vllo ferme fructu verſatum tandemq́; martyrio eſſe coronatum. & reliquias eius ad ſuam vſque ætatem hoc eſt annum vſque Chriſti 1500. Bardevici cum ſumma deuotione fuiſſe ſeruatas. Cappidus Staurienſis addit, eum Verrito ac Molorgi Romæ à D. Petro conuerſis, & in patriam redeuntibus adiunctum eſſe Friſiæ primum Apoſtolum. & ab eo poſtea ſeminaria Chriſtianæ Religionis in Friſia duraſſe vſque ad tempora Caroli Magni. qua de re latius egimus in ſupradictis Legatis Verrito & Malorigo, in opere de Ducibus, & Comitib. itemq́; in Hiſtoria noſtra Eccleſiaſtica Friſiæ. Scripſit non pauca ſed ad notitiam noſtram non peruenit niſi quod Cappidus allegat.*

62 *Itinerarium vitæ ſuæ: Albertus Crantzius cap. 1. lib. 1. Metropol. hiſtoriam eius attingit.*

5. TABBO.

TABBO *ſeptimus & vltimus Friſiorum Princeps (nam deinceps Friſij ſeptem Duces habuerunt)*

runt) Scripſit vti Cappidus teſtatur. Ante natum Chriſtum.

De Principibus Friſiæ. De poſteritate Friſonis.

De bellis Friſiorum cum vicinis nationibus.

Vitam eius & res geſtas lector petat ex Annalium noſtrorum libro ſeptimo: obijt hic Princeps anno Chriſti 130. 130

6. SYNNA SAPIENS.

SYNNA ſapiens ſcholæ Druydum Præfectus fuit in Aula Dei, quæ poſtea Leouardia dicta eſt, vt ex Collectaneis Huberti Scoti diſcimus. is ſcripſit ad Aſconium primum Friſiorum Ducem.

De colendis Dijs patrijs;

De exterminandis Chriſtianis.

Vixit circa annum Chriſti 170. Hic anteceſſores ſuos in Aula Dei Druydum præfectos commemorat, vt Dn. H. Scotus teſtatur, Harconem patrem ſuum, & auum Serapionem, & proauum Vithonem. qui tamen an aliquid ſcripſerint, non exprimitur. 170

7. TITVS BOIOCALVS.

TITVS Boiocalus tertius Friſiorũ Dux ſcripſit Apologiam pro ſe ad Romanos de cæde quam Romæ fecerat.

Item excuſationem Antonini philoſophi pro ſe ad fratrem ſuum Adelboldum ſecundum Friſiæ Ducem ſcriptam edidit.

Item ſcripſit expeditionẽ fratris Adelboldi & ſuam pro Duce Brabãtiæ aduerſus Romanos ſuſceptã.

Item ſcripſit expeditionem Antonini philoſophi & ſuam aduerſus Vandalos.

Item expeditionẽ fratris & ſuam aduerſus Vandalos.

Anno Chriſti. *Horum operum nihil integrum ad nos peruenit ſed apud diuerſos diuerſa ex his citata reperiuntur.*
299 *Mortuus eſt hic Dux anno Chriſti, 299.*
Cuius vitam & res geſtas lector amplius petat ex Annalium noſtrorum libro octauo.

8. HARCO SAPIENS.

HARCO *Sapiens vt ex Huberti Schoti collectaneis diſcimus in Aula Dei ſucceſſor ex interuallo ſumæ ſupradicti fuit, & ſcripſit inter cætera.*

De immortalitate animæ humanæ.

De anima Brutali.

310 *Vixit circa annum Chriſti, 310.*

9. HARON.

HARON *Quintus Friſiorum Dux conſcripſit controuerſiam inter ſe & Didericum occidentalium Friſiorum ducem, & eo nomine fœdus initum de prærogatiua Regiæ Maieſtatis inter Friſiam occidentalem & orientalem, Cum hactenus Friſia, quæ tunc occidentalis dici cœpit, habitata nõ*
335 *eſſet: Mortuus eſt hic Dux anno, 335. Cuius vitam atque res geſtas lector petat ex annalium noſtrorum vndecimo libro.*

10. ODILBALDVS.

ODILBALDVS *Supradicti Haronis Frater ſcripſit legationem ſuam quam Imperatoris Diocletiani nomine in AEgyptũ obiuit, vbi & fato ſuo functus eſt ante fratrem ſuum, ſed quo anno nondum ſatis conſtat: de vita eius & rebus geſtis alijs lector videat opus noſtrum de Ducibus Comitibus, &c.*

Anno Christi.

DECAS TERTIA

1. POPPO HARDMAN.

POPPO Hardman ex Veteri proſapia Hardmannorum natus de cuius Vita & rebus geſtis diximus in opere de Ducibus Comitibus, &c. vt ex Suffrido Sterckenburgio cognoſcimus ſcripſit de ordine equeſtri. De Comitibus. De Ducibus. De Regibus. De Priuilegijs & prærogatiuis ſingulorum, Mortuus eſt anno 350. 350.

2. VDOLPHVS HARON.

VDOLPHVS Haron ſeptimus & vltimus Dux Friſiæ (nam poſt hunc vſq; ad Carolum magnum prefuerunt Friſiæ viciſſim nouem Reges) ſcripſit Coloniam, quam ipſe duxit in Angliam Veterem præfectis filijs ſuis Hengiſto & Herſo: ducatu Friſiæ ſe abdicauit anno ante natum Chriſtum 392. 392.
Integris 57. annis antequã ijdem Hengiſtis & Horſis in Britannia a Vortigerno contra Pictos & Scotos vocarentur. Tanto enim temporis ſpatio in Angliæ veteri illa prope Iuthia velut in Colonia ſua egerant: & piraticam exercuerant in Mari Britannico. Cuius rei ignorantia non modo confuſionem calculi ſed & errorem rerum ingentem Crantio & alijs incuſſit, non diſcernentibus Angliam veterẽ à noua: & putantibus iſtos recta in Britanniam tetendiſſe cum ex friſia ſoluerent. Cum inter eorum deceſſum ex friſia, & appulſum in Britanniam interfuerint anni, 62. quibus in Anglia veteri egerant de cuius nomine poſtea Britãnia dicta eſt Anglia. De vita & rebus geſtis huius Ducis vide Annalium noſtrorum librũ, 14.

Anno Christi.

3. YGLO LASCON.

YGLO Laſcon inſignis belli dux fuit, quem contra Veſtphalos ac Sicambros præſidio Angriæ Odilbaldus ſextus Friſiorum Dux impoſuit. quam & 65. continuis annis fortiter defendit, ſicuti latius declarauimus in opere noſtro de Ducibus, Comitibus, &c. Hic ſcripſit:

De expeditionibus ſuis aduerſus Veſtphalos ac Sicambros.

De præſidijs ab ipſo in Angria, & Veſphalia collocatis.

De matrimonio Vdolphi Haronis & filiæ Vetgiſti Satrapæ Saxonum.

De origine Vetgiſti & cognatione eius quam habuit cum Odilbaldo Friſiorum Duce.

De inſtitutione & educatione Hengiſti & Horſi.

De deceſſu Hengiſti & Horſi in Angliã Veterem.

Catalogum Ducum & Comitum, qui Claſſi Hengiſtianæ in ducenda ha: Colonia præfuerunt.

De adoptione Hengiſti & Horſi facta à Vetgiſto auo eorum Materno.

409 Obijt hic Dux anno Chriſti 409.

4. HOLLIVS.

HOLLIVS de quo inter Duces, Comites, &c. plura diximus, Vir primarius fuit in claſſe Hengiſti & Horſi, cum illi relicta Friſia Coloniam ducerent in Veterem Angliam: hic ſcripſit

De Colonia Anglicana. De qualitate Angliæ.

De piratica Friſiorũ ex Anglia in mari Britannico & nõnulla alia, quæ noſtri nominatim non allegãt.

430 Mortuus eſt hic Dux anno Chriſti 430.

5. VF

Anno Chriſti.

5. VITHO SAPIENS.

DRVIDVM præfectus in Aula Dei, vt ex Copido & Huberti Schoti Collectaneis diſcimus. ſcripſit

De reſtaurandis delubris Deorum.

De locupletanda Bibliotheca publica: Stauriæ in templo Stauonis quæ illi frigidius oli videbatur:

De publicis actis diligenter ad memoriam poſteritatis conſeruandis.

De reformandis Gymnaſijs. Obijt anno 132. 132

6. RICHOLDVS VFFO

RICHOLDVS Vffo, primus Rex Friſiæ. (Nã hactenus Principes a Duces Friſiam gubernarant) multis libris & actis Bibliothecã publicam locupletauit. Scripſit ipſe quoque

Genealogias Principum ac Ducum omnium, qui ante ipſum in gubernatione Friſiæ fuerant: Quos & Stauriæ in atrio ſuo ad viuum, quoad id fieri potuit ex ordine depingi fecit: Vitam & reliquias eius res geſtas lector petat ex Annalium noſtrorum libro 15. obijt hic Rex anno Chriſti 435. 435

7. HERCON.

HERCON Capitaneus Richoldi Regis ſupradicti, de quo inter Duces, Comites, &c. plura diximus. Scripſit expeditiones ſuas, quas ſub Imp. Romano & Conſtantinopolitano fecit.

Item expeditionem quam fecit in Daniam. obijt anno Chriſti 440. 440

8. HAIO FORTEMAN.

HAIO Forteman, ex antiquo & nobili familia Fortemanorum fuit: de quo plura diximus in opere

Anno Chriſti. *opere noſtro de Ducibus Comitibus &c. Hic ſcripſit de vocatione Hengiſti ex Anglia veteri in Britanniā:*

De pactis inter Hengiſtum & Vortigernū initis.

De prælijs Hengiſti & Horſi, contra Pictos & Scotos pro defenſione Britannorum.

De cauſis, ob quas Hengiſtis Britannis, ex defenſore hoſtis factus ſit.

Catalogum ducum claßium Hengiſti, quas in Britannia adduxit.

478. *De copijs quas Hengiſtus ab initio vſq; ad obitum ſuum in Britanneam aduexit:*

Obijt hic anno Chriſti, 478.

9. TACO HERMANA

TACO *Hermana inter præfectos claßis Hengiſtianæ fuit cum Hengiſtus Britāniam inuaderet rupto fœdere, de qno plura Lector videat in opere noſtro inter Duces Comites, &c. Hic ſcripſit, expeditionem Britannicam.*

Coloniam Friſiorum nouam, quam ipſo Duce friſij duxerunt in inſulā maris Britannici, quam de patria ſua nomine ipſi Frieſlandt, *gens mercatores Frislandiam appellarunt: De ſitu & qualitate eius inſulæ: & quædam alia quæ ad noticiam noſtrorū non peruenerunt: defunctus eſt in Frieslandia ſua cui præfuit anno Chriſti. 536.*

10. POPPO SAPIENS.

POPPO *Sapiens Druydnm Scholæ præfectus in Aula Dei, Sacerdos Stauonis, acerrimus perſecutor Chriſtianorum fuit de cuius vita rebuſq; geſtis plura egimus vbi de Idololatria friſiorū ex profeſſo locuti ſumus.*

Is omnium ethnicarum literarum ſummam peni- tiam habuit: ſcripſit quæ allegatione noſtrorum ad aures noſtras peruenerunt. Anno Chriſti.

De Cultu Deorum: De Officijs Sacerdotum.

De Ritu ſacrificiorum.

De Vnione occidentalis Regni Friſiæ facta cum regno orientali in Beroaldo Rege:

De opreßione eiuſdem Regni per Francos facta interfecto eodem Rege Beroaldo:

De rebus geſtis nobilißimi Viri Herconis Rodmanni:

Item de rebus geſtis nobilißimi Viri Siuardi Hopperi.

Vita defunctus eſt vt ex collectaneis Huberti Schoti apparet circa annum 678. ſub Radbodo eius nominis primo Friſiorum Rege quamquã ſub eius patre Adgillo maxime vixerit circa annum Chriſti,646. ſed exautheratus per Francos, à Radbodo 646
enim Francis rebellante reſtitutus fuit.

DECAS QVARTA.

I. S. KONIOCHVS.

S KONIOCHVS *ſecundus Friſiorum Apoſtolus fuit. Nam cum Dagebertus Francorum Rex interfecto Friſiorum Rege Beroaldo Friſios Francis Vectigales feciſſet, eorumq; Regno ademiſſet, quæ vellet Vlltenburgum arcem quæ nunc Vltraiectum dicitur. Archiepiſcopo Colonienſi ſancto Cumberto dedit, qui ſuffraganeum ſuum hunc virum ſanctũ ibi cõſtituit, veluti principẽ ſeminarij in Religione Chriſtiana. Qui quidẽ ibi cõſtitutus ope Francorũ Regum*

orat.

Anno Christi. *oratorium conſtruxit in honorem S. Thomæ Apoſtoli: & viuente Adgillo Beroaldi filio quidem illic mediocrem tranquillitatem habuit, quo defuncto Radbodus Adgilli filius rebellans Francis arcem rurſus ademit Eccleſiam euertit, Antiſtitem fugauit. Scripſit nonnulla inter quæ ſunt*

De colendis idolis Gentium.

De puritate ac certitudine Religionis Chriſtianæ.

Floruit maxime ſub Rege Adgillo eius nominis

660 *primo circa annum Chriſti 660. ac deinceps.*

2. S. VILFRIDVS.

PVllulante iam per Friſiã opera Francorum Regum Religione Chriſtiana per quos alias alij verbi diuini præcones in eam prouinciam miſsi ſunt, placuit prudentiæ diuinæ fructum vberiorem fieri per doctores Anglicos, & Scoticos, qui vt ex Friſijs originem duxerant, ita & conſanguinitatis & linguæ communione genti gratiores futuri erant. Ideoq; vt ſeries ſcriptorum commodius obſeruetur, libet hic occaſionem referre paucis, qua moti ſint pij viri complures in Anglia & Scotia hac tempeſtate quorum maiores olim ex Friſia cum Hengiſto & Horſo in Britanniam migrauerunt, vt ad Friſios maiores ſuos Chriſto lucrifaciendos conatus ſuos conuerterent. Itaq; S. Vilfridus Ripponenſis in Septentrionali Angloſaxonum prouincia natus, & tandem Eboracenſis Archiepiſcopus conſtitutus, cùm Romam profecturus eſſet, ſicuti Beda lib. 5. cap. 20. Angl. hiſt. refert, vbi nauem conſcendiſſet, flante Fauonio appulſus eſt

672 *in Friſiã ſub autumnum, anno Chriſti 672. qui fuit Adgilli Regis vltimus. Et cum ſementem vberem in*

Friſijs

Friſijs per eam hyemem feciſſet, ineunte vere iſtinc Romam profectus eſt: vnde cum rebus feliciter expeditis, in Angliam reuerſus eſſet multos viros pios tota Anglia & Scotia exſuſcitauit atque commouit vt Euangelium Chriſti Friſijs prædicarent, eaq́; antipelargia maioribus ſuis gratiam referrent: inter quos primus ac præcipuus fuit S. Egbertus, de quo mox dicemus: de ſancto ho: Vilfrido pluribus agemus in Eccleſiaſtica hiſtoria noſtra, vbi de Doctoribus Eccleſiæ agemus: hic enim de ſcriptoribus tantum agemus, qui ad Friſiam illuſtrandam lucubrationes ſuas in lucem ediderunt, idq́; promiſcue ſiue ſacra iſtæ ſint ſiue profanæ: Alioqui enim quod Beda dicit hunc fuiſſe primum Friſonicæ gentis Apoſtolum, id candide intelligendum eſt, peculiariter de ijs, qui ex Anglia aut Scotia venerunt. nam aliunde prædicatores verbi diuini ante hunc Vilfridum non pauci in Friſia fuerunt, vt in hiſtoria Eccleſiaſtica noſtra apparebit: Hic igitur ſcripta eius tantum recitabimus quamquã ea ad nos quidem non magnopere pertinere arbitremur: Scripſit autem Anno Chriſti.

Aduerſus Colmannum Ceddam & Hildam Abbatiſſam.

De Paſchæ celebratione librum vnum.

Pro Clericorum Tonſura librum vnum.

Edicta Pharenſis Synodi lib. 1.

Epiſtolas ad diuerſos lib. 1.

Atque alia plura quæ latent.

Plura de Vilfrido Polydorus Virgilius: & Beda lib. 4. cap. 12. itemq́; lib. 5. cap. 20. hiſt. Angl. vitam autem eius integram (vt Catalogus Britannicus indicat)

Anno Chriſti.

dicat (conſcripſit, Heddius Stephanus Monachus apud Cantios, adhortante Acca Epiſcopo Hagulſtat. circa annum 270. Item Odo Seuerus Cantuariæ Archiepiſcopus & Fridegodus Cantuariæ Diaconus qui claruerunt anno 959. Denique Petrus de Bleſis anno 1160.

3. S. EGBERTVS.

SANCTVS Egbertus ex Auſtralium Anglorum ſiue Sudoſaxonum genere non ignobili familia natus ad Septemtrionalem Angliam venit ac in Lindiſfarnenſi monaſterio vitæ religioſæ fundamenta iecit: vnde peſte excuſſus quæ tum per omnes Angloſaxonum Regiones crudeliſſimè graſſabatur, in Hiberniã conceßit, atque inde tandè in Scotiã Religionis ergo: quo tum temporis ob eandem cauſam multi viri pij confluxerant: Hic audito rumore de ſucceſſu Sancti Vilfridi apud Friſios, miro deſiderio exarſit annunciandæ huic genti Religionis Chriſtianæ. Quare collectis eiuſdem voluntatis aliquot ſocijs, & itineris comitibus, nauem ingreſſus eſt, Friſiam petiturus: Sed voluntati Diuinæ aliter hoc viſum eſt, quæ ſignis efficacibus eum & antea præmonuerat, & è medio curſu tunc vna cum ſocijs reuocauit, obiecta tempeſtate, quæ conatibus eius palam aduerſaretur. Ex ſocijs illius tamen vnus Sanctus Vigbertus ferrentiori zelo flagrans in Friſiam perrexit, vt mox dicetur: Egbertus igitur cum cæteris in Angliæ reuerſus vbi diuina prouidentia maioribus Eccleſiæ commo-

dis

dis eum reſeruauit: Nam & Anglicana Eccleſiæ Anno Chri-
præſens in loco ſibi commiſſo, tum voce, tum ſcriptis ſti.
profuit, & abſens etiam ſalutem Friſiæ procurauit, mittendis ſubinde in eam nouæ prædicationis Apoſtolis. Nam cum Vigbertus ſupradictus elapſo biennio in Angliam reuerſus diceret, in Friſia magnam quidem eſſe paratam meſſem, ſed operarios eſſe paucos, Egbertus ex omni Angloſaxonica gente delectos eruditione ac pietate præſtantiſſimos duodecem verbi Diuini præcones congregauit, quos velut Apoſtolos in Friſiam dirigeret quorum nomina ſunt.

1.	Villibrordus.	2.	Suitbertus.
3.	Accas.	4.	Vigbertus ſupradictus
5.	Villibaldus.	6.	Vniboldus.
7.	Lebuinus.	8.	Eualdus Albus.
9.	Eualdus Niger.	10.	Verenfridus.
11.	Marcellinus,	12.	Adalbertus.

Qui anno ſexcenteſimo nonageſimo Vltraiactum, appulerunt, ac Deo cooperante multum animorũ lucrum in Friſia, Hollandia, aliiſq; locis fecerunt: Et quoniam hi Doctores ſancti, vti Beda teſtatur prognati fuerũt de gente Friſonica & Saxonica, ideo cõuenienter eis Euangelium Chriſti prædicare potuerunt: Egbertus porrò anno Chriſti 729. ætatis ſuæ 90 in inſula Huenſi, quam alluit mare Scoticum vita defunctus eſt, in ipſo die Paſchatis octauo Calendas Maias Mardaco Scotis imperante: Scripſit autem de ritibus Catholicorum librum vnum.

Anno Chriſti.

De Paſchali obſeruatione lib. vnum.

Conciones varias lib.1. & alia quædam.

Alius ab hoc fuit Egbertus Eboracenſis Epiſcopus, ætate hoc noſtro poſterior, qui & ipſe nonnulla ſcripſit: Hic noſter fuit Egbertus monachus, de quo plura Venerabilis Beda hiſt. Angl. lib. 3. cap. 4. & 27.
690. *& lib. 4. cap. 3. lib. 5. cap. 10. & 23. Floruit anno 690. & deinceps. Scripſit quædam quæ tamen ad notitiam noſtram non peruenerunt.*

4. S. VIGBERTVS.

S. VIGBERTVM *Egberto proximum ſubiungimus ratione tēporis vt nobis Chronologiæ conſtet ratio, qua horum Doctorum acta Regum Friſiorum actis coniungimus: Egberto enim diuinitus in Angliam retracto ſolus hic Vigbertus itinere non intermiſſo in Friſiam perrexit ac peruenit cum duobus pueris & clericis, vti teſtatur in vita S. Suitberti Marcellinus cap 5. anno 678. ſex annis ſcilicet poſt quam Vilfridus ſupradictus Romā profecturus Friſiam reliquiſſet, & mãſit in Friſia toto biēnio, Chriſtumq; ſtrenue prædicauit. ſed aut nullum aut certe perquam exilem fructum facere potuit. Quod ne quis miretur, cum Vilfrido tantum ſucceſſum ibi fuiſſe ſupra dictum ſit, conſiderandū eſt, mutatis Principibus etiam ſubditorum animos mutari. Primum enim Regi Adgillo defuncto ſucceſſerat Radbodus eius filius, plane diſſimilis patris, vtpote crudeliſſimus, & Chriſtiani nominis manifeſtus hoſtis. Deinde poſt primum imperij ſui annum capto & in Daniam auecto Rex Daniæ crudeliſſimum Toparcham ſuum Omundum, (quem & Ongendum alij vocant) guber-*

gubernandæ Friſiæ præfecit, qui & gentem ipſam crudeliſſima ſeruitute afflixit, & idololatriam Ethnicam vtcumque per ſuperiores iſtos Doctores luxatam reſtituit ac firmauit. per integros quinque annos quibus in Dania captiuus tenebatur Radbodus: Denique & ipſe Radbodus in regnum ſuum reſtitutus nihilo mitius Friſios tractauit, quam fecerat Omundus: Neque verò in Friſia tantum graſſabatur, ſed & prouincijs vicinis infeſtus erat. ijs præcipue in quibus animaduerterat iacta eſſe ſeminaria Religionis Chriſtianæ: Itaque & Vltraiectum quod ad Francorum Reges tum pertinebat, armata manu occupauit, ac præſidio ſuo impoſito muniuit: Oratorium S. Thomæ quod ibi Francorum Rex Dagobertus conſtruxerat, diruit: Clerum vniuerſum vel interfecit vel exturbauit. Hinc factũ eſt, quod S. Vigbertus ibi fructum nullum facere potuerit: Etſi enim & Religionis fautores & conſanguineos ibi reppererit, nemo tamen illi palàm aures præbere auſus fuit, metu crudelitatis Tyrannicæ: Biennio igitur illic ob has cauſas fruſtra conſumpto Vigbertus Friſia relicta in Angliam reuerſus eſt anno Chriſti 690. Radbodi Regis octauo. Cuius querelis auditis pius pater Egbertus vt eſſent ad meſſem ſuppetentem operarij ſufficiẽtes, ſupradictos duodecim Apoſtolos ſine mora congregauit, & eodem anno 690. in Friſiam miſit, inter quos cum & ipſe Vigbertus eſſet, is Villibrordo deinceps aſſiduum itinerum ac laborum comitem ſe præbuit, donec in Foſtelandia tandem ab ipſo Radbodo crudeliſſime interfectus martyrij coronam acciperet. Floruit igitur hic Vigbertus ſub

Anno Chriſti.

Anno Chriſti. *Friſiorum Rege Radbodo eius nominis primo ſicut & cæteri eius ſocij omnes, quorum annos mortis propius hic non aſsignabimus, quos in hiſtoria Eccleſiaſtica diligenter definiemus: Hic enim ſufficit eos eodem floruiſſe tempore ſub Rege Radbodo eius nominis primo qui regnauit annis quinquaginta, quorum vltimus incidit in annum Chriſti 723. De hoc Vigberto vide Bedam Tom. 7 inter ſermones de Sanctis: Angli ſcriptores non tradunt eum quicquam ſcripſiſſe. Noſtri tamen allegant quod ſcripſerit peregrinationem ſuam.*

690

Item de crudelitate Rabdodi Regis.

5. S. VILLIBRORDVS.

SANCTVS *Villibrordus, qui & clemens Princeps inter Anglos Doctores hoſce, primus Epiſcopus Vltraiectinus fuit, de qua plura in Hiſtoria eccleſiaſtica noſtra. Hic eius ſcripta recenſebimus, vt nobis conſtet in hiſtorijs ordo ſerieſq; ſcriptorum, quorum teſtimonijs vtimur ſcripſiſſe enim Anglici Scriptores aſſerunt.*

Homilias & epiſtolas plures

Eccleſiaſticos canones lib. 1.

De ſua peregrinatione lib. 1.

Inter ſcriptores noſtros vnus M. Aluinus Succanus de quo infra ſuo loco dicetur, tradit eũ ſui ſæculi res geſtas, & vitam ſuam diligenter conſcripſiſſe, eumque librum Romæ diu aſſeruatum in templo Friſiorum, quod ſitu iam ob vetuſtatem fere conſumptum deſcribi rurſum diligenter & ornatu magnifico decorari iuſſerit Imperator Rodolphus eius nominis, primus, in gratiam gentis Friſonicæ, cui & ipſe originem

ginem ſuam ex ſtirpe materna debuerit: Quem quidem librū poſtea inde epternacū eſſe tranſlatum ali unde cognouimus: Cui adſtipulari videtur etiam Caſparus Bruſchius vt latius in Hiſtoria Eccleſiaſtica dicemus in vita S. Villibrordi: Floruit cū cæteris ſub eodem Rege Radbodo. Anno Chriſti.

6. S. SVITBERTVS.

SANCTVS *Suitbertus, comes & coadiutor Sancti Villibrovdi fuit: qui paternum genus ex Angliæ, maternum ex Friſiorum Regibus duxit, de quo latiùs in Hiſtoria noſtra Eccleſiaſtica dicemus: apud Anglicos ſcriptores hunc aliquid ſcripſiſſe non compe rio, apud Cappidum noſtrum citantur eius peregrinationes & epiſtolæ: huius vitam diligenter deſcripſit Sanctus Marcellinus, de quo infra mox agetur: Floruit vna cum cæteris ſub Rege Radbodo.* 690.

7. S. ACCAS.

SANCTVS *Accas itidem conterraneus & comes Sancti Villibrordi fuit, cum quo in Friſia con uertenda ſedulo laborauit, vt in Hiſtoria Eccleſiaſtica latiùs declarabimus. Floruit & hic ſub eodem Rege Radbodo: Scripta eius hactenus nulla comperio: Vide Bedam lib. 5. cap. 21. Eccle. Hiſt.* 690.

8. S. VILLIBALDVS.

SANCTVS *Villibaldus in eodem comitatu ſocius Sancti Villibrordi primus Eichſtetenſis Epiſcopus: De quo plura in Hiſtoria noſtra Eccleſiaſtica. Floruit ſub eodem Radbodo Rege, ille ſcripſit vt Anglici ſcriptores referunt cum alia quædam, tum etiā* 690.

Anno Christi.

Vitam S. Bonifatij Epiſcopi. lib. 1.
Vitam Valburgæ ſororis. lib. 1.
Epiſtolas ad Monachos. lib. 1.

9. S. VNIBOLDVS.

690. SANCTVS *Vniboldus frater ſupradicti Villibaldi. itémque Comes S. Villibordi primus Abbas fuit Heidelamenſis, floruitq; ſub eodem Rege Radbodo, de ſcriptis eius nihil hactenus comperio.*

10. S. LEBVINVS.

690. SANCTVS *Lebuinus in eadem ſocietate cum S. Villibrordo fuit, & ſub eodem Rege Radbodo floruit: & Dauentrieſium potiſſimum Apoſtolus fuit, vt latius in hiſtoria Eccleſiaſtica noſtra declarabimus. Ad hunc extat carmen S. Ludgeri, ipſe Lebuinus an aliquid ſcripſerit hactenus compartum non habemus.*

DECAS QVINTA.

1. S. EVALDVS ALBVS, ET S. EVALDVS NIGER.

690: SANCTVS *Eualdus albus, qui capillitij colore diſtinguitur à nigro, vna cum Eualdo nigro S. Villibrordũ ex Anglia ſecutus eſt ſimul auẽ in partibus Dubantiæ & Drentiæ verbum Domini annunciauerunt, vbi & Martyrio coronati ſunt, floruerúntq; ſub eodem Rege Radbodo: De ſcriptis eorum nihil comperio. Cætera dicturi ſumus in hiſtoria Eccleſiaſtica, multa de his Valnerus Roleuink in opere de laudibus Veſphaliæ ſiue antiquæ Saxoniæ.*

2. S. VERENFRIDVS.

690. SANCTVS *Verenfridus Presbyter & Confeſſor, cum cæteris B. Villibrordum ex Anglia in Friſiam*

ſcuta-

comitatus eſt. Is verbum Domini potiſſimum prædicauit, primum apud Medenblicum, & Doreſtadium. Deinde in Elſte & Veſtervoert, qui loci ſunt in Geldria. Floruit ſub eodem Rege Rodbodo. De ſcriptis eius nihil hactenus comperio. Anno Chriſti. 690

3. S. MARCELLINVS.

SANCTVS *Marcellinus qui & Marchelmus à quibuſdam dicitur, vna cum ſupradictis ex Anglia S. Villibrordum in Friſiam comitatus eſt, cunctiſq; ſodalibus ſuis ſuperſtes fuit, vtpote quem S. Ludgerus teſtatur vltra ſeptuaginta annos Friſiis Euangelium prædicaſſe, maxime in partibus Tranſiſulanis, Trenta, Tventa, Oudenſeel & Dauentria. Floruit igitur ſub eodem Rege Radbodo ac deinceps. De ſcriptis eius hæc inueniuntur hactenus.*

Vita S. Svitberti. De Tyrãnide Radbodi Regis.
Epiſtolæ diuerſæ. Conciones variæ.
Et quædam alia, quæ non peræque celebrata ſunt.

4. S. ADALBERTVS.

SADALBERTVS, *& ipſe inter ſupradictos S. Villibrordum ex Anglia in Friſiam comitatus eſt, primus fuit Vltraiectinæ ſedis Archidiaconus cõſtitutus: qui poſtquam ſtrenue verbum Domini propugnaſſet tranquille in Domino obdormiuit, & ſepultus eſt Egmondæ, in Kenemaria Hollandiæ: & cum reliquis floruit ſub eodem Rege Radbodo: De ſcriptis eius nihil hactenus comperio.* 690

Horum igitur duodecem Apoſtolorum Friſiæ ſcripta quatenus ea reperire potuimus hic ordine adnotare placuit vt ſeries temporum ſub Regibus deinceps diſtincta habeatur. De Doctoribus ipſis plenius

Anno Chriſti. *dicturi ſumus in hiſtoria Eccleſiaſtica vbi vitam & res geſtas eorum ex profeſſo tradituri ſumus.*

5. S. VVLFRANNVS.

700. SANCTVS *Vulfrannus Epiſcopus Senonenſis & Confeſſor in Friſiorum conuerſione cooperator S. Villibrordo à Francorum Rege anno Chriſti ſeptingenteſimo miſſus eſt, multa egregia in profliganda gentilium Idololatria miracula præſtitit: vt latiùs deducemus in Hiſtoria noſtra Eccleſiaſtica: Scripſit quas noſtri allegant.*

Epiſtolas diuerſas. & quædam alia: Floruit ſub Radbodo primo circa annum Chriſt. 700.

710. 6. ONNO FONTANELLVS.

ONNO *ſiue vt alij vocant Ouuo, Friſius fuit, de nobili ſtirpe natus, qui cur ſecundum Veteres Friſiorum leges ſorte poſtulante Dijs immolandus eſſet, ſuſpenſus fuit S. tandem Vulfranni precibus ſaluatus fuit, à quo proinde ad Chriſtianam fidem conuerſus monaſticam vitam ſectatus in monaſterio Fontanellæ, vnde Fontanelli cognomen, accepit. Hic ſcripſit quæ noſtri allegant.*

De viſione Radbodi Regis:

De horrenda eiuſdem Regis morte:

Floruit ſub eodem Radbodo, circa annum ſeptuageſimum decimum, de quo plura in Hiſtoria noſtra Eccleſiaſtica.

7. DOVVO FORTEMAN.

720. DOVVO *Fortenam nobilitate, virtute & eruditione præſtantiſſimus, ſcripſit de ſeculi ſui calamitatibus, floruitq́; ſub eodem Rabdolo Rege circa annum 720. De quo nihil amplius comperio.*

San-

8. S. VINFRIDVS qui & BONIFACIVS. Anno Christi.

SAnctus Vinfridus, quem quidam Vencfridum vocant mutato nomine Bonifacius dictus eſt, qui S. Villibrordo in Epiſcopatum Vltraenctenſem proximè ſucceßit, de quo plenius in hiſtoria Eccleſiaſtica noſtra acturi ſumus: Hic ſcripſit vt ex Anglicis ſcriptoribus cognoſcimus, nam ex Trithemio ad totum hoc inſtitutum non multum ſubſidij habemus.

De ſua fide & doctrina lib. 1.
De religione Sãctitatis l. 1. Pro rebus eccleſiæ l. 1.
Inſtituta Synodalia lib. 1.
De ſuis in Germania laboribus lib. 1.
Epiſtolas ad quatuor Papas lib. 1.
Ad Ethelbaldum Regem lib. 1.
Vitã Liuini martyris l. 1. Vitã Liuini monachi l. 1.
Vitas Sanctorum aliorum lib. 1.
De fidei Vnitate lib. 1. Contra Hæreticos lib. 1.
Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1.

Floruit hic in Germania ſub quatuor Friſiorum Regibus, ſub Radbodo ſupra dicto annis 4.

Sub eiusfilio Adgillo ſecundo. 14. ſub huius filio Ludobaldo 12. Sub huius fratre Radbodo ſecundo ſex, qui faciũt ſimul collecti annos 36. quorum vltimus incidit in annum Radbodi ſecũdi ſextum, Chriſti 755. quo ille in Friſia martyrium paſſus eſt.

9. SOLCO FORTENAM.

SOlco Fortenam, vir nobilis & egregie eruditus ob inſignem hiſtoriam quam conſcripſerat & ab initio ad ætatem vſque Principum, Ducum, & Regum Friſiæ Genealogias & res geſtas luculento ſtylo deduxerat, per inuidum aliquem delatus 755.

apud

Anno Christi. apud Radbodum Regem fuit, quaſi qui parum candide ſcripſiſſet de ipſo. Itaque cum Solco ad Aulam regis vocatus, & librum compoſitum exhibere iuſſus eſſet, Rex examinato libro, ipſum in authoris præſentia comburi, authorem ipſum in carcerem detrudi iuſsit, vnde per Carolum Magnum Radbodo deuicto ac fugato demum liberatus eſt: Cauſa tantæ pœnæ erat quod Solco Gundobaldum fratrem ipſius, qui Chriſtianus erat, magis laudare videretur quã ipſum Radbodum, qui Chriſtianorum erat perſecutor acerrimus: Itaque ex inſigni hoc opere ad poſteritatem nihil peruenit præter aduerſaria quædam & fragmenta lacera, quæ pronepos eius Occo Scarlenſis collegit & in ordine redacta auctario ſuo ſuppleuit, vt in Occone infra dicturi ſumus: Floruit ſub
760 Radbodo ſecundo circa annum 760.

10. SIVARDVS SAPIENS.

SIVARDVS Sapiens præfectus Druydum Scholæ in Aula Dei tempore eiuſdem Radbodi floruit. Cuius conſilijs Tyrannus maxime in Chriſtianos ſæuijt. huius Technis ſupplantatus putatur eſſe Solco Forteman: vt & multi alij Viri boni. Hic libros Ciceronis de natura Deorum damnauit & publicè exuſsit, quod ipſius iudicio continerent inſynceram de Dijs gentium doctrinam: Chriſtianorum acerrimus inſectator fuit. Scripſit autem ad emulationem Solconis Fortemani.

Hiſtoriam Principum, Ducum, & Regum Friſiæ.

De prohibenda Chriſtianorum Doctrina.

770 Et quædam alia. Vixit circa annum 770. & deinceps.

DECAS

Anno Chriſti.

DECAS SEXTA.

1. OCCO SAPIENS.

OCCO Sapiens ex eadem Druydum ſchola in Aula Dei vel collega vel ſucceſſor vel denique diſcipulus fuit ſupradicti Siuardi, & ſub eodē Radbodo floruit circa annum 774. & deinceps, inſectator & ipſe acerrimus Chriſtianorum. qui ſcripſit vt ex Huberti Scoti Collectaneis & allegatione noſtrorum intelligimus. 774

De doctrina Druydum.

De ſucceßione Profeſſorum eiuſdem doctrinæ in Aula Dei.

Ad Radbodum Regem de vindicando Deorum contemptu aduerſus Chriſtianos.

De Sacrificijs Deorum.

2. IOANNES cognomento PRESBYTER.

IOANNES Adgilli, eius nominis ſecundi Friſiorum Regis filius inter fratres Gundobaldum, & Radbodum natu medius, ob Regni auiti contemptū, & ſingularem Religionis Chriſtianæ propagādæ zelum & incomparabilem vitæ ſanctimoniam vulgò Presbyter cognominatus, vna cum Otgero Danorū Rege expeditionem fecit ſub Carolo Magno in terram ſanctam: Et captis Hieroſolymis cum Carolus rurſus Germaniam peteret, vna cum Otgero in Indiam perrexit, ibiq; occupata vaſtißima terra Regnum cōdidit, quod eſt ab eo denominatum Regnum Presbyteri Ioannis. Cuius ſucceſſores potētißimi Reges deinceps Presbyteri Ioānes appellati ſunt: Ipſum

Regnum

Anno Chriſti. Regnum poſtea etiam Abyßinorum dictum eſt, de qua re plenius dicturi ſumus in opere noſtro de Colonijs Friſiorum, & in 14. annalium noſtrorum libro: Scripſit autem Ioannes hic ad Gundobaldum nepotem ſuum Radbodi filium vti teſtatur Cappidus qui temporibus eius valde vicinus fuit, de expeditione Caroli Francorum Regis in terram Sanctam.

De expeditione ſua in Indiam.
De terræ Indianæ qualitate.
De gentium in ea diuerſitate.

790. Floruit ſub Caralo Magno circa annum Chriſti 790.

3. ADEL ADELINGVS.

ADEL Adelingus ex Regali ſtirpe vir non minus eruditione & militari fortitudine, quam auita nobilitate conſpicuus, Comes fuit expeditionis Ioanni Presbytero in Indiam vbi & cum eo manſit, & inter primores eius primo loco cenſitus, ſedes habuit amplißimas, & portui nomen dedit in terra Abißinorum, qui ab eo etiam hodie Adel appellatur: Hic teſte Cappido & Sterkenburgio ſcripſit.

De monſtris Indiæ.
De moribus Indorum.
De Religione Indorum.

792. Floruit ſub eodem Carolo Magno circa annum 792.

4. S. VITHO.

SANCTVS Vitho natus in Aula Dei ſed maturè traditus pijs Præceptoribus Chriſtianæ doctrinæ fundamenta iecit Vltraiecti ſub S. Villibrordo,

qui

qui ob excellentem ipſius eruditionem ac pietatem à Carolo Magno primus Epiſcopus eſt conſtitutus Eccleſiæ Oſnabrugenſis, cui ſingulari priuilegio Rex prærogatiuam attribuit præ cæteris Epiſcopatibus per Saxoniam in literarum cultu. De quo plura in Eccleſiaſtica noſtra hiſtoria: Albertus Cranthius & Albertus Stadenſis ſcriptorũ eius non meminit, Cappidus allegat ab eo ſcriptas. Anno Chriſti.

Epiſtolas ad diuerſos.

Item ordinem ſcholæ Vltraiectinæ.

Item inſtitutionem ſcholæ Oſnabrugenſis.

Vixit circa annum Chriſti 796. 796

5. S. LVDGERVS.

SANCTVS Ludgerus natus in pago Virumo prope Doccomium, propter inſignem ipſius eruditionem ac pietatem à Carolo Magno primus Epiſcopus Monaſterienſis cõſtitutus eſt. De quo plura in Eccle. hiſtoria noſtra, hunc eleganti ſtylo ſcripſiſſe comperio.

Vitam S. Suitberti, qui S. Villibrordi coadiutor fuit, quam eandem & S. Marcellinus antea conſcripſerat.

Item ea quæ in paſſione S. Martyris Bonifacij de eo prætermiſſa nouerat, primordia ſcilicet vitæ eius, aduentum atque ordinationem pulchro ſermone deſcripſit.

Compoſuit & libellum de vita Sanctorum, quondam Doctorum Venerabilium atque Sacerdotũ Gregorij & Albrici.

Floruit circa annum Chriſti 800. Sub Carolo Magno. 800.

6. HAN-

Anno Christi.

6 HANCO FORTEMAN.

HANCO Forteman vir primariæ nobilitatis & rei bellicæ gloria inſignis fuit, de quo in opere de Ducibus, Comitibus &c. plenius dicturi ſumus. hic ſcripſit expeditionum ſuarum memorias, quas ſub Imp. Græco, Rege Scotiæ & Angliæ, & demum ſub Carolo Magno fecit, vti teſtatur Andreas Cornelius: Floruit ſub Carolo Magno circa annũ Chri-
804 ſti 804. Is ſcripſit Orationem luculentam de Trinitate contra Arrianos & Sabellianos: & quædam alia. Floruit ſub Ludouico circa annum 32.

7. S. ANSCHARIVS.

S. ANSCHARIVS natus in ciuitate Friſiæ Vardena, quam progreſſu temporis inundatio maris oppreſſit & abſtulit, Vltraiecti in Schola S. Gregorij Epiſcopi qui S. Bonifacij martyris ſucceſſor fuit, literarum & pietatis fundamenta iecit, inde Corbeiam Saxoniæ petijt Religionis monaſticæ ergo, vnde ob inſignem eruditionem ac pietatem & zelum erga diuini verbi propagationem, tandem primus Epiſcopus Bremenſis eſt conſtitutus de quo copioſius acturi ſumus in hiſtoria noſtra Eccleſiaſtica. Scripſit ille plura quæ interciderunt ac latent. ſed Albertus Crantzius allegat eius

Epiſtolas plures.

Item libellum, Pſalmorum ſummam paucis includentem.

Vixit ſub Francorũ Rege Ludouico pio circa an-
806 num 806.

8. S. FRE-

8. S. FREDERICVS.

Anno Chriſti.

S. Fredericus ab Adelen octauus Epiſcopus Vltraiectinus fuit, eruditione ac pietate conſpicuus: vt in Eccleſiaſtica Hiſtoria noſtra plenius declarabimus.

9. S. ODVLPHVS.

S. Odulphus quamuis Orſchotij in Brabantia natus ſit, inter ſcriprores noſtrates, ideo referendus nobis hic eſt, quod ſingulari zelo flagrauerit in maioribus noſtris à gentili idololatria ad veri Dei cultum conuertendis ſicuti in Hiſtoria Eccleſiaſtica noſtra diffuſius explicabimus: Scripſit autem hic auctor antidotum ſiue amuletum aduerſus Striges, incubos, ſuccubos, & conſimiles Dæmonum præſtigias quibus tum mirum in modum Friſia penè ad ethiciſmum relapſa vexabatur. Scripſit etiam & alia quædam quæ non perinde memorantur. Vixit ſub Ludouico Pio Francorum Rege circa annum Chriſti 836. 836

10. NANNO PHILOSOPHVS.

NANNO Philoſophus Staurienſis fuit, præceptor Radbodi 14. Epiſcopi Vltraiectini, in literis humanioribus inſigniter exercitatus, ſicuti Io. Trithemius ex Ioanne Becano Canonico Vltraiect. refert: Qui vir doctiſſimus ſui ſæculi extitit: Scripſit autem cum alia quædam, tum etiam præclara commentaria in Ariſtotelem de cœlo & de mundo.

Item in Ethica vniuerſa.

Item in Platonem de legibus: & de Repub.

Quæ in Bibliothecis per Hollandiam & Friſiam haberi ſolent. Scripſit & alia quædam, quæ nuſquam ap

Anno Christi. 880. *parent iniuria temporum oppreſſa: floruit circa annum Domini 880.*

DECAS SEPTIMA.

1. S. REMBERTVS.

SANCTVS *Rembertus Sancti Anſcharij conterraneus cognatus Diſcipulus & Succeſſor pari zelo flagrauit in propaganda Religione Christiana ſicuti latius declarabimus in Hiſtoria Eccleſiaſtica.*

Scripſit vti teſtatur Alb. Crantius.

Epiſtolas plures ad diuerſos:

Vnam præcipuè ad Virgines de virginitate.

884. *Floruit circa annum Chriſti 884.*

2. S. RADBODVS.

SANCTVS *Radbodus Regio Friſiorum ſanguine oriundus, atauum, maternum habuit Radbodũ vltimum Friſiorum Regem & auunculum Guntharium Archiepiſcopum Colonienſem, ipſe omni literarum ac virtutum genere cumulatiſſimè ornatus, Vltraiectinorum Epiſcoporum 14. fuit. De quo cumulate acturi ſumus in Hiſtoria noſtra Eccleſiaſtica: Scripſit autem quæ à diuerſis Authoribus allegantur.*

De laudibus Sancti Martini.

De laudibus S. Amelbergæ virginis lib. 1.

Item de S. Villibrordo flores lib 1.

Laudes S. Bonifacij Epiſcopi lib. 1.

Homiliarum & Sermonum librum vnum.

Integrum de S. Martini tranſlatione officium compoſuit quo Eccleſia hodie vtitur.

Item varios cantus in honorem Sanctorum. Anno Chriſti.

Opera eius hactenus in tenebris iacent, præter Eclogam Eccleſiaſticam de virtutibus B. Lebuini Preſbyteri, quæ extat in calce 6 Tomi Laurent. Surij. Floruit circa annum Chriſti 900. 900.

3. CAPPIDVS STAVRIENSIS.

DE vitâ & conditione huius Cappidi nihil hactenus certi inuenire potui, niſi quod patria Stauorienſis, profeſſione Sacerdos fuit: Hominem doctum fuiſſe ac diligentem ex monumentis eius apparet, quæ ſi integra ad nos perueniſſent, nihil pene antiquitatum nos lateret, quod ad plenam rerum Friſicarum cognitionem pertineret: Hic enim à Principe ipſo Friſone, eiuſq; filijs & poſteris deinceps, quæ ad ætatem vſque ſuam intermedio tempore ſcripta ſunt, omnia accuratiſſimè euoluit, & teſtimonij gratia ſingulatim vnde habet, in ſuis fideliter allegauit. Mihi certè hæc ipſa qualiacunque illius fragmenta, quæ mihi contulit præſtantiſſimus vir Andreas Griphius de quo infra ſuo loco dicturi ſumus, magno adiumento fuerunt, non ſolum ad errores multorum coarguendos, ſed etiam ad ipſam rerum veritatem conſtabiliendam: Multa etiam ſcriptorum nomina incognita, multas ſcriptorum incognitas lucubrationes mihi ſuggeſſit. Quibus ſtudium ſcribendi in gente noſtra, vt antiquiſſimum, ita etiam aſſiduum fuiſſe declaratur. Ex quibus facile æſtimare licet quantam iacturam Friſia paſſa ſit, ex conflagratione Bibliothecæ publicæ quæ Stauriæ fuit in templo Stauonis quod poſtea Diuo Nicolao conſecratum eſt, in quo acta omnia publica & monu-

Anno Chriſti. menta Regni Friſonici ab initio hactenus diligentiſſima cura coaceruata & conſeruata fuerant. Quā tunc adhuc integra Cappidus vti potuit: Scripſit autē Cappidus vt ex ipſis fragmentis & aliorum allegationibus didicimus:

Genealogias & ſeriem Principum, Ducum, & Regum Friſiæ.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam gentis Friſonicæ.

Vitam Sancti Lebuini

Vitam Sancti Otgeri.

Vitam Sancti Plechelmi.

Vitam Sancti Odulphi.

920 Et quædam alia. Vixit circa annum Domini 920.

4. OCCO SCARLENSIS.

OCCO hic, Scarlenſis inde dictus eſt, quod in Pago Geeſterlandiæ Scharla dicto natus ſit. Patrem is habuit virum nobiliſſimum Gaeltzionem à Takema: Hic reliquias auunculi ſui magni Salconis Fortemani, de quo ſupra dictum eſt, nactus quaſcunque habere potuit in ordinem redegit, & induſtria ſua vtcumque ſarciuit iacturam hiſtoriæ Friſonicæ, quam Radbodus Rex prorſus extinctam voluit: Ipſe interim ex actis recentibus de ſuo ſupplementum addidit, & ab exordio gentis ad ætatem vſque ſuam continuam rerum in Friſia geſtarum ſeriem deduxit. Quod opus tamen nunquam publicatum fuit, ſed in Familia Takemmana velut peculiaris & incomparabilis quidam theſaurus magna cura aſſeruatum, donec Ioannes Vlieterpius id nactus diuulgaret vt infra ſuo loco dicetur: Scripſerat autem Occo hic vt & annuculus eius mvgnus Solco hiſtoriam ſuā

lingua

Anno Chriſti.

lingua latina, quam Ioannes Vlieterpius & eum ſecutus Andreas Cornelius Belgica lingua interpretati ſunt & ampliarunt: Vixit autem hic Occo circa annum Chriſti 970. 970.

5. VFFNIGIVS.

VFfingius qui & Vffo Vorcomienſis patria natione Friſius, profeſſione Monachus Benedictinus in monaſterio S. Ludgeri Vertinæ. Claruit circa annum 1000. Extat autem antiquum exemplar in S. hiſtoriæ collatæ per hunc.

De vita Sanctæ Idæ Viduæ.

Item hiſtoria S Lucij Regis Britanniæ.

6. ADELBOLDVS Epiſcopus.

ADelboldus 19. Epiſcopus Vltraiectinus, ex nobili familia in Friſia natus, multa memoria dignæ geſſit: De quibus plura dicturi ſumus in hiſtoria noſtra Eccleſiaſtica: is ſcripſit

Vitam ſancti Henrici Imperatoris.

De Laude ſanctæ Crucis.

De laude Beatæ Mariæ.

Multa etiam præterea tam metro quam proſa edidit, quæ tamen hactenus in tenebris occulta iacent: Floruit circa annum 1015.

7. VILCO IAERSMA.

VILCO Iaerſma Secretarius nobiliſſimi viri Elconis A. Liaucama in terra Sancta, ſcripſit res geſtas Domini ſui & plurium nobilium ſub Balduino in occupatione eiuſdem terræ ſanctæ: ſicut refert Andreas Cornelius libro ſecundo ad annum 1015.
Chriſti. 1106.

Anno Chriſti.

8. S. IARICHVS.

SAnctus Iarichus Abbas Horti Mariæ ſiue vt populari lingua nominatum fuit, Mariægarde, ordinis Præmonſtratenſis vir in ſacris vndecumque doctiſſimus multa ſcripſit in Geneſim commentaria quæ paſſim in Bibliothecis per Friſiam haberi ſolent: Floruit
1122. circa annum Chriſti 1122.

9. S. SIBRANDVS.

SANCTVS Sibrandus Abbas eiuſdem Horti Mariæ vir fuit in primis pius ac ſanctus & plurima luculenter ſcripſit quæ iniuria temporum interciderunt. Inter cætera autem luculento ſtylo ſcripſit vitam S. Frederici Hallemi, qui primo Paſtor in pago Hallemo, & poſtea fundator primus Horti Mariæ fuit, atque ibi Abbas primus fuit: Floruit circa annũ
1160. Chriſti 1160.

10. Vlmarus & Saxmundus.

VVlmarus & Saxmundus allegantur ſapientes in legibus Freſionum antiquis apud Ioannem Heroldt, qui Freſionibus vel tulerint vel certè additionibus ſuppleuerint leges: qui quales fuerint hactenus inuenire non potui. Vixiſſe eos circa annum Chriſti 1264 puto, ea coniectura ductus quod ipſæ hæ leges apud Heroldum quibus iſti præfuerunt ſatis arguant eos fuiſſe Chriſtianos, & legum latio talis quæ lis illic proponitur apud Friſios facta deprehendatur circa hæc tempora: vt ex aliis Friſiorum legibus quæ Friſica lingua excuſæ extent manifeſtè patet. Ipſaq. nomina indicant hoſce ſapientes ex orientali Friſia oriundos fuiſſe: Differunt autem hi ſapientes

ab

ab illis quos ſupra poſuimus, hi enim ex legum Ciuilium profeßione ſicut & quiuis alij hodie Iureconſulti vſitate ſapientes appellantur: Iſti verò Ethnicorum more ſapientes vocati ſunt ex profeßione, quæ penes eos ſolos fuit: Erat enim in ciuitate Friſiæ qua nunc Leouardia vocatur, tunc autem Aula Dei dicebatur, ſchola Druydum qui magna diligentia illic Deorum cultum, bonas literas & Philoſophiam docebant vti ſuo loco plenius declaraturi ſumus. 1264.

DECAS OCTAVA.

1 BERTRANDVS HAERSMA.

BErtrandus Haerſma, ex nobili familia natus, ſed quibus parentibus, & quo loco non ſatis conſtat: Hic Pariſiis operam Philoſophiæ & Theologiæ dedit: vbi & Raimundum Lullium publicè docentem audiuit. Cuius quidem Lullij mores & ſcripta qui ſcire deſiderat, legat eius vitam, quam Corolus Bouillus conſcripſit. Iodocus Aſcenſius Pariſiis excudit anno 1511. Fuit autem Lullius hic ſummæ auctoritatis ſæculo ſuo, adeo quidem vt in Hiſpania duæ ſint vniuerſitates, quæ Lullianæ dicuntur, ex eo quod Dialecticam Lullij continenter doceant: Poſteriori ſæculo magis arriſit doctrina Ariſtotelis: Quæ ſcholis Philoſophicis Logicam porrigeret. Cùm animaduerterent in Lullio non tam rerum modo, quam verborum copia facultatem terminari: Vnde Eraſmus Rot. dixit Lullium docuiſſe artem non dicendi ſed nunquam tacendi: Hunc igitur Lullium Pariſiis tum temporis celeberrimum Bertrandus noſter, vt videtur, non oſcitan-

Anno Christi. oſcitanter audiuit, qui & ſcripta quædam reliquit, quæ in Bibliotheca conuentus Angiemi propè Franekeram obſeruari ſolent, ex quibus nominatim ſunt.

Myſterium artis Lullij.

De mutatione Religionis Chriſtianæ.

Quæ quidem an in lucem prodierint equidem nondum comperi: auctor vixit circa annũ Chriſti 1320.
1320.

2. IOANNES VLIETERPIVS.

IOannes Vlieterpius Secretarius nobiliſsimi viri I. H. Martena poteſtatis Friſiæ cum hiſtoriam Occonis Scharlenſis ſupradicti Stauriæ forte reperiſſet, ipſeq́; iam olim ſyluam collegiſſet antiquitatum Friſiæ, magno ſtudio eo incubuit, vt ex his vnum continuæ hiſtoriæ corpus componeret: Itaque in linguam Belgicam quæ Occo latinè ſcripſerat tranſtulit, & ſuã etiam Belgicè conſcripſit, atque ita arbitrio ſuo vſus continuo filo hiſtoriam deduxit, à prima gentis origine, vſque ad ætatem ſuam: Et fuit ſanè hoc opus digniſsimum, quod in lucem ederetur, quamuis tamen ex nimio quodam zelo ſuppreſſum in priuatæ familiæ ornamentum fuerit, donec per incuriam cuſtodum ſitu multis in locis ita corrumperetur, vt legi difficulter potuerit, ſicuti teſtatur Andreas Cornelius, qui hoc opus ad extremum expleuit vſque ad præſentem hanc ætatem noſtram, vt in Andrea infra amplius dicemus: Quibus parentibus aut vbi natus fuerit, hic Vlieterpius hactenus inuenire non potui.
1370. Vixit autem circa annum Domini 1370.

3. M. ALVINVS.

M. Aluinus ſcholæ Snecanæ aliquamdiu Rector, & deinde eiuſdem Reipub. Secretarius ſcripſit

pſit Tractatum ſiue Compendium Hiſtoriæ Friſonicæ ab exordio gentis vſque ad Carolum magnum: in quo Friſiorum Ethnarchum ab Indis, Indos ipſos à Ragau ſiue Reu ipſumq; Ragau deducit à Sem filio Noë porròque refert quo modo Ragau à Sem acceperit pro ſe ac poſteris ſuis Regnum in quadam Indiæ prouincia, quæ ex conſeruatione Semi nomen obtinuerit, benedictæ Freſiæ. Tum etiam quod idem Sem Ragano poſteriſq; eius in perpetuum authoramentum Regiæ Maieſt. contulerit coronã Chalybeam, & vexillum rubrum incomparabili virtute præditum: Quorũ ſymbolo admoneri deberent ſibi commiſſam eſſe curã libertatis, & fortitudinis, vt & ipſi ſe præſtarent inuictos, & alijs etiam ad victoriam præirent. Commemorat deinde matrimonium Ragaui, & poſteritatẽ & ſucceſſum huius in benedicta Freſia: addit & Friſonis deceſſum ex illa, & aduentum in hanc terram: Tradit deinde quo modo Friſii præſidio huius coronæ atque vexilli (quæ Friſo iſtinc huc ſecum aduexerit) ſemper nixi in tuto fuerint. Donec Rex Danorum coronam tandem incautis extorſiſſet, vexillo interim ad quingentos ferè annos ob metum Danorum in terra defoſſo, quo demum per S. Villibrordum Angelo monſtrante refoſſo, Magnus Fortemanus primus Comes in Benthem Friſiorum Dux Romam à Saracenis liberauit, eamq; Carolo Magno tradidit, eoq; nomine libertatem Friſiis ab Imperatore impetrauit: Hactenus Albinus. Cuius tamen exemplaria, quæ diuerſa vidi, in paucis quibuſdam diſcrepant: Vniuerſa tamen hæc hiſtoria mihi olim mera fabula viſa eſt vt & alijs forte videatur, ſed [illegible] ore loca[illegible]

Anno Chriſti.

Anno Chriſti.

habere cœperim duobus potiſsimum argumentis motus ſum: Primum quod Aluinus hic ſe Rythmos Friſicos, Rythmis belgicis interpretatum ſcribit, nam Rythmicè Tractatum ſuum compoſuit: Deinde quod citentur in his Aluini Rythmis hiſtoriæ teſtes non futiles ſed fide digniſsimi, & omni exceptione maiores, Moyſes ſcilicet Ioſephus & Megaſthenes, & Patrocles quibus nititur vſque ad Friſionis deceſſum, ex benedicta Freſia: Nemo autem dubitat plurimum authoritatis fuiſſe in quaq; gente Rythmis huiuſmodi patriꝭs antiquis, vtpote quæ fuerint veterum cantilenæ, de laudibus Principum, Ducum ac Regum, quæ quod ſynceræ & ſine fuco eſſent, dignæ ſunt habitæ quæ in cœtu publico laudarentur, ad memoriam eorum, quibus vel originem ſuam, vel defenſionem, vel quoduis aliud beneficium populus deberet: Harum autem cantionum vſum apud maiores noſtros extitiſſe, earum denique in primis petitum fuiſſe Berulefum quendam hominem cæcum, cum aliunde tum etiam ex hiſtoria vitæ S Ludgeri diſcimus, quæ teſtatur S. Ludgerum huic cæco in pago Holuerdia paganis deprecantibus & hanc eius peritiam prædicantibus reſtituiſſe viſum: quocirca ſi Aluinus vt aſſerit ex Rythmis friſonicis tractatum ſuum compoſuit, hauſit eum nimirum ex antiquitatibus publicè approbatis: Iam quantum ad genealogiam Ragaui attinet, vera eſſe quæ adfert, quis neget qui Ioſephum ac Moyſen legerit, ea verò quæ ad conſecrationem Freſiæ, Ragaui matrimonium, poteſtatem, Regiam Maieſtatē, coronam & vexillum, & Friſonis ex patria deceſſum pertinent, Megaſthenes ex certa ſcientia teſtari potuit

potuit. Fuit enim hic Megaſthenes conterraneus & æqualis Friſonis: Fuit enim ex eadẽ vrbe Palibothra natus, ex qua natus eſt & Friſo. Eadem enim vrbs antiquitus Freſia, vt & ipſa quoque prouincia in qua ſita eſt, dicta fuit, quam Græci Pariſiam appellarunt indigenæ Palibothram dixerunt, poſterior ætas inco las eius mandralas nominauit: Cùm autem Sandracottus Indorum Rex poſt obitum Alexandri magni, rebellans Alexandri Duces in India relictos, & in his Friſionem quoque præſidijs exturbaſſet: fuit hic Megaſthenes ab Alexandri ſucceſſoribus ad hunc Sãdracottum vno cum Dionyſio miſſus legatus ad componendam pacem, ſicuti teſtatur Strabo libro ſecundo & Plinius lib. 27 cap. 6. Quocirca dubium nulli eſſe debet quin Megaſt. de origine Friſonis de rebus ab eo geſtis, de deceſſu eius ex patria, & cæteris quæ in recenti adhuc memoria tunc erant ſcripſerit, quæ & ignorare non potuit, & ob viri ſplendorem ſilentio in uoluere non voluit. Scripſiſſe autem illum diligenter res patrias, complures authores teſtati ſunt: & Clemens Alexandrinus citat eius librum tertium rerum Indicarum: ſic vt etiam ad manus maiorum noſtrorum eius monumenta peruenire potuerint vnde teſtimonium hiſtoriæ ſuæ peterent. De Patrocle alibi diximus, quem non in Aluini tantum Tractatu, ſed etiam in geſtis Friſiorum allegatum videmus. Eſt autem Aluini exemplar paulò caſtigatius quod ſuppeditauit mihi D. Hubertus Schotus quã quod extat in Thabortio Codice. Hæc igitur certitudo me extimulauit, vt maiori diligẽtia ſcrutarer etiã alios antiquitatũ ſimiliũ ſcriptores, & excuſſis quibus potui omnibus

reperi

Anno Chri-ſti.

comperi ea quæ de origine & patria Friſonis hic aſſeruãtur eſſe veriſſima, ſicuti in libro tertio de Antiquitate & Origine Friſiorum plenius deduximus. De conſecratione Freſiæ, de corona, de vexillo, quæ dicuntur pari veritate cum cæteris niti arbitramur, tū propter authoritatem Megaſthenis ac Patroclis, qui hiſce teſtimonium præbuerunt, tum etiam propter conſtantem tot ſæculis apud noſtrates harum rerum memoriam, tum deniq; propter memorabilem euentum, quem his in Friſia noſtra tum ſcriptores noſtri, tum etiam Romani attribuunt. Fuiſſe enim vexillum apud maiores noſtros in ſumma ſemper veneratione, nemo eſt in Friſia qui ignorat. Et fuiſſe in Marſis celeberrimum T'anfane templum, quod Romani euerterint, teſtatur Annalium libro primo Cornelius Tacitus: Vbi eum interpretes hactenus aſſecuti non ſunt, cui numini tēplum hoc conſecratum fuit, in collectaneis Huberti Schoti expreſſis verbis templum T'anfane, dicitur templum fuiſſe ad vetus vexillum in Friſia: Marſos enim qui diuerſa Etymologia diuerſis in locis fuerunt, etiam Ioachimus Hopperus collocat in Friſia, cui & diuerſa antiquitatis veſtigia ſuffragantur: & T'anfane contractum eſt ex dictionibus Toh alden, fane, quod ſignificat ad vetus Vexillum: Toh enim ad, alden vetus, & fane vexillum ſignificat: Itaque templum T'anfane fuit templum ad vetus vexillum: Ac merito quidem hoc vexillum vetus appellatum fuit, quod tot ſæculis ante Friſonis aduentum in Friſia, & deinde trecentis & amplius annis in Friſia hac noſtra ante Romanorum aduentum vſurpatum fuit: Celeberrimũ autem illud

illud templum merito dictum fuit, propter quatuor iſtas virtutes eximias, quas huic vexillo à Patriarcha Semo inditas fuiſſe Aluinus refert. Anno Chriſti.

Earum prima erat amuletum contra tonitrua, fulmina, & quaſuis alias tempeſtates: Secũda erat remedium aduerſus ſtriges, lemures, incubos, & ſuccubos, & quoſuis alios nocturnos ac diurnos Cacodæmones: Tertia erat vis ad expellendos immundos ſpiritus ex obſeſſis hominum corporibus: Quarta erat efficacia certæ victoriæ in prælijs aduerſus hoſtem. Harum igitur virtutum nomine hoc vexillum quaſi precipuum Dei tutelaris inſtrumentum templo celeberrimo nomen dedit vt T'anſane diceretur. Nam ex hoc templo velut ex communi ac publico totius prouinciæ armario vexillum hoc per Sacerdotes petebatur quoties neceſſitas præſenti calamitati auxilium flagitaret Templo per Romanos euerſo, ſacerdotes vexillum, quod commodum aliò, neceſſitate tum flagitante deuexerãt, magna ſolicitudine abſconderunt, ne in hoſtium manus incideret, & vulgo perſuaſerunt, in terra eſſe defoſſum. Et Romanis tandem Germania excuſſis inuidia periculi huius in Danos deriuata eſt, qui Friſiorum hoſtes continui remanſerunt. Quæ perſuaſio vulgò durauit, vſque ad tempora S. Villibrordi, qui vexillum hoc in lucem reduxiſſe ſcribitur, vnde & Magno Fortemano datum fuit primo Comiti in Benthem qui illius præſidio ſub Corolo magno Romam cepit, & captam Carolo tradidit: & eo nomine Friſiis libertatem ab Imperatore obtinuit, vnde & vexillum hoc porrò Magnus fane hoc eſt Magni Vexillum à noſtratibus appellatum

fuit

Anno Christi. fuit: Eundem etiam Magnum Romã reuerſum aſſerunt: Roma reuerſum non modo Diploma libertati Friſonicæ quod ab Imperatore ac Pontifice obtinuerat Almenum, quæ nunc Harlinga, dicitur in Templo depoſuiſſe, quod Pater ipſius Guſtauus Fortemanus cõdiderat, ſed etiam vexillum hoc ibide abſcondiſſe, ne qua in Ethnicorum manus amplius incideret & Idololatriæ ſeruiret. Nulli ſanè mortalium hactenus viſum eſt, vnde multi putant non illic ſed alibi eſſe reconditum in loco magis tuto, cum templum illud ea tempeſtate parietes tantum ex ligneis aſſeribus, tectum ex arundinibus habuerit. Qua de re multa vir primariæ nobilitatis & non infimæ auctoritatis Jencko à Douma in teſtamento ſuo diſputat: Perſuaſum eſt enim noſtratibus ex Vaticinio quodam fore aliquando conflictum in terra Stania, quod eſt ampliſſimum pratum in Friſia ad Lauicam fluuiũ prope pontem Gercomum, & ibi certatum iri de libertate patriæ, & victores eos eſſe futuros penes quos copia huius vexilli fuerit: Sed hæc quæ Aluini occaſione paucis hic perſtrinximus, alibi prolixius explicabimus: De Aluino autem ipſo nihil amplius reperire potuimus, niſi quod floruerit circa annum Chr. 1400.

1400.

4. VESSELVS Gruninganus.

VEſſelus dictus lux mundi Groningæ natus fuit circa annum Chr. 1419. qui in patria perceptis vtcunq; triuialibus artibus, cũ eſſet præſtantiſſimo ingenio præditus amplioris cultus gratia nõ modo Germaniam, Galliã, & Italiam, ſed & Græciam videre voluit: Vbi cum eruditis, quos inuenit, linguæ philoſophiæ potiſſimum gratia verſatus eſt à quibus ❧

Baſili

Anno Chriſti.

Baſilij nomine donatus eſt: Vnde reuerſus cum & Hebræam linguam Græcæ atq. Latinæ addidiſſet, magnæ admirationi fuit ſæculo Barbaro. Cuius proinde tenebras cũ eruditionis lumine diſcuteret, vulgò lux mundi dictus fuit: Docebat enim clarius & diſputabat euidentius, quam reliquum profeſſorum vulgus cum inſtructus eſſet artibus Logicis, quæ reliquis rectè explicandis comparatæ ſunt. peperit ea res illi magnã inuidiã, apud eos qui hactenus in ſumma authoritate fuerant, cum ſe à iuuentute deſtitui, illum coli animaduerterent: Docuit autem Coloniæ, Heidelbergæ, & Pariſiis: Incidit tandem in controuerſiam de Religione cũ Theologis, ex qua in periculo fuit. Ideoque relictis Academijs in patriam ſe contulit, & in priuato ſtudio ſe continuit: Gruningæ enim in conuentu Spiritualium Virginum ſedem fixit: non quidem vt habitum ſumeret, quod quidem putant, qui eũ ordinis Hieronymiani monachum & iſtius conuentus Patrem fuiſſe ſcribunt, ſed vt priuatus ibi viueret in otio literato & Theologiæ ſtudio ſe oblectaret: Commendatus fuit Virginibus à Dauide Burgundo Epiſcopo Vltraiectino: Cuius ad ipſum Veſſelum datæ literæ in couuentu eo conſeruantur, ſicut & aliorumque que magnatum & doctorum virorum: Incertum autem eſt, vtrum ne ipſe an verò eius nomine Epiſcopus virginibus expenſas menſæ ſoluerit, an denique gratis ab illis alitus fuerit. Inter familiares & amicos, quos multos Gruningæ habuit maximi fecit Rodolphum Agricolam & M. Ioannem Oeſterdorpium poſtea Canonicum Dauentriæ, ad Sanctum Lebuinum. Vixit autem Gruningæ diu charus

omnibus

Anno Chriſti. *omnibus: Tandem mortuus & ſepultus eſt in templi Choro non longe à ſummo altari. In libro memoriali eiuſdem templi hæc leguntur: Anno Domini 1489. Obijt Veneralibis M. Veſſelus Hermanni egregius Doctor ſacræ Theologiæ, & in Latina & Græca & Hebræa linguis multum eruditus, & in tota Philoſophia quaſi vniuerſalis. Epitaphium illi huiuſmodi poſitum propè monumentum fuit.*

Pallida Veſſeli ſaxum hoc tegit oſſa magiſtri
Philoſophos inter, qui Leo fortis erat.
Illum lingua triplex, Hebræa, pelaſga, latina.
Inclita doctorum ſcandere pulpita dedit:
Agrippina & Pariſium, duo regna Mineruæ:
Senſere ingenij vimq́ decuſq́ ſui:
At laus vna Viro, quia totum ſcibile ſciuit
Et vitio infectis malleus ipſe fuit:
Arx Friſiæ cineres Germania tollit honores.
Dic ferat omnipotens Lector amice animam.

Multa ſcripſit in Theologia, quæ tamen ad manus noſtras hactenus non venerunt, à Catholicis autem non probantur. Qua ætate vixit ex natiuitate ac morte eius apparet.

5. RODOLPHVS AGRICOLA.

Rodolphus Agricola anno Chriſti 1460. natus eſt in Baſſlo, qui pagus ab vrbe Gruningana 1460 *Septentrionē verſus duobus miliaribus diſtat: Fratres habuit duos ſe iuniores, non quidem Germanos ſed vterinos Ioannem & Henricum. At Ioannes quidem Secretarius fuiſſe videtur Gratioſæ Dominæ Auricenſis, ad quem extant ſcriptæ plures eius epiſtolæ: Henricum adhuc adoleſcentem ſtudijs infirmandum*

aliquam

aliquando commendauit Alexandro Hegio ſcholæ **Anno Chriſti.** *Dauentrieſis tum Rectori, & tandem ſecum Heidelbergæ habuit: De quo nihil amplius conſtat. Ipſe Rodolphus etiamnum puer & pene infans ingenij & induſtriæ ſuæ ſpecimen parenti ita certum dedit, vt ille quoad vixit ſumptus ſtudijs eius nõ grauatim ſuppeditaret: Itaque iactis in patria litterarum fundamẽtis Louanium miſſus eſt, cui vniuerſitati, vt Alardus Amſtelredamus aſſerit Dialectices, Theologiciq; ſtudij primordia debet, inſtitut⁹ in pædagogio Falconis: vt teſtatur Geldenhaurius. Hinc in Franciam, indeque in Italiam proficiſcitur, & Ferrariæ Theodorum Gazam, qui ibi Ariſtotelem docebat, diligenter audiuit: vbi cùm in cœtu doctiſsimorum virorum ingenij ſui vires exercuiſſet, multis magnatibus innotuit: Maximè autem familiaris fuit Ioanni Camerario Dalburgio poſtea Vormacienſi Epiſcopo, & Pleningero viro nobili, poſtea Principis Palatini Conſiliario, quem vbique plinium ſuum appellat: Inde reuerſus in patriam aliquot annis Gruningæ verſatus eſt, iucundeque cum Veſſelo ſiue Baſilio Gruning. vixit, & fuit ea tempeſtate Gruninganæ Reip. vel Syndicus vel Secretarius, vel certè Conſil. Cuius nomine ſe aulam Cæſ. Maximiliani dimidio anno eſſe ſecutum, & voti compotem ad ſuos eſſe reuerſum, Ioanni fratri ſuo ſcribit: Oblatum ſibi eſſe Rectoratum Antuerpianæ ſcholæ, cum ſtipendio trecentorum Renẽſium annuorum & iuſtis cauſis abs ſe recuſatum ad eundẽ ſcribit & cauſas addit cur Heydelbergenſem prouinciã huic prætulerit: Itaque Heydelbergam venit anno 1582. & elapſo triennio vno, diem ſuum obijt: Cùm*

Anno Chriſti. *autem Heydelbergam veniſſet, cõperit locum ipſum genio ſuo mi um in modum repugnare. Qua de re apud Ioh. fratem per literas conqueſtus eſt: Sed vicit tamẽ faſtidium conſtantia, & id quod euitare citrà leuitatis notã nẽ potuit, ipſa cõſuetudine ſibi iucundũ reddidit: Itaq; etiam ſuauiſſimè ibi vixit, ſtudioſis neceſſarius, profeſſoribus vtilis, omnibus gratus omnibus venerabilis. Potuit in Italia magnus eſſe, niſi litterarũ ſtudia in Germania ſibi excitanda ꝓpoſuiſſet. Potuit etiam in ipſa Germania atque etiam in Belgio conditiones ampliſſimas conſequi, niſi litteris propagandis totum ſe conſecrare maluiſſet, vt ad Ioannem Reuchlinum ipſe ſcribit, vt & ad Rodolphum Langium: Itaque vt nullum ſentiret impedimentum in vllo ſtudiorum genere, iam quadragenarius Theologiæ cauſa, literas Hebraicas præceptore quodam Iudæo ſibi adiuncto didicit, cui ſtudio immortuus eſt Heydelb. vbi & ſepultus eſt apud Minoritas in habitu Franciſcano. Anno Chr. 1585. Quantus in omni literarũ genere fuerit, quãto ingenio, quã acri iudicio, quã tenaci memoria fuerit, malo doctiſſimorum aliquot Virorum Elogijs quã verbis meis declarare:*

Hermolaus Barbarus Patriarcha Aquileienſis Epitaphium Rodolpho hoc poſuit.

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
" *Agicolam, Friſii ſpemq; decuſq; ſoli:*
" *Scilicet hoc vno meruit, Germania quicquid*
" *Laudis habet Latium, Græcia quicquid habet.*
" Latomus hoc poſuit.
" *Qui putat ingenijs patriam conferre, Rodolphum*
" *Agricolam Latij dixerit eſſe ſoli:*

Aut

Aut extra Italiam naſci minus eſſe beatum „
Hunc ipſum Friſium, qui putat, eſſe ſciat: „

Sigiſmundus Fulginas Secretarius Innocentij Pō tificis Octaui, Hoc Eulogium poſuit. Anno Chriſti.

RODOLPHUS Agricola vixit annos 42. Hic natione Friſo, Philoſophiæ, Theologiæ cæteriſq; liberalibus diſciplinis in patria plurimum: mox cultoribus ſtudijs Latinæ Græcæq; linguæ in Italiam operam ſummam dedit: Hebrææ poſtremo etiam cognitionē habuit. Muſicæ quoque atque picturæ apprime ſtudioſus fuit: In ſingulis quoque diſciplinis ſupra quā credibile eſt profecit: Obijt dum ex vrbe patriam repetit. Anno Chriſti 1585 quinto calendas Nouembris.

Paulus Iouius Nouocomenſis Epiſcopus Nuccrinus: Eulogium hoc poſuit.

QVIS non te Rodolphe Agricola inuſitato & planè portentoſo ſyderum concurſu natum eſſe fateatur, ſi vim cœleſtis tam varie radioſi luminis, nō ſecus ac in caſtris curſum certior diſciplina deprehenderet? Hauſiſti enim Hebraicas Græcaſq; literas vſq; adeo ſtupenda celeritate, vt neauaquā Gruningæ in vltima Friſia ſed Hieroſolymis Atheniſue natus & educatus à doctiſſimis credere: Latinas porrò tanta felicitate didiciſti docuiſtiq;, vt exacta puritas, ac illa nobilis vbertas Romanæ eloquentiæ noſtro cum pudore inſquallenti aſperoq; Oceani littore cū renda videatur: Viuent profectò in admirantium manibus tua illa, quæ auidè leguntur in Dialecticis Rethoriciſq; præcepta: & diuini ingenij carmina, quibus vel illuſtribus Poëtis numeros excuſſiſti

Anno Christi.

„ Nos vero in magno vitæ tuæ deſiderio aut numinum aut ſyderum inconſtantiam indignantes vſquequaq; mirabimur, quæ tantis cumulatum muneribus, terris tantum oſtenderunt, grauiore quidem iniuria humani generis. Cum ille cœleſti aura fortaſſe dignior in ſecundiſſimo fœcunditatis curſu raperetur: Defunctum Heydelberga Germaniæ vrbe Gymnaſio clara Decuriones ſepulchri honore perornarunt, Hermolaus autem Barbarus apud Cæſarem legatus inſcripto Epigammate ſupremum amicitiæ munus exoluit:

His adderem & eulogium quod illi poſuit Eraſmus Roterodamus in adagio, quid cani cum Balneo? niſi & prolixius eſſet, & ex propinquo peti poſſet à Gerardo Geldenhaurio, qui totum poſuit in Rodolphi vita quam & ipſe ſcripſit, ac poſuit in opere de Illuſtribus Garmaniæ ſcriptoribus: Scripſit autem Rodolphus tum proſa tum carmine multa quæ omnia Alardus Amſterlredamus in duos tomos redegit, & excuſa ſunt Coloniæ apud Ioannem Gymnicum anno. 1539. & habentur etiam in Bibliothecis publicis vnde peti poſſunt, & hodie omnium manibus voluuntur vt neceſſe non ſit hic eorum catalogum texere: Floruit maxime circa ãnnum Domini, 470. 1470.

6. ADOLPHVS OCCO

ADOLphus Occo Medicus & Poëta inſigis, fuit Rodolpho Agricolæ dum vixit admodum familiaris, hic ſi quid ſcripſit, quod in lucem datum ſit, hactenus cognoſcere liquide non potui: Epitaphia certe, quæ diuerſi eruditi in obitum Rodolphi compoſuerant collegit, & edenda curauit, quod ipſe his verbis teſtatus eſt, vt in frontiſpicio poſterioris Tomi operum

operum Rodolphi leguntur, quæ ſunt edita Coloniæ apud Ioannem Gymnicum in, 4. Anno Chriſti.

ADOLPHVS OCCO MEDIcus Rodolpho Agricolæ Friſio conterraneo ſodali chariſsimo, Epitaphia hæc pientiſsime edidit.

D. M. S.

Pietati & memoriæ Rodolphi: Agricolæ Friſij, Germanorum, ſuæ ætatis omnium fatile doctiſsimi: Vixit autem annos 42. menſe 2.

CELTES Protrucius Poëta Laureatus inter tres Friſiorum Poëtas Rodolpho Agricolæ primas, huic Adolpho ſecundas, Theodorico vlſenio tertias partes tribuit: Carmeu ita ſe habet.

Tribus Poëtis Friſia nobilis. „
Claret Rodolphus primus Agricola „
Qui græca miſcebat latinis: „
Et cithara cecinit canora „
Rheni per Vrbes, atq; per Italas. „
Notuſq; Gallis atq; Britannicis. „
Et qua tumeſcit fluctuoſus „
Danubius bibulis arenis „
Adolphus alter qui medicus fuit: „
Clarus per oram noſtram Alemannicam. „
Doctus pelaſgis diſciplinis: „
Et latijs pariter Camoenis: „

Anno Chriſti.

Vlſenius ſed carmine maximus:
In tertio tunc ordine fulgidus
Morbos fugat, blanduſq; triſtes
Carminibus releuare mentes.
Qui varijs mundum experientijs
Artem medendi dans peragrauerat.
Et Maximilianum ſecutus,
Indicem numine, vel Iodoci:

Quo tempore igitur hic auctor vixerit, ex ſupradictis apparet, vtpote qui Rodolpho Agricolæ familiaris extitit: Vbi verſatus potiſſimum ſit, docet nos in Bibliotheca ſua Ioſias Simlerus qui Conradũ Geſnerum expleuit: Et Adolphi Occonis nomen (inquit) habuere tres Auguſtanæ vrbis apud Vindelicos medici clariſſimi pater, filius, & nepos, ac deinde quæ filius ac nepos ediderint porrò recenſet. Itaque hunc noſtrum fuiſſe iſtorum patrem minime dubium eſt. Facit huius Occonis honorificam mentionem Cõradus Peutingerus in ſermonibus conuiuialibus cap. 4. Alardus Amſtelredamus in epiſtola ad Nicolaum Clenardum, quæ Rodolphi Tom. 2. præfixa eſt, teſtatur eum fuiſſe Sigiſmundi Auſtriæ Ducis Medicum, eiuſq; Nepotem fuiſſe Pompeium Occonem quem appellat multis nominibus Friſiæ decus. Addit etiam hunc Adolphũ, Rodolphi Agricolæ in ſtudijs aſsiduũ collegam & in communi Bibliotheca ſocium fuiſſe, ex qua tranſumptum autographum de inuentione Dialectices ipſe acceperit. Huius Pompeij filius fuit Sibrandus Pompeius Occo. Cui Alardus Amſtelredamus dedicauit Aphtonij Progymnaſmata ex interpretatione Rodolphi cũ cõmentarijs ſuis: Floruit

vni-

vna cum Rodolpho circa annum, 1470. Anno Chriſti. 1470.

7 Theodoricus Vlſenius.

THeodoricus Vlſenius homo Friſius (vt ait) Trithemius, ſingularis eruditionis & peritiæ in carmine & oratione edidit nõnulla inter quæ extãt eius.

Elegiæ cultæ.

Et quædam epigrammata.

Et alia plura, quæ ad poſteritatem ventura ſunt, Hæc Trithemius: qui addit eum ſua ætate, cum iſta de eo ſcriberet adhuc viuere ſub Maximilano primo ſcilicet anno Domini, 1494. Fuit autem profeſſione 1494. *Medicus hic Theodoricus, & vt quidam aſſerunt, collegam, vt quidam dicunt ſuſceſſorem habuit Ioannem Cuſpinianum in curatione ſupradicti Imperatoris. Certe Celtes protucius Poëta laureatus teſtatur Maximil. Cæſ. eſſe ſecutum. Vide carmen eius ſupra in AdolphoOccone. Scripſit autẽ Theodoricus præter ſupradicta, libros duos de Pharmacãdi comprobata ratione carminibus, 312 ☧ abſolutos, Noribergæ impreſſos anno, 1596. eiſdem ſcholia adierit Georgius pictorius Villinganus: floruit ea ætate quã aſsignauit Trithemius.*

8. FOLKERVS Simonis.

FOlkerus Simonis Snecæ natus & ibidem educatus & inſtitutus, primũ Rector Scchola conſtitutus & tandem Conſul vrbs creatus eſt. Is ſcripſit Chroricõ Friſiæ ſermone latino, & vixit circa annũ Domini. 1496. vt ad me ſcripſit nobiliſsimus Vir Leo àBeima literis ex Altaromo ad me Louaniũ datis pridie Calendas Maij anno. 1574. quod tamen morte

Anno Chriſti. præuentus ille ad me mittere vti pollicitus erat non potuit nec ego eo mortuo aliunde vnquam conſequi potui. Citatur hic author in ſupplemento Germanico
56. ad Vorperum de Rijnſina Geeſt ad annum. 1496.

9. HARINGVS Sifridi Synnama.

Haringus Sifridi Synnama: nobilibus Parentibus natus eſt in Hagis Friſiæ qui Pagus eſt Tetritorij Vinbritſeram prope Suecam: Recte autem dicit Ioannes Trithemius hunc authorem natum eſſe Hagis Friſiæ ad differentiam Hagarum Hollandiæ, Comites enim Hollandorum, vt in ipſa Hollandia ita etiam in Friſia pagum habuerunt cum in Friſia dominarentur, quem Hagas appellarunt, & aula ſua curiaq; ob amœnitatem oportunitatemq; loci deeorarunt: Quas autem Hagas Hollandi eaſdem Hægas dialecto ſua Friſij appellant, in quibus adhuc extant ruinæ veteres, quæ priſcam comitum ſedem illic fuiſſe arguunt, in qua vel eorum fratres vel præfecti verſabantur, vt in officio Friſios continerent. Vnde porrò Hagæ dicuntur & quæ ſit huius nominis etymologia origo ac vis, in deſcriptione Friſiæ cum ad hunc pagum peruentum erit diligentius explicabimus: Eulogium huius viri ſtudioſus videat apud Ioannem Trithemium, qui ait eum Coloniæ, vulgò Hermannum fuiſſe appellatum. Eſt enim Hermanni nomen apud Colonienſes frequentius ob Viciniorem Veſphaliam: Fuit autem Haringus hic noſter celeberrimus V. I. Doctor qui profeſſiouem publicam V. I. Hic habuit quam ante eum Petrus Raunennas, & poſt eum Ioannes Oldendorpius, & Georgius Viniennus, & nos deinde obiuimus hactenus: Fuit ob ſingula-

ſingularem prudentiam quam in conſultationibus declarauit reſignata profeßione vicinis principibus rebuſq; Pub. perquam gratus, vt & ipſi Imperatori Maximiliano primo: In ſupplemẽto Vorperi Rynſma Geeſt, Video noſtrates huius opera maxime fuiſſe vſos eo tempore cum coram Imperatore controuerſia ipſis eſſet cum Gruninganis, de iuriſdictione & regalibus: Scripſit ea quæ receſet Trithemius qui tamen ſingulis toto Iuris corpore ſingulos titulorum libros metitur & totidem expoſitionum libros illi adſcribit, quot ſunt in vniuerſo corpore tituli, quod & Bibliothecæ poſtea ſecutæ ſunt. In opere autem quod nos excuſum vidimus frontiſpiciũ ſimpliciter hoc eſt: Expoſitiones ſiue declarationes titulorum vtiuſque Iuris. Verſa deinde pagina titulus hic habetur, expoſitiones ſiue declarationes titulorum V. I. cum continuatione ſecundum mentem Gloſſæ & Doct. & aliquali ac compendioſo intellectu nigri: adiũctis extrauagantibus, de pace ſcilicet conſtantiæ, & alijs Conſtitutionibus Frederici 2. Henrici ſeptimi. Caroli. 4. ſub aurea bella ac etiã Fredrici 3. Imperatoris. Collectæ per egregiũ Virum M. Haringum Sifridi Synnama, de Hagis Friſiæ Pontificij ac Cæſarei Iuris Doctorem in florentißima Vniuerſitate Colonienſi ad profectum cupientium in Iure habere notitiam: Excuſum eſt hoc opus in folio Coloniæ per Ioannem Roeloff Lubecenſem anno. 1400. Scripſit præter hoc opus & alia quædam teſte Trithemio, ſed quæ nos hactenus videre non potuimus: Docuit autem in hac vniuerſitate cum magna gratia cum ad Iuris explicationem adferret ſubſidia logicarũ artium & max

Anno Chriſti.

Anno Chriſti.

ximè lumẽ Dialectices quo prælucet illis qui Methodi ſtudioſi ſunt ſicuti exemplo eius manifeſte declaramus primo libro Methodi Iuſtinaneæ, quam breui in lucem dabimus: Floruit Auctor vt ſupra dictum eſt circa annum Chrſti 1494.

10. VICENTINVS Friſius.

VIcentinus Friſius V.I.C. Auorum noſtrorum ætate inſignis fuit, & ſcripſit in Iure quæ probata ſunt ab eruditis Quamquam an hactenus aliquid eorũ Typis excuſſũ ſit, equidem nondum cõperi: Alciatus certè eum in prælectionibus ſuis frequenter allegare ſolet: Quod in epiſtola quadam familiari ad conſultiſſimum V.I. Doctorem, & ſupremæ Curiæ in Friſia noſtra, multis annis iam primarium columen Dominum Gisbertum ab Arnſma nobiliſſimus vir Ioannes Iacobus à Coſt Tirolenſis Ticino. 12. Calendas Ianuarij anno 1549. data teſtatur, hiſce verbis. Alciatus noſter (inquit) doctiſſimè & acutiſſimè docet. Applicat dicta Dd. ad verba textus eaq; in Cõcluſiones ſiue Regulas cum ſuis limitationibus redigit. Poſt lectionem omnia prædicta ipſemet dictat. „ Declarauit hactenus L. 1. 1. Reſpon. &. ſi quis ita. „ De verb oblig Fac me certiorem, quid Gribaldus le „ gerit, & an nouum aliquẽ intellectum dederit: Alcia „ tus mirabiles Dd. allegat, quos nunquam audiui no- „ minari, & præſertim Vincentinum Friſium: Placet „ tibi vtique Friſios tuos à doctiſſimis viris allegari &c. Plura de hoc auctore non inueni quem & conijcio potius quam ſcio floruiſſe circa annum Chriſti 1498.

DE CAS

Anno Chriſti.

DECAS NONA.

1. M. Petrus ab Aucama.

M. Petrus ab Aucama cognomine Pinkertus V. I.C. Leouardienſis patriæ ſuæ Gubernator per multos annos fuit eo munere functus, quo Odermanni, hoc eſt Seniores in Repub. ſolent, qui cum tempore Anarchiæ in mediam flammam Friſonicæ factionis incidiſſet, conſilio ſuo, quando pacem inter partes, vt ſtudebat, conciliare non potuit, ciues ſuos aduerſus hoſtium inſultus ſæpe tutatus eſt: Qua de cauſa cum & ſuis gratiſsimus, & hoſtibus maximè formidabilis eſſet, anno 1487. Leonardia per Schiringos capta crudeliter trucidatus eſt, ſalutare conſilium ſuis dederat, ſi obtemperare ipſi voluiſſent, quo facile arcere periculum à ceruicibus ſuis tunc potuiſſent, vt in Annalibus noſtris ſuo loco plenius dicturi ſumus: Sunt qui eum in mœnibus patriæ fortiter dimicantem occubuiſſe tradant, quod & Andreas Cornelius innuere videtur. Sunt qui capta ciuitate apprahenſum ab hoſtibus poſtquam confeſsionem ſacram dixiſſet ſupplicio capitali affectũ aſſerant, quibus aſtipulãtur in hiſtorijs ſuis Thaboritæ, nobis pueris à ſenibus perſuaſũ fuit, eũ à ciuibus deſperatis rebus ex mœnibus abreptum, & ſaluandi gratia abditum fuiſſe in arcẽ Kempemanã, quæ angularis domus eſt, & oppoſitũ habet à fronte cõuẽtum monialium Senenſium, & à Septẽtrionali latere contiguũ cœmiteriũ S. Mariæ in Aula noua, & ab inuidis proditũ ibidẽ in tabulato in ipſo furore hoſtiũ trucidatũ. Meminimus certè nos eo loci vidiſſe manifeſta veſtigia ſanguinis humani,

qui

Anno Chriſti. *qui & Pinckerti diceretur illic interfecti. Hoſtes autem capta ciuitate infeſtis animis toto oppido pinckertũ veſtigabãt, de medio tollendũ eſſe vociferãtes illũ virum cui ſapientia par eſſe nemo poſſet: Magis doluit ciuitas huius Viri mortem, quã calamitatẽ publicã quod hoc orbata tanquam pupilla hereret abſq; tutore: Primus ille creſcentem ciuitatem vallo cinxerat, vt ab hoſtiũ aſſultu tutam redderet, quibus antea pagi inſtar patebat. Quod ſi foſſam ſaltem abſoluere ab omni parte potuiſſet, quam Ciuitati circumducere cœperat. Ciuium ſtrenuitas, quam etiam hoſtis laudauit, periculum arcere facillime potuiſſet. Poſteritatem reliquit ſe dignam, & quæ nnutiquam degenerans ſed veſtigijs illius fortiter inſiſtens tum virtute tum eruditione patriæ ſuæ ornamẽto in præſentem vſque diem ſemper fuit. Quam quidem vniuerſam hic explicare cum in plures ramos arbor ſe diffuderit, operoſius fuerit quam vt huic inſtituto noſtro conueniat. Partem tamen eius vnam ſi hic proponam, quæ & authorem hunc noſtrum illuſtret, & alijs explicandis lucem adferat, puto neminem fore qui mihi vitio vertendum putet vt omittã interim Ciuitati honorificum eſſe ſi Ciuium iuſta laus exteris innoteſcat, & vnicuique fore iucundum cognoſſere, quod conſanguineos habeat laudatos. Fuit autem circa annum Chriſti, 1439. Leouardiæ vir egregius, Sibrandus Petri ab Aucama, qui ex legitima Vxore Auca à Donia ſuſcepit plures libros, quorum tres tantum nos hic reliquis in præſens omiſſis, breuitatis ergo ponemus: Sibyllam ſcilicet Ioannem, & hunc noſtrum M. Petrum: Sibylla ex marito ſuo ſuſtulit,*

M. Sibran-

M. Sibrandum, ex quo Iacobus Sibrandi, qui conſul Urbis Leouardienſis noſtra memoria diu fuit, Is procreauit ex Helena vxore ſua filium Sibrandum, & filias duas Ankiam & Helenam: Porro autem Ioannes procreauit filium vnum Petrum, qui ſine liberis obijt, vir diues & magnæ authoritatis, & filias duas ex quarum altera, cuius nomen iam non occurrit, natus eſt Vilhelmus Canterus, ex quo Doctor Lambertus Cãterus, ex quo Vilhelmus & Theodorus, q̃ ſcriptis ſuis patriam & auitam terram inſigniter illuſtrarunt vt infra in Cantero latius patebit. Altera filia cui Tita nomen fuit, nati ſunt M. Petrus Simonis, Ioannes Simonis, & Anskia: M. Petrus Simonis V. I. Licentiatus & aduocatus in ſuprema curia fuit. reliquit filias duas Aucam clariſſimo V. I. cõſulto. D. Hieronymo Verrutio nuptam, & Catharinã nuptam præſtantiſſimo viro Petro à Iongama: Ioannes autem Simonis filios duos reliquit & filias: ex Anskia deniq; Titæ filia fuerunt filij duo Gislertus, ex quo filiæ. 4. & M. Aeſgo V. I. L. & vrbis Leouardienſis conſul abſq; liberis defunctus: fuit & vna filia Aleidis vxor Hermanni Feltens conſulis vrbis Leouardianæ: Poſtremo M. Petrus hic noſter ex Hiſſia Ringie vxore ſua procreauit filium vnum nomine Petrum & vnam filiam nomine Aucam: Petrus autem vxorem duxit Idam Hopperam Tadæi Hopperi filiam, quæ amita C. L. Viri Ioachimi Hopperi fuit. ex ea procurauit filias duas Hiſſiam & Reinskiam: Hiſſia nupſit præſtantiſſ. V. I. conſulto Hildebrando Bnygirs ſupremæ Curiæ Friſonicæ apud Leouardiã aduocato, quo ſine liberis defuncto, nupſit egregio viro M. Hermanno Arnts,

Anno Chriſti.

Anno Chri-ſti.

Arnts, itidem V.I.Conſulto, eiuſdemque curiæ Aduocato, ac demum Leouardianæ vrbis Conſuli: ex quo peperit vnam filiam Annam, quæ ni fallor cœlibem vitam hactenus ducit: Reniskia autẽ altera Petri filia nupſit prudentiſſimo viro M. Ioãni Buygirs Hildebrãdi fratri, qui & ipſe V.I.Conſultus, & eiuſdem curiæ Aduocatus, inſuper Territorij Leouardiani Iuridicus, ſiue, vt populariter apud nos loquimur, Greetmannus fuit: Ex eo peperit filium vnum & filias duas: filius, vir præſtantiſſimus Petrus Buygirs Iuridicus ſiue Greetmãnus Territorij Vinbritheradelei, adhuc in viuis agit, & Reipub. in parte ſibi commiſſa officium diligenter facit Filia Reinſkiæ natu maior Bauca Buygirs nupſit nobiliſſimo viro ac Domino Occoni à Gratinga, quo ſine libris defuncto, nupſit ampliſſimo viro Hectori ab Ayta, qui Viglij Zuichemi ex fratre nepos doct. V.I & ſupremæ curiæ Friſoniæ Conſiliarius fuit, & à patruo per teſtamentũ Domini Zuichemani declaratus hæres: ex quo filiu vnũ peperit Viglium Zuichemiũ hoc marito defuncto, nupſit ampliſſimo viro Doctori Iacobo Bouricio Doccomienſi, V.I Conſulto, & in ſuprema Friſiæ curia ciuilium cauſarum patrono diſertiſſimo: cum quo hodie ſuperſtite ſuperſtes viuit: Ida denique ſoror eius nupſit excellentiſſ. V.I.Doctori Theodoro Tiaræ. Itidem ſupremæ Curiæ Aduocato: Reinskia deniq; priori marito M. Io Buygirs defuncto, nupſit excellentiſſimo V.I.Conſulto, M. Sabino à Viſſema, ex quo peperit filium vnum Ioannem à Viſſema: Reſtat Auca M. Petri noſtri ex filio Petro neptis. Hæc nupta nobiliſſimo viro Kemponi à Donia tres libros reliquit, Ioannem, Petrum, & Sytiam: Ioannes à donia Kem

ponis filius reliquit filiã Aucam, & ex ea neptẽ quoque Aucam, quam in vxorem duxit vir nobiliſſimus Feddo ab Haerda: Petrus à Donia Kemponis filius reliquit filium Franciſcum, hic Franciſcus à Donia reliquit filium Kemponem, & filiam Catharinam, quæ nupſit nobiliſſimo excellentiſſimoque viro Sibrando à Cammingha: Sitia denique monialis & Abbatiſſa fuit Virginum in Bethlehem: Cui nos debemus eas, quas recepimus aut noſtri reliquias hiſtoricas, de quibus ſupra diximus in Suffrido Rodolphi: Hæc de liberis M. Petri Aucamani noſtri, quibus ille patriã ſuã ornauit: Agamus iam de libris eius quorũ ipſum nomine celebramus, qui ſi in lucem peruenire potuiſſent, non minus ornamenti ex his quam ex illis ad Remp. Leouardienſem redundaturũ fuiſſet: Quare dolendum eſt eos vſque adeo fuiſſe ſupreſſos ab extraneis, vt amici eius conſulti negent ſibi de his quicquam conſtare. Nobis pueris præceptor noſter Dn. M. Cornelius Colebertus Buſcoducenſis, cum ſupradictam illam Arcem Kempemanam vacuam aliquam diu conduxiſſet ac diſcipulos quos priuatim inſtituebat, in ea doceret, occaſione ſanguinis iſtiusquẽ illic cõſpici ſupra diximus hiſtoriã huius authoris ex relatu ſenum oppidanorũ qui meminerãt nobis inculcabat, & ſcripta quædam oſtendebat, tũ in Iure, tum etiã in alijs diſciplinis, & maximè in hiſtorijs Patriæ quæ ab hoc auctore elaborata aſſerebat: Coleberti defuncti monumenta omnia litteraria in quibus & hæc fuiſſe arbitramur ex fidei commiſſo eius perueniſſe intelleximus ad manus D. Anthonij Del'vaille, cõſiliarij, tum tẽporis Regij in ſuprema Friſiæ curia: Quod

Anno Chriſti.

Anno Chriſti. 1490.

Quod ideo dico vt inquiri & inueſtigari queãt: Vixit author circa annum Chriſti. 1490.

2. PETRVS Poetinus.

PETRVS *Poetinus à Bentzna ex nobli familia Stauriæ natus fuit, qui literis vt iſtud ſeculũ ferebat, mediocriter excultus, non infimo loco in Patria habitus eſſe videtur, Paſtor fuit in Bexemo, qui pagus eſt Leouardiæ ad occidentem proximus: Vixit eodem tempore quo Petrus ab Aucama de quo diximus. Cui etiam nõ ſatis æquus fuiſſe videtur, cum illi interfecto ſcriptis ſuis inſultauerit: Prætextum diſsidij cum antea amici eſſent vtcumq; iuſtum prætendit ſed vera interim cauſa fuit factionis diuerſitas, vt ex ipſius oratione facile ſubolet, ijs, qui ſunt naris non prorſus obeſæ: Feruebant ea tempeſtate in Friſia factiones Vetroperorum & Schiringorum, & Poetinus Schiringis, Aucamanus Vetroperis addictus fuit: Hinc igitur veteris amicitiæ repudium inter viros etiam eos qui in politiæ atq; acclesiæ publica gubernatione principes habebantur: Putent fortaſſe, qui vocabula factionis ignorant, dignã aliquam diſsidij cauſam factioſis extitiſſe, cũ non temere viri cordati amicis inimicitiã denunciare ſoleant: Quare vt rem lector intelligat, cuius & hic & alibi crebra mentio nobis facienda eſt, horum duorum occaſione paucis eam hic explicabimus: Itaq; ſciendum eſt, lingua Friſica Vetroperrs, & à nobis hic Vetroperos dici eos proprie mercatores qui emunt ac vendunt pingues Boues. Quod mercaturæ genus honeſtum, ac ſplendidum Schiringen vero, quos nos Schiringos appellamus, eos proprie mercatores dici, quos hic Coloniæ*

Factio Schiringorum & Vetropetorum.

appella-

appellamus Cotſmengers: Qui Lactes ſiue Lacticinia Anno Chriſti.
hoc eſt boum & aliorum animalium inteſtina & alia viſcera, itemq; pedes & capita ad culinam præparāt ac vendunt, quod mercaturæ genus eſt ſordidum ac vile: Dicuntur autē Schiringi craſi friſica à vocabulo patrio ſchieden, quòd Belgicè per Metatheſin Diphongi dicitur ſcheijden, & ſignificat ſeparare: Separant enim Schiringi, quæ in animalium viſceribus menſæ humanæ præparandis ſeparanda ſunt, ſanguinem ſcilicet à carnibus, & excrementa ab inteſtinis, & adipem ab vtriſq;: Hinc ſchielſmoer friſii dicunt adipem ſic ſeparatum & ſchieders ſeparatores, quos & ſchiederen communiter & apud Orientales Friſios vnde factio hæc orta eſt ſchiederingen, & per ecthlipſim ſchiringen dicuntur, eodem modo quo ex ſchiedingen ſchingen dictus eſt pagus prope frankeram qui tanquam limes controuerſos pagos ſeparat: Errant enim etiam apud nos quidam eruditi qui putant Schiringos dici à colore eo, quem Barbari griſeum, noſtrates Schier appellant ob id quòd ſchiere muyntzen griſeos monachos appellet vulgus, & conſtat etiam monachos huius coloris fuiſſe factionis Schiringanæ. Nam & alij monachi qui huius coloris non erant, hanc factionem ſectati ſunt. Et ſi hac ſignificatione Sciringos accipias nulla erit horum ad Vetcoperos relatio ex comparatione mercaturæ ex qua tamē factionis vis omnis pendet: Hæc enim contentio omnis inter mercatores iſtos erat, vt armis decernerent penes quos prærogatiua dignitatis eſſe deberet: Mihi aliquādo originem huius inſaniæ perſcutanti reſponſum fuit eam contagio quodam in Occidentalem Friſiam ex

Anno Chriſti.

Orientali permanaſſe: ibiq; initiũ ſumpſiſſe ex cauſa huiuſmodi: Cùm enim more maiorũ in epulo quodã publico eligendus eſſet præfectus, quẽ noſtrates Sedenardũ Græci νομοφύλακα, Latini Regẽ cõuiuij dicũt, qui iuſſu ſuo cõuiuas gubernaret, ne quid inter pocula præſenti cœtu indignũ committerent, adfuiſſe tum inter cæteros ibi qui eximij videbãtur præcipue mercatores duos, pares quidem alioqui opibus, auctoritate & gratia apud conuiuas, ſed mercaturæ genere diſcrepantes. Cum eorum alter Bubus, alter Boum viſceribus mercandis quæſtum faceret: Et cum proinde nemo non clamaret Regiæ maieſtatis ſublimitatẽ merito penes digniorem eſſe debere, gliſcere cœpit contentio de dignitate mercaturæ, alijs Vetcoperos, alijs Schiringos præferentibus, Cũq; ea contentio iritatis diutius partium animis paulatim creſceret eo tandẽ euaſit vt ad manus veniretur, & conuiuæ nihilo clementius inter ſe agerent quam centauri olim ac lapithæ. Itaque multis ibi trucidatis, pluribus vulneratis omnibus mutua contumelia affectis, cũ nulli non eſſet gratiſſima tum ſui tum ſuorum vindicta natã eſſe factionem hanc inter partes, quibus diſcernẽdis mercaturæ diſcrepantis nomina indiderunt: Quocirca cum iſti primũ amicos ac propinquos ſuos vlciſcendi gratia, & tandem etiam extraneos in auxilium vocarũt ſerpſit cancer latius, & cœperũt ſe immiſcere multi non ſpe vindictæ, quia nec ipſi læſi erant, nec læſis attinebant, ſed ſpe prædæ, quia oppreſſis legibus factionis titulo hoſti extorquere & auferre licebat, quod poterat: Iura enim, vti tunc loquebantur, ducebãt ex vaginis, & ſententias ferebant gladijs percuſſorijs, vbi qui

fortior

fortior eſſet pro illo facultas erat. Huius igitur factio- Anno Chriſti.
nis hæc origo hic fructus fuit, nec ea intra priuatorũ in-
iurias ſtetit, ſed etiam familias, pagos, ciuitates, imo
prouincias integras in ruinã traxit, ita vt furtis rapi-
ni, cædibus, latrocinijs, omnia prophana ac ſacra miſ-
cerētur, vt merito exclamare potuerit poëta: Pellitur
è medio ſapiētia, vi geritur res, nec enim vel hoſpes ab
hoſpite, nec ſocer a genero tutus tũ erat. & plane quo-
que fratrũ gratia rara erat: conſimilis etiã rabies e-
adem fere tempeſtate Hollandos inuaſerat inter pa-
narios & caſearios, cũ iſti pane hi caſeũ digniorē aſſe-
rēt. Nec diſsimilis ea apud eoſdē inſania fuit inter A-
ſellatos & Hamatos quorũ illi Aſellũ Piſcē, hic hamũ
quo piſcis capitur præſtatiorē eſſe cōtenderēt: ſane qui
de lana caprina aut de aſini vmbra litigunt vulgari
prouerbio ſtultitiæ arguuntur, & iſtos homines qui
in Eccleſiæ gubernatione erant, non pudnit contende-
re tanta cum acerbitate de vocabulis inanibus & ad
ſe nihil pertinentibus: Habentur autem quædam hu-
ius Poëtæ opera manu ſcripta, ſed nulla hactenus
quod equidem ſciam in lucem prodierunt. Ideoq; ro-
gandi ſunt ad quos hæreditas eius peruenit, vt Patriæ
& huius Auctoris honori conſulant, & cum poſterita-
te communicent, qui non alio fine ea elaborauit, quã
vt ſui ſæculi conditionē poſteritati declararet. Vixit 1490.
auctor circa annum Domini 1490.

3. Edo à Iongama.

EDO à Iongema vir nobilis eruditione ac pruden-
tia conſpicuus, & authoritate potēs, habitus fuit
inter ſuos gētiles inprimis: habuitq; Arcē nō ignobilē
in Ruerdia: De quo pluribus agemus in Annal. noſtris
ſuo loco: hic in occaſionem ſcriptorum eius duntaxat

Anno Chri-ſti. *iudicabimus. Hic autem eo ſæculo quo ſupradicta Vetcoperorũ & Schiringorum factio patriam laceraret conſilio ſuo ad pacem & reconciliationem partes ſemper hortatus fuit. Et poſtquam factio altera vindictæ ſuæ gratia Alberti Ducis Saxonis auxilium implorasſet, & is adueniens in Boſuerdiam exercitum præſidio ſuis immiſiſſet anno 1498. Ordines Veſtrachiæ in vrbe Snecana congregati hunc Edonem veluti maxime accommodatum legatum miſerunt Leouardiam ad Magiſtratum, & Præfectum Gruninganorum qui tunc illic agebat, & aliquam Friſiæ partem ſibi obſtrictam tenebat, petentes vt Gruningani memores icti fœderis opem ferrent laboranti ac periclitanti patriæ aduerſus ingruentem communem hoſtem Saxonem. Sed cum Edo re non impetrata reuerſus eſſet, cõuentus ille Snecanus diſſolutus eſt, cum plurimorum periculo atque exitio: Edo igitur præcedentis iſtius & ſubſequentis huius belli tempore, res in Friſia geſtas ad ætatem vſque ſuam diligenter conſcripſit, quas mihi tamen hactenus neque excuſas neq; manuſcriptas videre contigit: Allegantur in ſupplemento Vorperi Thaboritæ ad annum 1494 & 1498 quare rogãdi ſunt gentiles eius, vt ſi ſuperſtites eas penes ſe habẽt dignẽtur eas publicare & impartiri patriæ. Vnde honor familiæ ſuæ, & ſibi*

1500. *gratia accedat: Vixit auctor circa annum 1500.*

4. Auguſtinus Dodo.

AVguſtinus Dodo patria Friſius fuit, is patre Dodone natus poſtquam in Triuialibus literis excultus eſſet, maioris profectus gratia Baſileam ſe contulit, & cum in Theologia ſe potiſſimum contineret, Ec-

cleſiaſticam

cleſiaſticam vitam duxit: Itaque ibidem Canonicus ad S. Leonardum conſtitutus opera D. Auguſtini primus à tineis ac blattis vendicare, & in lucem eruere cœpit. Vtq; opus hoc maiori cum fructu in publicum prodiret, in ſingula opuſcula parabat argumenta & cenſuras ſumma cum diligentia nec minori iudicio cum in ſacris literis exercitatiſſimus eſſet: Sed vt res humanæ ſunt editioni quã adornauerat ipſe præeſſe non potuit: Eodem enim anno quo opus prælo ſubijciẽdum erat, hoc eſt anno 1501. peſte abſumptus fuit opus nihilo minus excuſum ex officina Amerbachij prodijt anno 1504. Meminerunt huius & Bibliothecæ. Vixit auctor circa annum 1500. Anno Chriſti. 1500.

5. Henricus Thaborita.

HENRICVS hic, quibus parentibus, quaue familia natus ſit, equidem hactenus non comperi, ipſe aſſerit ſe Religioſam vitam profeſſum eſſe in Thabor, quod monaſterium fuit prope Snecam Regularium Canonicorum. In quo monaſterio multos animaduerto vixiſſe viros, qui ſingulari diligentia verſati ſunt in conſcribendis hiſtorijs patriæ, & actis eius publicis fideliter conſeruandis: Hic auctor ſcripſit opus vaſtum, ſtylo monaſtico vt ea ferebat ætas, quo complexus eſt hiſtoriam mixtam, hoc eſt, Eccleſiaſticam ſimul & Politicam à natiuitate Chriſti, vſque ad annum eiuſdem 1508. Collegit multa ſtudioſe & vtiliter ex diuerſis ſcriptoribus quorum tamen nomina raro allegat, ordinem ſequitur annorum, quo multum lucis non ſuis modo ſed & aliorum quoque ſcriptis adfert. In rebus Friſonicis multa præclarè tradit quæ alibi non facilè reperias. Vnde mihi

Anno Chriſti. multum adiumenti adfert ad inſtitutum meum. Codicem M.S penes me habeo, quem mihi Louanio, Coloniā vtendum pro ſua humanitate tranſmiſit conterraneus & amicus meus Cl. vir ac Dn. D. Petrus Pierius de quo infra ſuo loco plura dicemus: Auctor hic noſter vixit vt ex ſuprad. apparet circa annum 1510.

1510. 6. Hermannus Doccomienſis.

HErmannus Doccomienſis Doccomij honeſtiſſimis parentibus natus & in literis humanioribus deinde in ſacra Theologia feliciter verſatus, natura & inſtitutione eloquens, cū ſacris iniciatus eſſet, Leonerdiæ ad S. Vitum ſummus Paſtor conſtituitur, quo miniſterio ſe eccleſiæ talem præbuit miniſtrum, vt omnibus gratus ac venerabilis eſſet, vtpote qui non modo vitæ integritate & concionū ſalubricate, ſed & ſcriptorum quoq; lumine omnibus ſuis præire cuperet. Scripſit cùm alia quædam tùm etiam

In 17. priores Pſalmos Dauidicos commentaria. Et cum ad 18. perueniſſet in mentis alienationem incidit, vnde & periȷt. Vixit circa annum Chriſti. 1514.

1514. 7. Idſardus Grauius.

D. Idſardus Grauius, natus eſt in pago dicto Grou ſiue vt quidam malunt Grau, quanquā enim parum diſcriminis eſt in pronunciatione literarum a & o tamen conuitij locum obtineret, ſi quis dicatur Grouius, quando id ruſticum lingua noſtra innuit. Hic autem D. Idſardus ſacerdos in ea tempora incidit quibus Saxonum Duces Friſiam ſibi ſubiugare conabantur. Itaq; cum bello tunc omnia feruerent in patria, Geldris contra Saxones tumultuantibus. ipſe quietis ergo relicta Friſia Romā cōceſſit, ibidemq; aliquādiu continuit Interimq; conquiſitis & ſecum comportatis

patriæ antiquitatibus quas vndecunque corradere po- Anno Chriſti.
tuit Chronicon conſcripſit Friſiæ, incipiens ab anno Domini 763 & deſinens in annum Domini 1514. Vbique inſiſtens veſtigijs Ioannis Becani Vltraiectini, quem videtur voluiſſe explere exemplo Pauli Longobrardi, qui Eutropium pluribus de ſuo admixtis extendit & ad calcem eius deinde hiſtoriam Longobardorum adiecit: Sunt autem eius generis ea quæ Idſardus Becano adiecit, vt pleraq; alibi nō facile reperiātur. Optandūq; ſit vt non Becanū tantū ipſum porro vt ceperat locupletaret, ſed etiā appēdice porrò expleret, vti nos fecimus: ſed ille morte peruentus perficere inſtitutū ſuū, vt videtur nō potuit: In frōtiſpicio operis ſui memoriæ gratia hæc verba ſcripſit de priuil. Friſ. quod illis C. Magnus dedit Romæ (inquit) in quadā antiquiſſima Biblioth. ad S. Mariam de Minerua hāc copiā priuil. Friſ. ego D. Idſar. Grauius Agricola inueni: Vtināq; noſtrates ab hoc digniſſimo indulto & priuilegio à Car. M. ipſis conceſſo per occulats eorū factiones non tam cito receſſiſſent, & bene cū eiſdē eſſet: Itē quia omnis poteſtas impatiens confortis eſt Friſia liberrima gentiū D. facta eſt tributaria D. Saxoniæ Ducibus. Hactenus ille, vbi planè conſentit cū clariſſ. viro D. D. Cyprian. Vomelio. De quo infra, copiā autē priuil. Friſ. de qua loquitur, elogio huic ſuo ibidē præmiſit, quā diligenti collatione facta ad amuſſim cō ordare deprehendo, cum ea quam Ludouic. Guicciardinus ex Archiuis Geldriæ in deſcript. Friſiæ exhibuit vixit hic auctor vt ex præmiſſis colligitur circa annū 1514 opus eius cū alijs nonnullis antiquitatibus M.S. apud me eſt ex dono optimi viri Cor. Kep. de quo inf.

Anno Chriſti.

8. Ienco à Douma.

1470. *Ienco à Douma vir primariæ nobilitatis de quo plura nobis iu Annalibus noſtris dicenda ſunt, ſcripſit epitomen rerum in Friſia geſtarum, quam vocat Teſtamentum ſuum: Cuius antigraphum vſibus meis ex patria huc miſit ampliſſ. ac nobil. vir ac dominus*
1515. *Vpco à Burmania, vt & alia ſubſidia neceſſaria non pauca, de quibus infra dicturi ſumus. Vixit hic auctor circa annum 1515.*

9. Ioannes à Lemmigo.

IOANNES à Lemmigo Ciuis Gruninganus ſcripſit hiſtorias Friſiæ & Gruningiæ, inter factioſos tempore Anarchiæ, & Rebellionis quæ citantur in ſupplemento Vorperi Rijnſmageeſtani. Quæ tamen an hactenus excuſæ ſint, equidem non comperi. Floruit
1494. *auctor circa annum Chriſti 1494.*

10. Suffridus Rodolphi.

SVffridus Rodolphi Sterkenburgius Bolſuerdiæ natus ob factiones nobilium quæ ex iſta ciuitate originem ducebant Doccomium commigrauit. Vbi ducta vxore Iuſtina Petri Doccomienſis ibidem tum Conſulis filia ſedem fixit in Arce Sterkenburgo propè Clarum Campum, vnde & Sterkenburgius cognominatus eſt. Vbi rem ruſticam exercuit ſimulque officinias pictorum & Statuariorum fouit, quas & maiores eius longa ſerie Bolſuerdiæ fouerant. Cum autem eſſet ingenio viuido, & litteris humanioribus, vt tum ferebant tempora mediocriter excultus, acta conſcribere, quam ſcribenda agere in factioſorum iſto feruore maluit: Itaque & ſuperioris & ſui ſæculi res in Friſia geſtas diligenter conquiſiuit, & annotauit.

Iiſq; coniunctis hiſtoriam gentis Friſonicæ à prima eius origine repetitam, ad ſua vſq; tempora continuo filo deduxit: Sed cum abſoluto opere non admodum diu ſuperuiueret, factum eſt, vt poſteri eius tum hoc opere tum tota etiam eius Bibliotheca, quam antiquiſſimis patriæ monumentis habebat inſtructiſſimam, priuati ſunt, nam cum Petrus filius eius natu maximus, per ætatem his tum proſpicere non poſſet, vtpote qui tum annum decimum agebat, & adoleſcentiam totam extra patriam contriuit, ac vidua inſuper eius ad ſecunda vota tranſiret, alia aliter direpta ſunt: Magna tamen librorum pars in Bethlehem (qui conuentus Monialium Præmonſtrateſinum inter Leouardiã & Doccomium medio fere itinere extitit) deuecta fuit, ea occaſione quod Gertrudis filia Suffridi in eo cõuentu monaſticam vitam profeſſura crederetur, quæ libros ibi in vſum familiæ tutiſsime cuſtodire poſſet. Quæ tamen ante confectum probationis annum reſiliyt libris omnibus ibi relictis Itaq; vt auus hic nequaquã ſua laude fraudãdus fuit, ita etiam mihi eſt merito dolendum, tum parum ex monumentis eius ad manus meas perueniſſe, idq; ipſum lacerum ac mutilum: Fuit ille diligentiſsimus in texendis Regum, Ducum, Principum ac nobilium genealogijs, & originibus eorum declarandis, multaq; allegat authorum nomina quæ apud alios non facile inuenias, quæ nomina mihi magno vſui fuerunt: Filias plures, Filios tres reliquit Petrum, Rodolphum, & Ioannem: Petrus mihi pater fuit, Rodolphus in albis periyt, Ioannnes poſt obitum patris, mutato nomine, Suffridus vocatus eſt: Is vxore ducta tres filios procreauit Suffridum, Cipconem, &

Anno Christi.

 Petrum:

Anno Chriſti. *Petrum: quorum natale ſolum eſt in Rijntſma geeſt. Mortuus eſt Suffridus Sterkenburgius quinquagenarius anno 1590. & ſepultus in claro campo, quod monaſtorium fuit ordinis Ciſtercienſis propre Doccomium: Floruit igitur hic Author circa annum Chriſti.*

1499. *1499.*

DECAS. 10.

Hildebrandus Goffredus.

HILDEBRADVS *Goffredus à Doengieterpe, natus in Schinga, qui pagus eſt Territorij Meinaldumani. Patrem habuit Goffredum à doengieterpo eius pagi Primatem: Is ab ineunte ætate literis & à natura deditus & à parentibus dedicatus fuit: Itaq; cum in patria tum per inteſtinas nobilium factiones oppreſſis legibus mera Anarchia eſſet & idcirco minus illic ſtudia vigerent Suollis potiſſimum educatus fuit, vt in tranquillo eſſet: parentibus deinde vita defunctis, cum neceſſarijs deſtitueretur, in patriam è medio ſtudiorum curſu redire coactus eſt: Quo reuerſus domum direptã, fratrem vnicũ, quẽ Habebat ætate iuniorẽ Leberide magis nudum repperit, nec ſatis ipſi per ætatẽ vel conſilij, vel animi vel præſidij quæ fuit ad ſaluandum ea quæ furtis ſallem ac rapinis non cædunt; Quocirca cum fundum nullum ſibi reliquum eſſe putaret, niſi quẽ ipſe ſibi ſtabiliret induſtria ſua, relictis patrijs & aruitis aruis, ipſe voluit faber eſſe fortunæ ſuæ: Itaq; ipſe coloniã ſe cõtulit, vbi diligentiſſimo ſtudio Philoſophiã ac Theologiã ſecta-*

tus fuit: Inde in Friſiam reuerſus ſacros ordines ſuſce- pit. & non multo poſt electus paſtor fuit in Huſemo, qui pagus eſt in Territorio Leouardiano, & Leouardia ad auſtrū proximus. Vbi & per aliquot annos cōcio- nibus ſacris, & reliquis officijs eccleſiaſticis, vt bonū paſtorē decuit, populum in pietate Chriſtiana conti- nuit: Interim autē fratrem ſuum Galenum, qui mihi auus maternum fuit domi ſuæ in arte Geometrica fi- deliter inſtituit. Qui deinde architectonicæ peritiſſi- mus fuit, & multis in Friſia munitionibus erigendis, præfuit: Hildebrādus autē cum ob factiones quorum- dam nobilium, quibus tum temporis cum Leouardi- enſibus erant acerrimæ contentiones ibi tranquillitatē ſeruare nullam poſſet, Huſemo relicto in Conuentu monalium Engevirdenſium data pecuniæ ſumma perpetuas expenſas emit: vt, quod reliquum vitæ erat ſecurus in ſacrarum literarum ſtudio tranſigeret. Itaq; conuadis patriæ neceſſitas poſtularet. Conſilio ſuo deeſſet, tamen vt ſe à factioſorum turbis ſubdu- ceret ibi conſeneſcere voluit, vbi & mortuus ac ſe- pultus eſt anno Domini 1500. Scripſit multa quæ par- tim in ædibus parentum, partim in monaſteriorum Bi bliothecis manuſcripta vidimus. 1570

Anno Chri-ſti.

In epiſtola Pauli commentaria.
In Euangelia Dominicalia.
Poſtillam Euangelicam.
Vitas aliquot ſanctorum Friſiæ.
Principia artis Geometriæ.

Collegit etiam Statuta Epiſcoporū Vltraiectinorū cū appen-

appendicibus ſuis quæ poſteà edita ſunt ſuppreſſo loci
1500. temporis ac Typographi nomine quorum exemplar apud me vicum eſt, vixit auctor circa annum 1500.

2. HENRICVS FRISO.

HENRICVS Friſo Carthuſienſis ſcripſit Chronicam ſui ordinis, item librum de nouitiorum inſtructione. De vita librum vnum, & multa alia, meminit eius Iacobus Viumphelingus in Epitome rerũ
1500. Germanicarum cap. 52. qui eum ſub Frederico tertio floruiſſe teſtatur: circa annum autem 1500. viuere deſijt.

2. MARTINVS Ilſtanus.

MArtinum hunc Ilſtanum ſunt qui fuiſſe putant Monachum Carmelitam & habitaſſe in conuentu Carmelitarum qui olim Eloſti fuit, & ſcripſiſſe eum commemorant:

Elogia & encomia Nobilium in Friſia.

Item hiſtoriam factionum ſub Anarchia.

Hanc hiſtoriam eius citat & commendat Andreas
1500. Cornelius ad annum Domini 1499. Vnde patet hunc auctorem vixiſſe circa annum Domini 1500. Hiſtoria eius nondum quidem excuſa, ſed M.S. tamen haberi in patria intellexi.

4. Meinardus Franekerenſis.

MEinardus Franekerenſis, fuit vt accepi, Franekerenſis Eccleſiæ Vicarius, homo, non indoctus. Hic Rythmis belgicis deſcripſit expeditiones eas, quas ſua memoria fecerant Gruningani, in Friſiã oc-
1500. cidentalẽ, quod opus ſuum vocauit paſſionem Gruninganam quam ego M. S. penes me habeo. Vixit author circa annum Chriſti. 1500.

5. Haio

5. HAIO HERMANNVS.

HAIO Hermannus Eraſmi Roterodami præconio nobilitatus, inſigni eruditione conſpicuus, & ciuili prudentia clarus extitit: fuit enim vtriuſq; linguæ ad miraculum vſq; peritus, vt ex monumentis eius apparet, & in Iuriſprudentia Doctoratũ conſecutus, Iuuenili adhuc ætate florens in conſilium Caroli Quinti Imperatoris in Friſia cooptatus duxit in vxorem præſtantiſsimam Virginem Annam Pompeij Occonis filiam cuius patruus fuerat ille Adolphus Occo de quo ſupra diximus: Subſcribit his Henricus Pãtaleon proſopographiæ parte. 3. ad annum 1520. vnde plura Lector petat: Scripſit hic Author.

Epiſtolas aliquot ad Eraſmum Roterod. quæ extant in epiſtolarum eius opere magno.

Ernit etiam in lucẽ Luciani libellum, de non facile credendis delationibus ab Rodolpho Agricola ſè græco tranſlatum in latinum & addita eruditiſsima præfatione dedicauit Dn. Erardo A Marco Epiſcopo Leodienſi, author vixit circa annum 1530, nec multo Diutius ſuperuixit ſublatus angina vt ex Epiſtola Alardi Amſtelredami colligitur quam Vltraiecto ſcripſit ad Sibrandum Pompeium Occonem. 1530.

6. LAVRENTIVS FRISIVS.

LAurentius Friſius, vt ex Geſnero refert Pantaleõ arte medicus fuit, qui tamen quo vel oppido vel pago natus ſit, hactenus non comperi. Is autem percep tis in patria triuialibus ad exteras Academias ſe con tulit & cum medecinæ ſtudium præcipue ſectaretur eius gratia non modo latina & Græcam, ſed & Arabicam quoq; linguã perdidicit: His adiunxit exacta

Anno Chriſti. philoſophiæ cognitionem, vt materiarum medecinaliū rationem haberet in promptu, quibus perceptis legendo, dicendo, docendo, diſputando ſcribendo ſibi habitum artis comparauit, ita vt & eruditionis opinione & felicitate ſucceſſus in curationibus memoria ſua parem non habuerit: ſcripſit autem

Librum vnum germanice de ſingulorum morborum curationem à capite vſque ad pedes quem ſpeculum medicinæ inſcripſit.

Item Synonyma materiæ medicæ ſiue ſimplicium Pharmacorū Latinis, Græcis, & Arabicis vocabulis.

Extat quoque eiuſdem epitome de curandis puſtulis, vlceribus, & doloribus morbi Gallici: Henricus Petri excudit Baſiliæ anno 1532.

Item Reginem ſalutis per rationem victus.

1536. Vixit Auctor circa annum Domini 1536.

7. Cornelius Snekis.

Cornelius Snekis natus in Indick prope Snekam ordinis Prædicatorij, conuentus Roſtochienſis quōdā Prior in Ducatu Megalopolitano: in magna gratia & auctoritate apud Marchiones Brādeburgēſes Ioachimum & Albertum fuit: Erat enim Sacræ Theologiæ Roſto hij profeſſor, & Prior prouincialis Prouinciæ Saxoniæ, Franciæ, Poloniæ, & congregationis Hollandiæ Vicarius generalis: Itaque cum Lutheraniſmis ea tempeſtate in ducatum iſtum ingrueret magno ſpiritu ſe oppoſuit, & concionando, docendo, diſputando, ſcribendo Catholicorū dogmata diu tuſtatns eſt: Ad extremū cum aduerſarij vim pararent, ad prædictos Marchiones ſe contulit. In quorū defenſione integro fere biennio ſecure egit, tandē in Friſiā reuerſus poſt

aliquot

aliquot annos obijt, ſepultuſq́; eſt in choro fratrum ſui ordinis Leouerdiæ 14. Septembris anno 1531. Scripſit autem quæ quidem hactenus comperi. Aduerſus Sebaſtianum Pol. Lutherani dogmatis propugnatorem. Anno Chriſti.

Item de Roſario B. Mariæ Virginis.

Item ſermones Synodales quos in diuerſis eccleſiis Cathedralibus habuit:

Item ſermones aliquot habitos in receptione nouitiorum ad ordinem.

Quæ omnia in Bibliotheca Prædicatorum Leouerdiæ haberi ſolent. Vixit auctor circa annum 1537. 1539.

8. Vorperus Thaborita.

VOrperus natus in Rijnſinageſta, qui pagus in friſia eſt in Territorio Dantumiano, filius fuit cuiuſdam viri nobilis ibidem ex familia Tiardana hic cum ab ineũte ætate literis ac Religioni deditus eſſet, euaſit vir in primis Religioſus ac doctus vnde ſacris initiatus paſtor eccleſiæ patriæ conſtituitur: Inde maiori pietatis zelo cõreptus ordinem Canonicorum Regularium profeſſus eſt, in conuentu Thaborito prope Snecam, vbi multi inſignes literis & Religione viri fuiſſe in hiſtorijs Friſiorum deprehenduntur : Hic igitur Dominus Vorperus ob peritiam vſumque rerum tum ſacrarum, tum ſæcularium primũ Supprior Deinde Procurator, & etiam tandem Prior Domnis huius conſtituitur: in qua cũ alia eccleſiæ & reip. vtilia in præſenti multa fecerit, tum etiam quod in futurum quoque poſteris ex vſu foret meditatus eſt. Itaq́; ſtylo latino non inepto patriæ chronicõ conſcripſit ab exordio gentis ad ætatẽ vſq́; ſuam continuata ſerie

libris

Anno Christi.

libris tribus quorum primus ab initio ad Carolum magnum, ſecundus hinc ad exordium comitum Hollandiæ, Tertius ad ſuam vſque memoriam hoc eſt ad annum, 1538 protenditur in quibus & ordinem bonũ in diſtinguendis rerum temporibus, & iudicium ſumum declarauit in rerum ipſarum delectu ne lectori fabulas obtruderet ac nugas: Sunt qui eum chronicon suum domi ſuæ dum Paſtor eſſet in Rynſmageeſta ſuis expenſis excudi curaſſe aſſerant: Quamuis mihi hactenus non niſi M. S. videre contigerit idque in vno dũtaxat exemplari, quod mihi Leouardiæ anno, 1590. menſe Martio trãſmiſit ampliſſimus nobiliſſimuſq; vir Vpco A. Burmãnia, vt ſubſidijs neceſſarijs me inſtrueret: nã quãuis hoc opus ita vti author ipſe ſcripſit, diu deſiderauerim, nunquam tamen antea venanti fauit delia, quo tempore hic Mæcenas pro ſingulari erga me fauore ſuo mihi ſuccureret qui nec re nec cõſilio mihi adeſſe vnquam grauatus eſt, quo patriæ in meis ſtudijs promouendis gratificari poſſet. Habeo autem & alia duo eiuſdem huius authoris exemplaria manuſcripta, quibus vtriſq; eſt additum ſuplementum authore potiſſimum Iacobo Petri Taborita, qui Vorperum rerũ geſtarum relatione ſuppleuit vſq; ad annum. 1550. Horum codicum alterum mihi tranſmiſit ex patria Louanium ante multos annos ampliſſimus conſultiſſimusq; vir ac Dn. D. Igcamus ab Achelen Regij Senatus in Friſia preſes: qui & ipſe omni ſtudio in hunc finẽ conatus meos promouere voluit, vt ad Hiſtorias patriæ Recte & fideliter conſcribendas ſolide inſtructus eſſem. Itaq; hunc ipſum codicem ille mihi impetrauit non difficulter à

R. Patre

Reuerendo D.Dom.Paulo AEgydio Coſtero,tum eiuſdem Thaboritici conuentus Priore, qui poſtea electus eſt Abbas Monialium Benedictini ordinis in Beth ſiue vt vulgò vocatur Foſuerdia: In hoc codice multa ſunt Vorperi ſcriptis aliunde adiuncta ſcripta aliorum. Primum locum habent ea quæ vocantur geſta Friſiorum tranſlata ex latino per neſcio quem in ſermonem Belgicum,& continẽt compendium Hiſt.Friſouicæ ab exordio mundi vſque ad expugnatam Terræ Sanctæ nomine Damiatam:Sequitur deinde M. Aluini tractatus continens itidem compendium hiſtoriæ Friſonicæ ſed ab exordio gentis vſque ad Carolum Magnum: Deinde ſequũtur copiæ aliquot priuilegiorum quæ Friſiis diuerſi Principes dederunt. Item pacta quædam & fœdera inita inter diuerſas perſonas,Ciuitates,& Prouincias in Friſia pacis ergo.Deinde ſequitur tractatus D.Meinardi Franekerenſis quem inſcripſit paſſionem Gruninganorum:Deinde ſubiungitur Chronicõ Friſiæ ab anno 781.vſq; ad annum 1550. Quod Petri Iacobi ſupplementum eſt, de quo infra dicemus, etiamſi ſint qui hunc non vltra annum 1521.deſcendere putant & proinde quod reliquum eſt,alteri deberi: qui tamen errant cum ipſe Vorperus opus ſuum ad annum 1538. perduxerit. Alterum Codicem nobis Leonardia Coloniam tranſmiſit anno 1585. ampliſſimus vir conſultiſſimuſquè V.I. Doctor Iacobus Bouricius in ſuprema Friſiæ curia ciuilium cauſarum patronus diſertiſſimus,& mihi multis nominibus colendus, qui eum ab affini ſuo ampliſſimo, prudentiſſimo doctiſſimoq; viro,& mihi etiam amiciſſimo D. Petro Buygirs in vſum meum petijt & obtinuit, ad cuius margi- Anno Christi.

Anno Christi. *nes interdum & ipſe Buygirs commodas adnotatiunculas adiecit: In hoc codice primum locum habet ipſe Vorperus diſtinctus in tres libros latine ſcriptos, vt ſupra dictum eſt, quorum vltimus deſinit in annum Chriſti 1399. Quartus deinde ſubiungitur populari lingua Belgica ſcriptus qui, protenditur vſque ad annum 1498. hinc ſequitur Meinardi Franekerenſis paßio Groningana. Poſtremò ſequuntur annales rerum in Friſia geſtarum ab anno 1413. vſque ad tēpora Burgundorum, hoc eſt, ad annum 1518. Scripti incerto Authore lingua quidē belgica ſed nō ineptè: qui magnopere congruunt cūPetro IacobiThabor. de quo ſupra, & mox infra plura: & nos hic etiam quicquid extra Vorperum eſt vt in ſuperiori codice promiſcue ſupplementi titulo in noſtris allegamus: Vixit* 1538. *D. Vorperus circa annum Dom. 1538.*

9. Ioannes Doccomienſis.

IOANNES *Doccomienſis V. I. Doctor Colonienſis Academiæ ornamentum inſigne fuit. In qua Ius vtrumq; diu cum ſumma laude profeſſus eſt: Vnde ob egregiam nominis claritatem in CameramSpirenſem euocatus inter Aſſeſſores Imperij controuerſiis Principum, Ciuitatum, ac Prouinciarum decidendis operam ſtrennuam per complures annos nauauit: Inde cum aßiduis literis & ſtipendijs haud quaquā pœnitendis à Duce Cliuiæ inuitaretur, Cameram reliquit, ea commoditate ductus quod Coloniæ habitare nihilo minus poſſet, etiāſi Duci eſſet à Conſilijs. Maluit enim inter literatos quam inter Aulicos agere vir literis promouendis natus Audio eum reliquiſſe quædā in iure ſcripta ſed mihi hactenus videre non contigit: Anno Domi-*

ni 1557, illi dedicatum fuit opus,cui titulus eſt, Can- Anno Chri-
dela Euangelica in cuius præfatione ei tribuitur ab au ſti.
thore libri hic titulus. Ad eximium virum Ioannem
Dockem FriſiumV. I. profeſſorem. Viglius Zuichemus
cum poſt anno 14. quos ſtudiorum gratia in diuerſis
vniuerſitatibus exegerat,in Friſia ad viſitandos paren
tes & amicos tenderet,Coloniæ apud hunc diuerſatus
eſt,à viceſima tertia die Ianuarij vſq; ad 20.diem Fe-
bruarij anno 1534. Ob veterem conſuetudinem quem
cum eo quondam habuerat vir incomparabilis D. M.
Bernardus Bucho Patruus Viglij:Mortuus eſt Coloniæ
peſte anno 1540. Fuit hic dum vixit patriæ non modo
ornamento,ſed & præſidio quoties in arduis negotijs
expeteretur ſalutare conſilium quod tum temporis fre
quenter euenit,ob res nuper in Friſia recenti pace com
poſita:Fuit autem apud Doccomium honeſtiſſimo loco
natus,& omnibus ob autheritatem ex literis & Iuriſ-
prudentia charus: Habuitq; hæredem gloriæ ſuæ Pro-
nepotem,ex ſorore clariſſimum Cornelium Kempium
Doccomienſem hiſtoricum,de quo infra ſuo loco dicen
dum erit. Vixit hic Auctor circa annumChr. 1538. 1538.

10. Gerardus Synellius.

GErardus Synellius Grunnganus, Abbas fuit Vallis
B. Mariæ in Norda:vir ſuo ſæculo inſignis tū eru-
ditione tum virtute Scripſit Hortulum orationum me
tricum dramaticum in tres libros diſtinctum quos ex-
cudit Albertus Pafradus Dauentriæ anno Domini
1525. dedicauit hoc opus ſuum generoſo ſtrenuoq; E-
quiti Aurato Hictio Dornio Emendenſi præpoſito,Sa-
crorum Canonū legūq; Imperial. Doctori ac interpre
ti conſultiſſ. in Dornio & Guydmunda:dedicatoriam

 epiſto-

Anno Chriſti. *epiſtolā qua illi opus ſuum inſcribit & offert, ita claudit. Vale Cauchorum Friſiabonum decus & præſidium: Quod ideo hic adnotandum putaui quod hic appareat Friſiabones ab hoc Authore collocari trans Amiſin, hoc eſt, in Friſia orientali cum alij ponant eos in Occidentali Friſia, & quidem in Hollandia inter*
1538. *Vaterlandos: Auctor vixit circa annum 1538.*

DECAS VNDECIMA.

1. GREGORIVS BERTOLFIVS.

GREGORIVS *Bertolfius Louanienſis, primus fuit præſes ſupremæ curiæ in Friſia: Sub Carolo Q. de cuius proinde actis, Vita & proſapia plenius & ex profeſſo dicturi ſumus in eo libro quem de præſidibus huius curiæ peculiarem breui in lucem edituri ſumus: hic enim de ſcriptis eius tantum agemus: Hic enim à Car. Q poſtquā ſubmoto. Carolo Geldriæ Duce, nouā curiam in Friſia erigeret, accitus Saxonum Statuta, quæ partim communi, partim Saxonum iure conſtabant, in melius reformauit, & ad ius commune prorſus emendauit. Totum enim Iuris proceſſum conſcripſit & ad Forenſem vſum applicuit, & in lucem edi curauit populari lingua Belgica, quo magis obuiā Iuris praxin redderet etiam idiotis, quo conſecutus eſt vir prudentiſſimus vt nuſquam terrarum purius vſurpetur Romanum Ius in foro quam in Friſia. Hæc renouata, & ratificata ſunt in ſuprema Friſiæ curia, per Maximilianum Comitem Buranum anno 1541. Hoc autem opus correctum Statutorum Friſiorum*

quod

quod typis euulgatum eſt, cum originali ſuo in meam gratiam conferre, & ad me tranſmittere non eſt grauatus, vir mihi multis meritis venerandus D. Doctor Iacobus Bouricius Aduocacus in ſuprema curia conſultiſſimus: Hic Præſes moriens Leouardiæ anno 1527. Filium vnum reliquit, & filias tres de quibus in opere ſupradicto plura dicemus: Filia natu maxima nupſit nobiliſſimo viro Renero Tegnagelio vtriuſq; Iuris Doctori ac Profeſſori celeberrimo, ex quo liberi plures, & inter hos clariſſimus, ampliſſimuſq; Vir ac Dominus D. Gregorius Tegnagelius Imperialis Cameræ aſſeſſor, de quo infra plura ſuo loco: Filia Gre. natu media nupſit clariſſimo vtriuſq; Iuris conſulto Ioachimo Hoppero: ex quo eſt præter alios ampliſſimus vir ac Dom. D. Gregorius Hopperus Baro in Dalem. De quo infra ſuo loco plura: Filia Gregerij minima natu Anna nupſit N. Duyſkens ex quo eſt Maria, vxor clariſſimi, nobiliſſimi, conſultiſſimiq; Viri Ludouici Mulleri, V. I. Conſulti & illuſtriſſimi Bauariæ Ducis Conſiliarij. Qui quidē etſi hactenus, quod ſciam, nihil ſcripſerit, tamen ob id quod nobis ad ſcripta noſtra locupletanda, ſubſidia ex inſtructiſſima ſui Principis Bibliotheca aliquando promiſit, hoc loco eius mentionē faciendam duxi, vt occaſione proſoceri ſui recordetur ſe etiam à Friſia non prorſus eſſe alienum, & poſſe etiam gratificari Principi ſuo. Cuius maiores aliquando Friſiæ dominati ſunt, quorum acta celebrari ad honorem poſteritatis pertinet, quo tempore Præſes Bertolſſius floruerit ex ſuperioribus ſatis euidenter patet.

Anno Chriſti.

Anno Christi.

2. Hector ab Hoxuijer.

HEctor ab Hoxuijer Vir primariæ nobilitatis natus in Maurichemo, qui Pagus eſt Territorij Baroderani, de quo plura dicturi ſumus in Annalibus noſtris & in opere de Præſidibus & Conſiliarijs Curiæ ſupremæ in Friſia ſingulari eruditione prudentia & eloquẽtia prædatus à Carolo Quinto in ſummum Friſiæ Senatum coöptatus fuit, tandemq; Præſes ab eodem Conſilij apud Vltraiectum conſtitutus eſt, vbi diem extremum clauſit: Multis & arduis Legationibus functus eſt pro patria ad Imperatorem, & pro Imperatore ad alios Principes: Viglius Zuichemus certior factus, me hiſtoriam Friſiæ moliri, præ cæteris patriæ noſtræ magnatibus mihi nominatim Patruum ſuum Bernardũ Buchonem, & hunc Hectorem datis literis commendauit: Nihil admodum ab eo ſcriptum memini, quod quidem Typis excuſum ſit. Sed olim cum ſtudiorum gratia Louanij ageret confirmando nationis Friſonicæ collegio leges ſcripſit, ſi rem ſpectes tanta grauitate ac prudentia, vt nihil poſſit ſublimius, ſi ſtylum ſpectes tãta puritate, & perſpicuitate, vt nihil queat elegantius excogitari: Quibus proinde noſtrates qui ſtudiorũ gratia Louanij verſantur in hodiernum vſq; diem vtuntur:

1540. Vixit auctor circa annum Chriſti. 1540.

3. Kempo à Martena.

KEMPO à Martena vir primariæ nobilitatis ſummis naturæ ac fortunæ dotibus ornatus induſtriã ſuam promouendis patriæ commodis conſtantiſſime probauit, nam cum eſſet ex antiquiſſimæ nobilitatis familia Martenana natus, ingenium, quod ipſi præſtantiſſimum contigerat, à prima adoleſcentia omni literarum genere excoluit, quibus inſtructus adiuncto rerum vſu

eruditionis ac prudentiæ nomine Carolo Auſtriaco Hiſpaniarum Principi, & poſtea Rom. Imperatori eius nominis .V. Commendatus fuit à quo mox Equeſtri dignitate ornatus & in Prouincialem Friſiæ Senatum allectus fuit: Vbi rebus adhuc nouis, & poſt diuturnam factionum Anarchiam in aliquam Reip. formam redigendis, conſilio ſuo Principi & Ordinibus patriæ ſalua fide ſua plurimum commodauit: Nam cum eſſet rerū Friſicarum inſigniter peritus, & polleret naturali iudicio, eſſetq; cum primis eloquens, multas legationes in ijs controuerſiis ad Principem obiuit, quæ inter eius M. & ordines patriæ tractandæ occurrebant: Quarum nomine & ſingularem quoq; gratiam vtrimq; reportauit: Cum igitur hic omnium eorum, quæ publicè primum cum Duce Saxoniæ, & deinde cum Carolo Q. & contra hos à factioſis intranijs & Carolo Duce Geld. ſua memoria acta erant, notitiam certiſſimā haberet, Ordines Friſiæ comitijs habitis, cū conſenſu Principis illi publicos Friſiæ Annales conſcribendos demandarūt ex quibus publica fide rerum geſtarum indubitata certitudo hauriri poſſet, vt poſteritati liquido conſtaret quid & quib. modis inter hūc Principē & Antiſtites prouinciæ actū eſſet. Conſcripſit igitur Kēpo populari lingua Belgica, Hiſtoriam Occident. Friſiæ, annorū 42. Exorſus ab anno 1498. quo Albertus Saxoniæ Dux in Friſiam accitus venit, vſq; ad annū 1540. cū appendice actorū, quæ Leouar. tractata ſunt cū Maria Vngarica Car. V. ſorore anno 1545. Operi abſoluto titulus adſcriptus eſt, Het Lādt Boeck. i. Codex Prouinciæ: Cui recognoſcendo, & inauthorādo ex præcipuis Fri. nobilib. M. Iarichus à Dekema, M. Sicco à Dekema, M. Sixtus à Tiarda, Abbo à Sinxma, Ieike Douma Iunior &

Anno Christi.

Anno Christi. *Sibrandus à Rorda: Ex Senatu Principis M. Albertus ab Arnſma. Doctor Renicus à Burmania, Doctor Hector ab Hoxvier, M. Petrus à Dekema, delecti ſunt Opus igitur ab his examinatum & approbatum Ordines grato animo amplexi ſunt, æternaqúe memoria conſecrarunt, eo fine, vt conſimili forma ſucceſſum tẽporis nouis additionibus ex fide publica locupletaretur: De Authore huius operis plura dicemus in Annalibus noſtris, & in opere de præſidibus & conſiliarijs Curiæ ſupremæ in Friſia: Vixit Auctor autem circa annũ*
1540. *Chriſti 1540.*

4. Pibo à Gerritſma.

PIBO à à Gerritſma in pago Virdemio natus, cum Geometriæ ſcientia celebris, tum etiam iocis ac facetijs in patria charus fuit. Vir clariſsimus D. Doctor Cyprianus Vomelius, multa Moguntiæ nobis de eo iucundè narrauit: Aſſerens eum latinè quidem linguæ pene ignarum, naturæ tamen inclinatione & propenſione, ita in arte Geometricæ profeciſſe, vt etiã in ea non contemmenda ſcripſerit, quæ tamen ad manus noſtras hactenus non peruenerunt: D. D. Cyprianum ei vt familiari & amico & artis perito epitaphium ſcripſiſſe comperio, quod proinde vt in Syluæ eius extat hic ſubijciemus vt manibus vtriuſq; gratificemur, & hæredes Pibonis exuſcitemus ad perquirendas eius reliquias: Mortuus eſt autem hic auctor circa annum Chriſti 1540.*

EPITAPHIVM PIBONIS A Gerritſma Geometræ Virdumenſis:

Directi

Anno Chriſti.

Directis oculis, & fixo ſtipite quondam
Qui terra menſus iugera multa fui:
Metior en tenuem toto nunc corpore fundum
Cumq; ſuis numeris, calculus omnis abeſt:
Dogmata quid prodeſt, mihi nunc Geometrica ſciſſe?
Feſtiuoſque ſales, ridiculoſque iocos?
Iuppiter anne volet metiri climata cœli?
Atque ſimul dictis ſe recreare meis?
Nempe hoc in regno ſpatij mihi nulla puſilli
Cura erit, hoc etiam plus iocularis ero.

5. Vlpius Ciſſæus Franekerenſis.

IOSIAS Simlerus hunc auctorem Ioannem Vlpium Franekerenſem vocat: Franekerenſem autē ipſe ſe vocari maluit quam Schalſemium cum eſſet in Schalſemo natus, qui pagus eſt in Territorio Franekerēſi, nec longe à Franekerenſi ciuitate diſtat: Nā cū hic pagus inſigni quadam hedera notabilis ſit, fugere veterem iocum voluit, qui de nomine ipſius pagi & hederæ in eo creſcentis vulgo iactatur, cum dicunt Toh Shalſum ine Climmerbaem: ideoque nomen pagi, quod obſcœnitatis ſonum apud nos habet proſſus ſuppreſſit, Climmerbaem autem quod hederam ſignificat & in eandem obſcœnitatem ob iſtius vicinitatem abripi poſſet Græco nomine obuelauit κιςςος enim hederā ſignificat. Vnde ille ſe Ciſſæum, hoc eſt, Hederaceum appellauit: Hic autem iactis in patria fundamētis artium, Erphordiam ſe grauiorum ſtudiorum gratia contulit, quæ vniuerſitas tum temporis maximè florebat, & à noſtratibus præcipuè frequentabatur: Ibi cum aliquandiu ſingularis induſtriæ & eruditionis exempla de ſe publicè priuatimque edidiſſet publi-

Anno Chri-ſti. ca Græcæ linguæ profeſſione decoratur, eadem illa ad quam poſtea nos Louanio ex interuallo vocati ſumus. In qua quam dextrè, quantoque cum fructu rei literariæ verſatus ſit, ipſa adhuc vniuerſitas teſtatur, & monumenta ipſius declarant, quæ poſteritati reliquit Gliſcente deinde in ea vniuerſitate Religionis diſſidio, cum aduerſus Lutherum ſtringere calamum cœpiſſet, indignationem quorundam incurrit, qui illi nocere poterant: Quod ille ſentiens ceſſit inuidiæ, & Lypſiam ſe contulit, vbi cum aliquandiu ſubſtitiſſet, in patriam reuocatus eſt, vbi ſacris initiatus non admodum diu ſuperuixit. Mortuus eſt autem circa annum 1540. Scripſit multa ſed non omnia in lucem prodierunt ob immaturam Authoris mortem.

Heſiodi opera & dies carmine reddidit, ita vt ſingulos Græcos verſus ſingulis Latinis exprimeret, vt inſeruiret illis, qui vtramq; linguam conferre cupiunt: Georgius Ratallerus idem opus tranſtulit vt infra diximus, ſed liberiori ſtylo: Michaël Iſengrinus Vlpij opus hoc impreſſit Baſileæ anno 1540. Græcis & Latinis è regione oppoſitis.

Scripſit & collectanea quædam prouerbiorum, quæ in Chiliadibus Eraſmi non habentur: Scripſit etiã ad Henricum Saxoniæ Ducem Elegiam gratulatoriam.

Scripſit etiam nonnullos tractatus aduerſus Lutherum, quos olim excuſos vidimus, ſed nec recordamur ſatis quales ſint, nec amiſſos recuperare vnquam potuimus: Clariſſ. V. I. Doctor Cyprianus Vomelius, qui illi Erphordiæ & in patria valde familiaris exiſtitit ei hoc Epitaphium ſcripſit, quod vt extat in eius ſylua hic ſubijciam.

EPITA-

Anno Chriſti.

EPITAPHIVM D. VLPII Ciſſæi Eccleſiaſtæ Franekerenſi.

VLpius hic recubat Ciſſeæ gloria gentis
AEternumq́; decus Franekaëra tuum:
Orantem latio laudaſſet Tullius ore,
Vberis eloquij copia tanta fuit:
Nec fuerat Graio leuiter ſermone beatus
Quin etiam Graeè dicere promptus erat:
Claruit in patria facunda munere linguæ
Et Ciues docuit cœlica iuſſa ſuos:
Regna ſuum poterat celebrare per extera nomen
Poſtpoſuit notis ſed peregrina locis:
Terra parens igitur corpus venerabile nati
Molliter vt foueat Lector amice, roga:
Nam mens ſancta Viri fruitur te dulcis IESV:
Angelicos inter pſallit ouatq́; Choros.

Aliud eiuſdem, in eundem.

MOrtuus hic recubat iuuenalibus Vlpius annis
Par Friſiæ noſtræ Pieridumq́; decus:
Fœtibus ingenij toti inclareſcere mundo
Cœperat, ah quantum ſpei fera Parca rapis:
Quæ tamen ante diem fati monumenta ſupremum
AEdidit, hæc vitæ cauſa perennis erunt:

6. Petrus Thaborita.

F. Petrus Iacobi cõuentualis vt videtur Laicus in Thabor prope Snecam fuit. Is patrem habuit Bolſuardiæ (vt ipſe tradit) Iacobum Nauperum virum honeſtum, & quoniam ea ciuitas tum temporis ob factionum diſsidia optimo cuiq́; maxime periculoſa erat ipſe in conuentũ Thab. qui & à Bolſuardia nõ longe diſtat,

velut

Anno Christi.

velut in tutum vitæ portum ſe recepit & quanquan
linguæ latinæ non admodum peritus fuerit, tamen ar
tium Mathematicarum, & præſertim Geometriæ co
gnitionem habuit quibus & otium ſuum falleret &
patriæ ſuæ operam ſuam probaret: quod & ſæpenum
ro fecit in agrorum ac finium controuerſiis terminan
dis: Itaque & Carolus Quintus eius opera vſus eſt, i
menſurãda terra Bildia, vna cum M. Martino Delph
ſi, qui huic negotio præfectus erat. Fuit autẽ hic F. Pe
trus non modo cõuẽtui ſuo, ſed etiã vniuerſæ Friſiæ va
de vtilis tum conſilijs tum ſcriptis: Conſcripſit enim
ſupplementum Hiſtoriæ Friſonicæ ad Dominum Vor
perum Thaboritam de de quo ſupra actum eſt, paul
tamen altius exorſus quam vnde ille deſtiterat ab a
no ſcilicet 7?1. Quo Chriſti fidem Friſia ſuccepit a
producit ſeriem annalium vſque ad annum 1550, qui
quam ſint, qui illum non vltra annum 1527. Deſcend
re aſſerant, & quod excurrit alteri deberi. Vtcumqu
hoc ſit, nos ſupplementi titulo ſub huius nomine in ſcr
ptis noſtris allegamus, vt lector intelligat, quo fider
debeat. Nos hoc ſcriptum eius manuſcriptum habe
mus duobus exemplaribus, vt ſupra diximus in Vor-
1550. *pero Thaborita: Vixit auctor circa annum 1550.*

7. Stephanus Syluius.

STephanus Syluius *in Vnigieterpo natus qui pagu*
eſt Territorij Vpſterlandiani, cum parentes habe-
ret obſcuros ipſe ſua induſtria his præluxit, percepti
enim vtcumque literis humanioribus, & ſacræ ſcri-
pturæ principijs ordinem Sacerdotalem ſuſcepit: Qui
adeptus ludum litterarium aperuit domi ſuæ. Qua r
tione cum & concionibus in Templo & prælectionibu

t.

Anno Chriſti.

n ſchola ſeſe ſtrēnuè exerceret, id conſecutus eſt vt inter Sacerdotes & Ludimagiſt. ſ a memoria pare non habere crederetur, multo tempore in Friſia: Itaque cū vtramque ob hanc cauſam ſæpius ex alijs in alios pagos electione populari inuitat s transmigraret, tandē Paſtor in Tzumma electus eſt, qui pagus eſt Territorij Franekerani. Ibi cum aliquandiu verſaretur, rem & Eccleſiæ promouendæ & profligandæ Barbariei ſtrennuam egit: Nam & nos eius diſcipulos complures cognouimus, in vtraque lingua feliciter inſtitutos qui & Reipublicæ gubernacula poſtea tenuerunt: Hanc igitur famā conſecutus Stephanus iſtinc Leouardiam vocatus eſt, non vt Scholam adminiſtraret, ſed vt paſtoratum Parochiæ ſuſciperet ad Sanctum Vitum in aula veteri: Vbi quamuis ſtrennuè munus paſtorale obiret, quicquid tamen otij negotijs Eccleſiaſticis ſubducere poterat literis excolendis impendere ſolebat. Ideoque domi ſuæ priuatim diſcipulos admittebat, non quidem promiſcue quoſlibet, ſed eos tantū, in quibus ſibi minimo negotio, fructus plurimum facturus videbatur: Leouar. poſt annos aliquot vocatus eſt Gruningam, vbi Paſtoratu ſummo ad S. VVaiburgam per aliquot annos functus diem ſuum obijt anno 1567. ætatis ferè 60. Scripta eius hactenus excuſa quidem nulla vidi, ſed oſtendit mihi olim Leouardiæ anno 1554. Grammaticam, quam carmine conſcripſerat, cuius exemplaria apud eius diſcipulos etiam extare arbitror oſtendit & in Theologia tractatus aliquot, quorum iam non ſatis memini. Epitaphium ſuum hoc diſticho ipſe complexus eſt.

Qui

Anno Chriſti. Hic ſitus eſt Stephanus ſtudioſæ auriga iuuentæ
1556. Qui columen Friſiæ ſi voluiſſet, erat:

Floruit maximè circa annum Chr. 1556.

7. Gemma Friſius.

GEMMA Friſius Doccomij honeſtis parentibus natus eſt, circa annum 1500. & ob bella quæ tum inter factioſos in Friſia feruebant Gruningam ad amicos miſſus & ab ijs ibidem educatus eſt: Cumq; adoleſcēs ibi in literis mirum in modum profeciſſet: Louanium ad grauiora ſtudia capeſcenda ablegatus eſt, vbi & collegio Gruninganorum nomen dedit, ob nuncij commoditatem. quo vti poſſet ad petenda ab amicis Gruninganis ſtudiorum neceſſaria: Nam cum Friſia, & Gruningia longè diſtent Louanio, nec proinde in diem ſtudioſi à Parentibus ſuis habere poſſint, quibus ad vitā & ad ſtudia opus habent, Collegia nationū ſuarum cū conſenſu vniuerſitatis cōſtituerunt, quæ ſingula peculiare nūcium ſuſtentare poſſent, qui ſtatis tēporibus ex patria cōmeatū & pecuniam & cætera neceſſaria apportet: Gēma igitur cū parentibus admodū adhuc puer orbatus eſſet, non Friſ. Occident. ſed Gruning. collegio ſe adiunxerat ob cauſas ſupradictas, vt ex ipſo ſæpius audiuimus, & ex eius etiā ſorore quæ Louanij multis annis noſtra memoria habitauit: Gēma itaq; à multis ob cauſas modo relatas Gruning. eſt habitus quāquam Doccom. eſſet: Studuit autem Gēma Louanij Mathematicis artibus ac madecin. In illis quātum valuerit ſcripta eius publica teſtantur: In Medicina doctoratum conſecutus & profeſſionē publicā, inter præcipuos eius vniuerſitatis medicos habitus fuit: In Theoria acutus ac tritus in praxi felix. Mathematicas artes priuatim in ædibus

ſuis

ſuis docere ſolebat, vbi & nos eũ docentem ſtudioſè au- Anno Chriſti.
diuimus: Erat enim ſingularis in eo docẽdi dexteritas ac gratia: Duxit Gema vxorem Louanij, ex qua filiũ habuit Corneliũ Gemmã, itidem Medicũ & Mathematicũ, & qui patrẽ ſuũ non modo eruditione ſed & nomine ipſo obſcurauerit: Fuit enim hic & in matheſi & in medicina patre nõ inferior, & nomẽ ꝓprium habuit. Cornelius, cognomẽ illi gema fuit, q̃ Patri erat nomen proprium, qui cognomen nullũ aliud habuit quã à patria, ex qua dictus eſt Friſius: quamquã & à patre habere potuerit, qui Cornelius appellatus fuit: Eſt autẽ Gẽma apud Friſios nomen frequens & vſitatũ, illa tantũ genti Dialecto conſeruata, quę litera G ſonũ literę I & E. item I. in pronunciatione vulgari edat: Fuit autẽ Gemma in ſumma gratia apud Car. V. maximè ob aſtronomiam & Geometriam, in quibus & Imperator non infeliciter verſatus erat, adeo quidem, vt & Gemmam erroris admonuerit in mappa mundi, quam poſtea errore ſublato illi Gemma dedicauit: ob eaſdem artes Mathematicas Gemmæ domus à multis Magnatibus Aulicis viſitabatur, qui & ipſum ſæpè Bruxellas euocabant, non ingratis pro opera præſtita: Erat Gemma Louanij ob morum comitatẽ gratus omnib. ὁμοτέχνοις ſuis medicis, inter quos vnum præcipuè familiarẽ habebat D. Hieremiam Triuelium. Cum hoc aliquando conſpectus in publico, effugere non potuit ſalſi cuiuſdã facetias, qui dixit eſſe Hieremiam & Gemmam Louanienſium medicorum par impar: Gemma enim ſtatura mediocri erat, membriſq; gracilibus, & facie pallida. Hieremias illo non paulo procerior & facie rubicunda, totoq; corpore inſigniter obeſo: ita vt præ carnium

mcis

Anno Chriſti.

mole membrorum ſuorum fermè inpos eſſet: Hieremiam nos Louanij anno 1547. ſtudioſe audiuimus publicè explicantem Aphoriſmos Hippocratis: Qui frequenter dicebat, nihil infelicius eſſe ægrotanti medico propterea quod omnib. in promptu eſſet illud, Medice cura te ipſum: id quod illi tunc impoßibilè factu eſſet, iudicio per morbum turbato: Ideoque Gemmã ſibi medicum, ſi quando ægrotaret, præſtipulatus erat; & Gemma viciſſim illum ſibi, itaque cum eueniſſet, vt morbo peſtilenti correptus Hieremias Gemmam accerſeret, Gemma, vt veniſſet, Hieremiam hortatus eſt, ſtrennuè præcederet, nulla alia re opus eſſe, quam fideli Comite, ſe non longo interuallo eademvia ſubſecuturum: Vterq. igitur breui temporis ſpatio vna cum alijs multis viris egregijs peſte abſumptus eſt anno 1558. Neuter medicamentis vti voluit aduerſus fatalem neceßitatem quam præſentem eſſe intelligeret: Scripta reliquit Gemma (quod equidem comperi) nulla in medecina, in Mathematicis autem complura: quæ ſunt

Methodus Arithmeticæ impreſſa Antuerpiæ anno. 1540.

De locorum deſcribendorum ratione, deque diſtãtijs eorum inueniendis.

Item de vſu annuli aſtronomici, libelli hi ſunt impreßi ibidem cum Petri Apiani Coſmographia anno. 1540.

Charta ſiue mappa (vt vulgus vocat.) qua continetur generalis totius orbis deſcriptio, partim ex veteribus partim ex recentioribus collecta & Carolo Quinto Auguſto dedicata impreſſa Louan annoij 1540.

Euiuſdem libellus de principijs Aſtronomiæ & Coſ

mographi

mographiæ, deque vſu globi Coſmophaphici ab eodem Anno Chriſti.
editi: Et de orbis diuiſione & inſulis rebuſq; nuper inuentis.

Item libellus de Annuli Aſtronomici vſu, excuſi ſunt apud Ioannem Stelſium anno 1548 in 8.

Eiuſdem demonſtrationes Geometricæ, de vſu Radij Aſtronomici, ſeu Regulæ Hipparchi excuſæ ſunt Antuerpiæ.

Arithmeticæ Methodus excuſa eſt Pariſiis cum Annotationibus & Additionibus quibuſdam Iacobi Peletarij.

Eiuſdem de Aſtrolabio Catholico liber, quo latiſsimè patentis inſtrumenti multiplex vſus explicatur & quicquid vſquã rerum Mathematicarũ tradi poſ- 1551.
ſit continetur: Antuerpiæ anno 1556. Floruit Auctor maximê circa annum Chr. 1551.

9. Regnerus Prædinius.

Regnerus Prædinius, natus eſt in pago Vinſemo, qui Gruningæ non longe diſtat: Prædinius enim vocari voluit, quod ruri & in prædijs eſſet natus: Is cum peracri ingenio eſſet, perceptis in patria vtriuſq; linguæ fundamentis Louanium ſe contulit, & Philoſophiæ primum, deinde etiam maioribus (quas vocant facultatibus) operam ſtrennuam impendit: Reuerſus in patriam cum ad diuerſa munia in Repub. obeunda magnis & precibus & præmijs inuitaretur, ad nullum ſuſcipiendũ commoueri potuit, quã ad adminiſtrationẽ ſcholæ publicæ, tum quod in hoc plurimũ fructus Reip. adferre poſſe ſe arbitaretur, tum etiam quod genium ſuum huc maximè propenſum eſſe ſentiret: Suſceptam itaq; Gruningæ hunc Sparthami ſic ornauit, vt vicinas

Anno Chriſti. 1556. *ſcholas Triuiales fama ſua longè latèq; obſcurauerit, Erat enim in hoc viro recondita eruditio, & eloquentia ſingularis, & quod præcipuum eſt gubernandæ iuuentutis mirabilis quædam dexteritas: Itaq; non modo ex Gruningia Friſia Orientali, & Occidentali, ex Veſphalia, Tranſiſulania, Geldria, Brabantia, Flandria, ſed etiam Gallia & Italia eius audiendi gratia, Gruningam non modo ſtudioſi mittebantur, ſed & eruditi quoque velut ad Academiam celebrem confluebant: Et procedebant ex eius ſchola adoleſcentes, ita fideliter inſtituti, ac tam ſolidè docti, vt cum ad Academias ſe conferrent omnibus eſſent admirationi, quorū non pauci mihi Louanij & cogniti & amicitia coniuncti fuerunt: Scholam per multos annos adminiſtrauit, & ad extremum vſque ſpiritum in ſolita docendi contentione perſeuerauit. Cum autem ille diem ſuum obijſſet clariſſimus vir D. Doctor Heſſelus ab Ayſma qui tum vrbis Gruninganæ Syndicus erat, & Reuerendiſſ. Dom. D. Stephanus Syluius qui ſummus ibi Paſtor ad S. Valburgam erat Erphordiam literis datis petiuerūt vt ego eam ſcholam gubernandam ſuſciperem quod ſi vellem ſe magiſtratū vrbis bonis rationibus inducturos, vt mihi ea prouincia publicis literis offerretur. Sin minus, cauſas ſyncere perſcriberem cur recuſarem. Reſpondi ſyncere, & cur ſuſcipere Prouinciam iſtam non poſſem cauſas duas reddidi: primùm quod haberem in Academia libera profeßionem vtriuſq; linguæ ad quā Louanio publicè accitus eſſem, vt parum honeſtè poſſem permutationem iſtam ſubire, etiamſi forte apud Gruninganos ſtipendium amplius foret. Secundò quod proſpicerem actum iri, de exiſtimatione eius, quiſquis Præ*

dinio

dinio in Rectoratum proximo ſufficeretur. Nam cum ille tam ſingulari gratia polluiſſet apud ſuos auditores vt ſibi perſuaſum haberent omnes, ſimilem eius alterum natum non eſſe, non dubitabam contemptum iri, eum qui non idem & eodem modo præſtaret quod Regnerus, etiamſi fortè præſtaret plus ac melius. Quam diu enim Regneri vox ἔναυλος *erat, & ſonaret in auribus auditorum iuuenum, & quorum iudicium adhuc immaturum erat, nihil aliud expectari poterat, quam ex deſiderio ſoliti præceptoris faſtidium Præceptoris inſolentis. Doluit ſecunda hæc ratio mea tum Stephano, tum etiam Heſſelo, & cum deinde ad Magiſtratus petitionem, ſcholam iſtam gubernandam ſuſcepiſſet vir omnibus modis doctiſſimus M. Gerardus Lopperſum, ipſius Prædinij quondam diſcipulus, experiētia vnius anni doctus, doluit ſibi quoque in mentem non veniſſe re integra vltimam iſtam cauſam recuſationis meæ: Mortuus eſt autem Gruningæ Prædinius, & ſepultus eſt prope Templum S. Valburgæ non longè à ſchola, in ſemita qua frequenter ſolebat deambulare. Sepulchrum eius tectum eſt lapide inſigni, in cuius ſuperficie ſcriptum eſt. Hic ſitus eſt Regnerus Prædinius, in* CHRISTO IESV *mortuus anno ſuæ ætatis quinquageſimo primo Domini vero 1559. Die 18. Aprilis. Multa eum ſcripſiſſe intellexi, quæ tamen ad manus meas hactenus non peruenerunt. Audiui ſcripta eius non referre gratiam quā viua vox habuit, eademq; à Catholicis eſſe notata. Subiungam hic clariſsimi viri Cypriani Vomelij de eo Eulogium, quod eſt tale:*

Anno Chriſti.

Anno Chri-ſti.

AD DOCTOREM THOMAM Ennium de Regnero Ludi literarij apud Gruningenſes moderatore.

HAVD mihi continuo ſolet admirabilis eſſe.
Si quem fert oculis publica turba ſuis:
Sed quem commendat quiſquam laudabilis ipſe
Hunc ego confeſtim deueneratus ero:
Ergo frequens cum tu memores doctiſſime Thoma
Regnero eloquij flumen ineſſe merum,
Atq; vel Iſocratis Veneres dicendo referre,
Vel Demoſthenios telaq;, vimq; grauis:
Nec modo Romuleis vbertim vocibus vti,
Attica ſed parili verba ſonare modo:
Nunc illum ſtatuo reuera exiſtere talem,
Et Friſiam tantum lætor habere decus:
Gratulor & Friſiæ, cuius condiſcere publi:
Et tanto liceat ſacra fidemq; viro.

10. VVo Helt.

VVO Helt Gruninganus vir doni nobilis diu à ſuis deſideratus, cum ſtudiorum gratia per multos annos peregrinatus ſit, in patria (quod equidem compererim) hactenus non eſt reuerſus: Fama de eo diu iucunda, & ob ſpem de ipſo conceptam apud omnes grata viguit. Cum eruditione, prudentia, comitate parem ſibi nullum habere dicatur. Bibliotheca Simleri, quæ eum perperam Viuionem vocat, eum ſcripſiſſe aſſerit Dialecticam, quam mihi tamen hactenus videre non contigit: Præſtitit ille olim Academiæ Louanienſi rem oppide

oppido quam neceſſariā aduerſus ingruentem hoſtem Martinū Roſſemium, cum ſummis eloquentiæ viribus, ſtudioſos & ciues exſuſcitaret ad hoſtem fortiter repellendum, qui à quibuſdam alijs iam pene ad deditionē faciendam inducti erant. Cui ſubſidio mox fuit M. Seuerinus à Feyta Harlingenſis qui correptis armis ſtudioſos in aciem eduxit, & non modo mœnia fortiter tutatus eſt, ſed & hoſtem propulſauit, vnde & à Carolo Quinto præmij nomine nobilitatem conſecutus eſt. Viri uſque mentionem facit, clariſſ. Dom. D. Cyprianus Vomelius: De VVone ſic ſcribit: Anno Christi.

PRotinus vt ſubij ſublimia tecta Louani
 Quæro quis hic Cirræ fertur in vrbe caput:
Tunc mihi congrediens aliquis reſpondit, hic Vuo,
 Germanæ Sophiæ præmia prima refari:
Fontibus hic liquidis ſua largius ora rigauit
 E quibus eloquij vena beata ſcatet:
Hic Graias Latiasq; ſimul percepit Athenas,
 Quolibet ore ſonat, qualibet arte valet:
Permeat hic idem Regiones ætheris omnes
 Et quid Mars foueat præmonet atque Venus:
Hoc ſermone mihi fuit admirabilis vno
 Protinus ille mihi vir venerandus erat:
Illius audieram multis præconia verbis:
 Ac licuit coram plura notare quidem
Non tamen hunc martis rebamur ad arma paratum
 Sed pacidæ tantum pacis habere decus:
Ecce ferebatur Titan per terga Leonis,
 Et ſua quaſſabat ſpicea ſerta Ceres:
Cum per Menapios collecto milite campos
 Tungrorum Gallis dilaceraret opes:

Anno Chri-ſti.

Iamque Louanenſes muros hoſtilibus armis
Cinxerat igniuomis attigeratq; globis:
Nec mora ni cœtus ſe dedat ciuibus vltro,
Ferratas iactat vi reſerare fores:
Pacis amans aliquis perq; otia longa ſolutus,
Placari Gallum conſulit ære dato:
Ipſe ſed intrepidus diuerſum conſulit Vuo
In medium prodit verbaq; prompta facit:
Ne trepidate viri: quamuis ſit proximus hoſtis:
Fortibus in bello nulla pericla nocent:
Dedecus ô Ciues abſit memorabile veſtras,
Soſpitibus vobis tollat vt hoſtis opes:
Et vos ô iuuenes obnoxia turba mineruæ
Sumere vos animum nunc Dea veſtra iubet:
Neu rudis vt Tiro parma gladioq; relictis,
Vix bene conſpecto marte parate fugam:
Quin pro communi modo vulnera ferte ſalute
Si muros hoſtis ſcandere forte velit:
Galle ferox Belgas deuincere ſæpe minaris:
Sed te Tiemus pernegat eſſe parem:
Nunc quid decliui Criſtas ætate reſumis
Cum tua ſub pedibus lilia ſtrata iacent.
Hoc omen regni vertendi funditus eſto
Sint ea vincendi præſcia ſigna tui:
Dixerat atque animo depoſcit prælia, certus,
Dummodo conſpiciat mœnia ſalua mori:
Ciuica quem ſequitur iuuenumque deinde corona
Atque arcent animo Celtica ſigna pari:
Non ego Groningam mirer ſua Iura tueri,
Cum tales nobis educet illa viros:

Educat

Anno Chriſti.

Educat illa viros belliq́ togæq́ peritos
Hoc virtute ſua nobilis Vuo probat.

DE M. SEVERINO HARLINGENſI Ciue Louanienſi ad Bottonem Hoytes ita ſcribit.

SAEPE Ducem Cæſar Friſiæ ſubmittit in arces
Qui ſæuo tutus præſtet ab hoſte vias
Quiqúe magiſtratus dictet ſanctumq́ Senatum,
Et populis tribuat iura bilance pari:
Obligat hoc merito Friſiæ ſibi Cæſar habenas,
Cogitat & grates illa referre memor:
Ecce Seuerinus Friſiis oriundus in oris,
Cæſaris in Patria viuit agitq́ Ducem
Illius auſpicio ſua Pieris induit arma
Pieridumqúe Comes quiſquis in vrbe fuit.
Bella Louanienſi gereret cum Gallus in agro
Terrorique ipſis mœnibus eſſet ouans:
Non grauitas, virtus, conſtantia defuit illi:
Non vſus belli non animoſa fides:
Ne ceſſa fidos Friſiæ ſubmittere Cæſar
Cum ditio fido reddat & illa Duces.

Hac nos occaſione Vuonis breuiter hic attigimus vt ambos Duces grata memoria celebremus: quibus Louanienſes tunc ſalutem ſuam non grauatim acceptam ferebant. De bello hoc Louanienſi Lector videat opus Damiani Goeſ qui Louanio præfectus fuit: Vuonem quidem nos non vidimus, ſed Seuerino Louanij diu familiares fuimus, qui totam iſtius Roſſemianæ obſidionis Hiſtoriam ſuam aliquando nobis

Anno Chri-ſti. explicare non grauatus eſt: Floruit autẽ maximè VVe
1506. Helt circa annum 1560.

DECAS DVODECIMA.

1. IOANNES ACRONIVS.

IOANNES Acronius, in Acronio natus qui pagus eſt in Fri. Territ. Vtingeradeleo Medicus & Mathematicus fuit, & Baſileæ ob iſtarum artium profeſsionẽ celeberrimus fuit, vbi & per multos annos verſatus fuit, & tandem vita defunctus eſt anno 1563. Vir ætate adhuc florenti: In medecina quod equidem ſciam nihil ſcripſit. In Mathematicis plura extare puto, quamquam nihil hactenus viderim: Nam cum Exphordiæ agerem plurimas ab eo literas accipiebam, quibus me rerum ſuarum certiorem redderet, vt & ego eum viciſsim mearum: ſcripſit autem literis ſuis quas adhuc habeo, ſe habere opera quædam abſoluta ac typis iã deſtinata: Videlicet,

Confectionem Aſtrolabij, & annuli aſtronomici.
Item de ſphæra.
Item de motu terræ.

2. Ioannes Saxonius,

IOannes Saxonius Hatteſtedius ex minori Friſia V.I. Doctor, Decanus fuit Eccleſiæ Hamburgenſis & Canonicus Bremenſis vir inſigni eruditione ac prudentia conſpicuus: Qui in diuerſis vniuerſitatibus Iura pub. profeſſus eſt: Hic circa annum 1559. Erphordiæ clariſsimo viro D. Doctori Henrico Knauſtino valde familiaris erat, quo mediante & nobis ibi tum amicitia

cum

ſum eo contigit, quam & abſens per literas ille deinceps fouit: Scripſit multa ex quibus Bibliotheca recenſent. Anno Chriſti.

Commentariolum ad T. Liuinij hiſtoriarum ab vrbe condita lib, xxxi. & xxij. De ſecundo bello punico impreſſum Baſileæ apud Ioannē oporinum anno 1547. Aſſertio eius de gloſſis Accurſianis, & Bartholi conſimiliumq; Doctorum commentarijs, abſq; ijs Ius Ciuile intelligi rectè non poſſe excuſa eſt Baſileæ apud Ioannem Oporinum anno 1548.

Commentarius in orationem Ciceronis pro Sextio Roſcio Amerino.

Item Oratio de vtilitate ſtudij dicendi.

Item alia de obſeruandis legibus ſimul excuſa ſunt Baſileæ apud Ioh. Oporinum.

Hic ſibi propoſuerat conſcribendam generalem totius Friſiæ hiſtoriam eoque fine Bruxellam profectus Viglio Zuichemo tum Secreti Conſilij per Belgium Præſidi Aſſertionem ſuam illam de qua ſupra dictum eſt dedicauit eo fine vt opera Viglij, qui plurimum vbique poterat, antiquitates patriæ ad inſtitutum ſuum neceſſarias conſequeretur. Itaque Viglius eum Senatui Regio in Friſia & præcipuè D Agges Albada, Iul. o à Geel ad uocato Regio, & Paſtori Stephano Syluio commendauit. Quorum opera ille adiutus plurima antiquitatis monumenta conquiſiuit: Quem poſtquam ego defunctum cognouiſſem Erphordiam literas ad Knauſtiniū dedi ac petij vt curam adhiberet vt antiquitates illæ noſtratibus in tuto eſſent. Sed Knauſtinus literis Erphordia Louaniū ad me 4. Auguſti anno 1571. datis in hæc verba reſpondit, ad Io. Saxonij monimenta hiſtorica

Anno Chriſti.

quod attinet (inquit) ſcripſi ad hæredes, & Germanũ fratrem eius, verum impetrare nihil potui. Credo quod fuci deripuerint, quos vtinam à præſepibus arcere licuiſſet, nec enim confecta examinis dulciſsima mella fucis debentur: Ego non immemor precum tuarum, & ſi quicquam hoc nomine forte & alias in poſterum cõperio, fideliter tranſmittam, vt præclarum opus tuum quod in manibus habes quocunque modo adiuuem hactenus ille: Ante Biennium cum ad clariſſimum ampliſsimumq́; Virum & mei ab ineunte ætate amantiſsimum Dom. D. Heſſelum ab Ayſima ſcripſiſſem de conquirendis antiquitatibus, in vſum meum ille ignarus eius quod ego apud Knauſtinum egiſſem ita ad verbum reſpondit ſcriptis literis 12. Martij anno 1590.

„ Memini (inquit) me aliquando à Iulio de Geel Pro-
„ curatore Regio audiuiſſe Ioannem Saxonium (ſi bene
„ memini) in Friſia fuiſſe, & à ſe & Doctore Stephano
„ Syluio omnia pene Chronica Friſiæ & vetuſtatis mo-
„ numenta accepiſſe, & in patriam ſuam tuliſſe, fide da-
„ ta vt Hiſtoriam conſcriberet, qui tamen nihil præſtitit:
„ non abs re foret eius Viduam vel hæredes de ijs reſtitu
„ endis interpellari hactenus ille: Sic interim nos patrijs
„ antiquitatibus paulatim denudati ſumus: Floruit Aut.
„ hic circa annum Chr. 1564.

3. Regnerus Hallemius.

REgnerus Hallemius, natus in pago Hallemo qui eſt in Territorio Feruerderadeleo ſtudiorũ gratia verſatus in vniuerſitate Heidelbergenſi, ſcripſit Carmen Elegiacum in obitum Mariæ Vxoris Frederici

Comi-

Comitis Palatini Electoris, &c. Excuſum Heidelbergæ, à Martino Agricola: anno 1567. Scripſit & alia quædam quæ ad manus noſtras non peruenerunt: Floruit Auctor circa annum Chriſti. 1565. Anno Chriſti. 1565.

4. Volcherus Koyter.

VOLCHERVS *Coyter Friſius, Medicus Noribergæ praxin exercuit, ibidemque externarum & internarum principalium humani corporis partiũ tabulas atque anatomicas exercitationes nouis, & artificioſis figuris illuſtratas compoſuit: Quæ ſunt excuſæ Noribergæ anno Chriſti 1573. In folio in officina Theodoreti Gerlaceni: Auctor floruit circa annum Domini 1570.* 1570.

Item tabulas eiuſdem de oßibus & cartilaginibus humani corporis excuſum 1567.

5. Theodorus Euroteles.

THEODORVS *Euroteles, natus eſt in pago Friſiæ dicto Oeſterendt, qui eſt in Territorio Hennaerderadeleo: Voluit enim per nominis interpretationem Euroteles dici, cum Oeſterendius dici poſſet: Hic diuerſis locis ſcholas Triuiales rexit, cum ingenti diſcipulorum & frequentia & fructu: Primum Harlemi in Hollandia, deinde & Bolſuerdiæ in Friſia & alibi: Multa ſcripſiſſe dicitur, ſed quæ nos hactenus excuſa cognouimus hæc ſunt:*

Iudicium paridis ſuper tribus de aureo malo litigantibus Deabus è Luciano in modum Tragœdiæ luſum. Excudit Iſbrandus Terſtege Leouardiæ anno Chr. 1574.

Idem

Anno Chriſti.

Idem deſcripſit Carmine Elegiaco Horrendum illũ Cataclyſmum, qui Friſiam afflixit Calendis Nouembribus anno 1573. excudit Lithocomi: Floruit Auctor anno 1573.

6. Andreas Gryphius.

ANdreas Gryphius, cum in iuuentute ſua literis humanioribus non infeliciter excultus eſſet, animuſque illi ad rem bellicam propenderet, militiæ tirocinium ſub Carolo Quinto fecit: Itaque in eius expeditione ad Algieram fuit, in qua ſic ſe geſſit vt nobilitatis inſignia illi in præmium virtutis Imperator conferret: Ornauit eum etiam Imperator iuriſdictione Territorij Vtingerani, quam per multos annos ſumma cum æquitatis laude adminiſtrauit: Tandem ſubortis in Friſia ſacris factionibus, varia fortuna iactatus, tandem ſuum diem obijt circa annum 1574. Collegit tum ex obſeruatione propria, tum ex aliorum ſuggeſtione, tũ etiam ex authorum lectione prognoſtica ruſtica non inepta, quibus & tempeſtates & aliæ calamitates præuideri poſſent quæ hominibus diuerſis temporum reuolutionibus accidere ſolent: Quæ cum aliquando mihi in Borna domi ſuæ exhiberet, editurum ſe in lucem promittebat. Quod tamen an factum ſit equidem non ſcio: tranſmiſit autem vſibus meis ad ſubſidiũ hiſtoriæ meæ multa antiquitatum monumenta egregia, & in his etiam reliquias Cappidi Staurienſis: Quæ mihi plurimũ adiumenti attulerunt, vt hoc nomine illi gratias immortales debeam. Filium habuit vnum Vſconem Gryphium, qui à parentibus liberaliter educatus, & adhibitis bonis Præceptoribus feliciter inſtitutus eſt primũ in Borna, deinde Leouardiæ. Vbi Triuialibus expolitus

Louanium

Louanium ſe contulit, & Iuri Ciuili operam dedit: Sed cum eſſet non ſatis expeditæ linguæ magis illi ſemper Theoria quam praxis iuris placuit: In patriam reuerſus in ædibus parentum ſe modeſtiſſimè continuit, & patrem ſuis collationibus iucundiſſimè refecit: Cumq; pater à factioſis captus & in vincula coniectus eſſet, pius filius vltro ſe loco patris obſidem obtulit, donec pater Lytron ſuum, quod ab eo poſtulabatur inferret ac ſolueret: Ingruentibus tandem per vniuerſum belgium motibus grauioribus cum in patria eſſe non poſſet aliquam diu caſtra Regia ſecutus eſt, ac tandem in eo prælio, quod in deſerto Mokenſi commiſſum eſt periit non quidem ex vulnere aliquo ſed mera ſiti ſuffocatus, quod aliis ibidem eius commilitonibus accidit: Scripſit hic Heroico carmine (quo multum valebat) hiſtoriam expeditionis ſuæ quam diu in caſtris fuiſſet, quam quidem non iniucundam lectu fuiſſe, à fide dignis accepimus: Editum tamen in lucem eſſe hactenus non audiuimus, non deſunt qui aſſerant opus hoc paulò ante mortem auctoris à Proteruo quodam commilitone eius in ignem coniectum conflagraſſe.

Anno Chriſti.

7. Fredericus ſiue Feico Viærra.

FRedericus ſiue Feico Viærra honeſtiſſimis parentibus natus eſt in pago Viera, qui eſt in Territorio Menaldumano prope Bellocomum, vnde & Viærra dici voluit: Hic ſingulari ingenio præditus fuit: Et cum in quouis diſciplinarum genere poſſet quantum vellet, in Muſicis, tantum excellere ſtuduit. Itaque in teſtitudine præcipuè emicuit, in qua & cantiones aliquot diuerſarum vocum compoſuit elegantes, quæ Louanii & alibi excuſæ: Carminum etiam ſyluam ab eo

compo-

Anno Chriſti. compoſitã Louanij vidimus, ſed an ea ſit excuſa typis compertum non habemus: Venam certè habuit in fundendo carmine facilem ac fluendam, & quæ ſalibus oportunis non careret: Louanij optimam ætatis ſuæ partem contriuit: Galliam tamen & Germaniam videndi potiſsimum gratia peragrauit: Aegrè tandem in patriam reductus ad pollitícas actiones, quas ſemper fugerat, non ſine felici ſucceſſu ſe accommodauit: Mortuus eſt in patria, vt accepimus, circa annum Chriſti 1574. Cum nos relicta Erphordia ad Cardinalem Granuellanum acciti Veniſſemus anno 1562. Ille nos Louanij Acroſtichide ſalutauit quam in memoriam eius hic ſubijciemus: Cum paulo melius vitæ noſtræ curſum indicet, quam Henricus Pantaleo in Proſopographia ſua.

M. SVFFRIDO PETRO
ſuo Frederic. Viæra
Friſius.

SERTA Comis hederæ Phœbeiaq; laurea cedat,
Vatibus hic ſacris ſemper habetur honos:
Friſia quem genuit fœlici vberrima partu,
Friſia Doctorum fertilis illa parens:
Rara dedit iuueni creſcenti munera Phœbus,
Ingenij ſtudijs hinc tamen auxit opes
Doctus erat, docuit iuuenili ætate iuuentam.
Virtutem ſumma relligione fouens:
Suſcipit hinc vlnis Academia Belgica paſsis
Per varium Sophiæ ducere ſueta genus.

Et

Et Thuringorum precibus commota potentum
    Teuthonicis poſthæc mittit ad arua ſoli: Anno Chriſti.
Reſtituit quibus ille ſuo prope cuncta nitori
    Vindice dans linguis arte duabus opem.
Sed mox hac cecidit ſpe, dudũ Erphordia fœlix,
    Fata negant longa proſperitate frui:
Rurſus enim patrias reuocatur Petrus ad oras
    Inq; Aulam ambigua conditione venit:
Sed nimius candor, ſed mens quoque neſcia fraudum
    In tali haud patitur viuere poſſe loco:
Vita Viro tranquilla placet ſtudijſq; dicata:
    Suſpicit hanc ſapiens, hanc fouet ipſe Deus.

8, Vilhelmus Canterus.

SI quis abſolutum ſpecimen deſideret hominis ſtudioſi, & eius qui literis promouendis totuus ſe conſecrarit, in Gulielmo Cantero ad amuſsim expreſſum reperiat. Quem inter Scriptores Friſios merito nobis recenſendum arbitramur, cum parentes eius partim Leouardienſes partim Grunngani fuerunt, ipſeq; Vltraiecti natus ſit: Vt enim Leouardiam & Gruningam hodie in Friſia eſſe nemo dubitat, ita etiam Vltraiectum olim Regum noſtrorum tempore portionem Friſiæ fuiſſe certiſsimum eſt. Nec illud quiſquam negauerit, Leouardienſes omnes & Gruninganos Vltraiectinis eſſe conterraneos, ſi communem his Vltraiecti poſitam Diœceſios Archiepiſcopalis ſedem conſideres. Quo accedit quod Cantero non modo fundi auiti prope Leouardiam hactenus integri ſint, ſed & in eadem ciuitate complures ſuperſtites ſint, qui illi ſanguine iuncti ſunt, ipſeque demum illic ſedem figere conſtituerit, ſi modo vita ſupeſſet.

Anno Chri-
ſti.

Vt igitur & expeditius originem huiuſce Viri explicemus, illud inprimis eſt ſciendem, Cant. familias duas, eaſdemq; non modo diuerſæ gentis, ſed etiam diuerſæ nationis eſſe, quarum altera Leouardiæ quæ Occidentalis Friſiæ Metropolis eſt altera Gruningæ velut indigena, vtraq; autem apud ſuos tum vetuſtiſſima tū honeſtiſſima agnoſcitur: Vtramque tamen ex vna eademq; Origine olim fluxiſſe, eiuſq; originis radices in Occidentali Friſia primum pullulaſſe, Genealogia ſatis alte repetita nobis præſentibus hic præſens aliquando declarauit p.m. clar. Vir ac Dom. Doctor Rembertus Dodonæus. De quo alias commodius dicemus.

Ex Gruningana illa familia Canteros aliquot, ob ſingularem eruditionem miraculi inſtar celebrauit Eraſmus Roterodamus. Fuitq; nuper vir præſtantiſſimus & Senatorij ordinis in ciuitate Gruningana Ioannes Canterus. Et nobis adoleſcentibus ante triginta annos Louanij familiaris fuit, egregius tum iuuenis & re lauta Ioachimus Cāterus, & ſuperſunt ſummæ ſpei Liberi ſui.

Ex Leouardiana familia originem duxit hic noſter. Cuius vt Agnati, ita Cognati illic tum ob auitam tum ob ſuam integritatem atque prudentiam omnibus hodie noti ſunt ac venerabiles: Extant enim Leouardiæ, vt plurima, ita etiam ſplendidiſſima monumenta, quæ non minus diuturnitate temporis antiquitatem, quam actorum præſtantia excellentiam illorum declarant. Vtpote, qui gerendis magiſtratibus ſtudium Ciuilis iuſtitiæ, Dotandis Eccleſiis curam Religionis Chriſtianæ erigendis Orphanotrophijs & Xenodochijs ſollicitudinem pauperum iuuandorum, cum primis habuiſſ-

publi-

publicis annalibus memorantur. Quare & merita illorũ, & inſtituti noſtri ratio flagitat, vt Genealogiã eius paucis hic deducamus. Ex qua intelligi poßit, qua dignitate, quo ſplendore eius Agnati & Cognati tum Leouardiæ tum Gruningæ, tum Vltraiecti fuerint. Anno Chriſti.

Et quod quidem ad paternam eius proſapiam attinet, ipſe Guilielmus patrem ſuum Lambertum, Auũ Vilhelmum Canterum nominat, Rembertus Dodonæus proauum ei Lambertum tribuit, eiuſq; vxorem Vithã nominat ac filiã fuiſſe aſſerit clariß. viri Ioannis ab Aucama, cui Pater fuit V.I. conſultißimus Petrus ab Aucama, ille qui Leouardienſem ciuitatem primus vallo cinxit, & eandem Senior aliquandiu gubernauit: Ideoque ne eadem ſæpius inculcemus qui proſapiam cognatorum Canteri cognoſcere velit quæ frequens hodie & ſplendida Leouardiæ eſt, videat eam ſupra in Petro Aucamano: Dec. 9. capite. 1.

Ex Agnatis Canteri noſtri, vixit memoria mea vir præſtantißimus Iacobus Canterus qui Conſul vrbis Leouardienſis aliquandiu fuit, reliquitq; filios tres, Albertum qui ſine liberis deceßit, D. Iacobum Sacerdotem ad S. Vitum in aula veteri virum integræ vitæ, & Franciſcum, qui Conſul vrbis Leouardienſis aliquandiu fuit, ex quo cũ liberi ſuperſtites non ſunt, ſatis apparet, quam nõ ſint ſtabiles ac perpetuæ res humanæ.

Vilhelmus igitur Canterus Lamberti pater, poſtquam ad virilem ætatem perueniſſet, ſecutus commoditatem ſuam, relicta Leouardia, Gruningam ſe contulit Vilhelmus Canterus.

Anno Christi.

contulit: Eſt autem Gruninga caput Gruningiæ, hoc
eſt, peculiaris ditionis ſuæ: Quæ tamenſi pars Friſiæ
ſit, inter Occidentalem & Orientalem Friſiam inter
iecta, ſuis limitibus tamen, hoc eſt, amnſi & lauica, v-
trimque terminata eſt: hic ille ducta vxore ſedes fi-
xit, & cum vir eſſet eruditus ac prudens in Senatum
cooptatus, illam Rempub. aliquamdiu ſumma cum
laude gubernauit, ac tandem cooperante potiſſimum
ipſi Toparcha Friſiæ, viro fortiſſimo generoſiſſimoq́;
Barone de Tautenburgh, Domino Georgio Schenck,
ſaluberrimis conſilijs ciues ſuos eo induxit, vt Grunin
ningam Gruningiamq́; ſuam Carolo Quinto ſubmit-
terent, quod & factum eſt anno 1536. Porrò autem
cum Gulielmo Cantero vndecim liberi ex vxore na-
ti eſſent, vnus duntaxat filius Lambertus, defunctis
reliquis hæres parentibus ſuperſtes fuit. Cuius vitam
qui plenius cognoſcere deſiderabunt, ex cap. 26. libri
ſecundi Nouarum lectionum Gulielmi Canteri noſtri
petent, vbi parentis optimè meriti filius gratus ex pro
feſſo memoriam celebrauit. Lambertus igitur Can-
terus, poſtquam abſoluto ſtudiorum curſu vtriuſq́;
Iuris Lauream conſecutus, in patriam rediſſet, à Ca
rolo Quinto in ſenatum Curiæ Vltraiectinæ allectus
eſt, quod accidit circa annum 1540. Quo tempore Se
natui illic præſidebat, ni fallor, Vir clariſſimus D. M.
Martinus Nardenus, is qui non multo poſt iſtinc tranſ
latus, & Gruninganæ ditionis Vicepræfectus conſti-
tutus, Succeſſorem Vltraiecti habuit Dominum He-
ctorem Hoxuirium Friſium: Mouerat autem Carol.
V. vt id faceret, non modo virtus & eruditio Lamber.
ſed & recordatio accepti beneficij, quod tum Pater,
tum

Lambertus Canterus.

tum Auunculus magnus illius Pet., ab Aucama Io. filius in rebus Gruning. atq; Friſ. cõponendis. vt dictum eſt, in illum nuper contulerant. Nihil enim Carolo Quinto antiquius eſſe ſolet, quam eos rebus gerendis præficere, quorum maioribus officij præſtiti nomine ſe obſtrictum agnoſcebat, modò eos ab illorum induſtria non degenerare comperiſſet: Porrò autem Lambertus ea dignitate auctus, fixis Vltraiecti ſedibus, haud multo poſt matrimonium contraxit, ducta in vxorem honeſtiſſima virgine Ioanna, filia ampliſſimi viri Domini Theodorici de VVyck. Cuius maiores familiæ ſplendore nobiliſſimi rerum affluentia potentiſſimi, eruditione atque ſapientia cum primis admirandi, maximæ ſemper in Repub. Vltraiectina fuerunt authoritatis, ac temporibus tam aduerſis quam proſperis, re atq; conſilio tum publicè tum priuatim Ciuibus ſuis promtiſſimè adfuerunt: Nati ſunt Lamberto Cantero ex hac vxore libri tres: Gulielmus de quo hic dicturi ſumus, item Theodorus & Ioanna puella. Natus eſt Gulielmus Canterus anno Domini 1542. vigeſima quarta iulij, quæ dies Lunæ fuit, intra decimam & vndecimam horam antemeridianam. Hic autem quo ſtudio futurus eſſet, ſtatim à natiuitate ſua præſagio nequaquam ambiguo declarauit, vtpote qui dum infans adhuc in ſinu nutricis hæreret, nulla re magis delectaretur quam libris: Et ſi quando in vagitum ſolutus eſſet, nullo ſolatio citiùs, quam libri alicuius oblatione placari poſſet, libroſque dum contrectare atque voluere concederetur, facile omnis incommodi atque moleſtiæ obliuiſceretur: Parens vt

Anno Chriſti.

Gulielmus Canterus.

Preſagium ex indole puerili.

Anno Chriſti.

vir prudens, hinc eam de filio coniecturam ſumpſit, quod is ad egregiam eruditionem peruenturus, & inſigne rei literariæ columen aliquando futurus eſſet: de Pindaro, de Platone, de Virgilio de alijs nonnullis eruditis admiranda quædam præſagia futuræ præſtantiæ commemorant hiſtoriæ veterum Ethnicorum, illud propius ad noſtrum hunc accedit, quod de D. Athanaſio refert Eccleſiaſtica hiſtoria, quæ author eſt, hunc à teneris ſtatim vnguiculis, dum inter æquales ſuos puer luſitaret, Eccleſiaſticis officijs præcipuè fungi delectatũ: Eaq; ex re, Alexandrinæ ſedis Epiſcopum ducta coniectura fore aliquando hunc inſignem Chriſtianæ gregis Paſtorem, dediſſe operam vt à puero ſtatim Sacris literis per Doctores Orthodoxos fideliter inſtitueretur: Eodem igitur modo etiã Lambertus Canterus, quod bonum parentem decuit, in filio proſpexit, vt agro ferociſsimo debitus adhiberetur cultus: Neque enim, vt vulgò ferè mos eſt, in ſeptimum vſq; annum inſtitutione dilata indulgentia muliebri puerum corrumpi paſſus eſt, ſed ab ipſis mox incunabilis, vna cum ipſo lacte inſtillari voluit, quæ ad præſentem captum idonea, ad futurum profectum neceſſaria eſſe iudicabat: Itaque non modo pædagogum atque cuſtodem diligentem puero, mox adhibuit, ſed et ipſe quoque pædagogi atque præceptoris officio functus quoad in viuis fuit, intra ſepta familiæ ſuæ doctrinam diſciplinamq; præſtitit. Interim vero cum primum per ætatem, & corpuſculi vires licuit, hoc eſt anno Domini 1548. poſt Paſcha anno ætatis ſuæ ſexto nondum completo, ad ſcholas publicas eum deduci voluit: vt & frequentiæ aſſueſceret, & æqua-

Inſtitutio Canteri.

qualium æmulatione in maius ac melius proficeret. Anno Chriſti.
Præfuit ea tempeſtate ſcholæ Vltraiectinæ vir doctiſſimus & formandæ iuuentutis longè peritiſſimus, ſcriptiſq; ſuis, vt multis, ita etiam præclaris celeberrimus Georgius Macropedius: Quo Præceptore, tametſi ego Canterum noſtrum ob, ætatem ſuam & illius mortem, haud multo poſtea ſubſecutam, non magnopere vſum putem, tamen & hoc ipſum quantulum fuit profuit, & ipſa hoc Rectore instituta diſciplina, tuentibus deinceps Hypodidaſculis eius & ſucceſſoribus plurimum adiumenti, ad eruditionis incrementum tulit: Iactis igitur hic fideliter vtriuſque linguæ fundamentis anno 1554. mox à Ferijs Paſchalibus agens annum ætatis duodecimum, cum parens nō multo, ante in fata cōceſſiſſet, ad capiendū ampliorem ingenij cultum Louanium miſſus eſt: Ibi cum eruditiſſimo viro Cornelio Valerio Vltraiectino linguæ Latinæ profeſſori celeberrimo in diſciplinam datus eſſet, eiuſq; lateri primum per quatuor integros annos in ædibus viri V. I. Conſultiſſimi Domini Doctoris Lamberti Harij Vltraiectini adhæſiſſet, ac poſtea in collegio etiam Buſlidiano aliquandiu adfuiſſet, ſummam excolendi ingenij occaſionem nactus fuit: Habebat enim in priore illo hoſpitio ipſum hoſpitem, virum praſtantiſſimum, habebat in altero præter ipſum collegij iſtius Præſidem, virum vndiquaque doctiſſimum trium linguarum profeſſores publicos, cum quibus illi tum domus tum menſa communis eſſet, ita vt horum non modo exemplis exuſcitari ad virtutem, ſed etiam collationibus in literis inſtitui quotidie poſſet. Habebat vtrobique præterea contubernium plurimorum

Canterus præceptore vſus Cornelio Valerio Vltraiectino.

Cōturbernales Canteri.

 rimorum

Anno Chriſti,

rimorum ſelectiſsimorum adoleſcentum, quorum opera mutua æmulationem, æmulatio alacritatem in ſtudijs proſequendis accenderet. Habebat deniq; præceptorē illum ſingularē erudiendæ iuuentutis artificem, cuius ductū tuto ſequeretur. Qui quantum in hac palæſtra valeret, multis annis publicè priuatimq; ſummo cum rei literariæ commodo, nec minori Louanienſis vniuerſitatis ornamento tum ſcriptis tum viua voce declarauit: Vtpote cuius ſcripta, quæ in omnes Philoſophiæ partes publicata extant, ob eruditam cōmoditatem omnibus ferè in ſcholis iuuentuti prælegātur, viuæ tamen vocis ea præ his energia, ea vis erat, vt ꝙ Ariſtoteles de ſe ad Alexandrum ſcripſiſſe fertur, de hoc Auct. veriſsimè dici poſsit, eum demū Cor. Valerij ſcripta rectè intellexiſſe, qui ipſum hæc viua voce tradentem audiuiſſet: Quantum igitur Canterus hoc tēporis curriculo hic profecerit, non tam indefatigabili eius ſtudio, quam euentu ipſo declaratum eſt, cum & latinè & græcè ſcribendi facultate, & non ſolum Dialecticorum & Rethorum præceptis, verùm etiam eorum vſu & exercitatione & totius Philoſophiæ rudimentis fideliſsimè inſtructus fuerit: Cum iam in omni ferè ſcriptionis genere verſatus eſſet, & modo latinas & græcas epiſtolas ſingulis hebdomadibus nō infeliciter ſcripſiſſet, modo Græcos ſcriptores interpretatus, Poetas carmine, Oratores & Hiſtoricos oratione ſoluta reddidiſſet, interdū etiā Cœmedias nō omnino cōtemnendas compoſuiſſet, aliaq; præſtitiſſet, quæ abſolutæ iam eruditionis argumenta nequaquā dubia præberent. Quæ omnia recognoſcens preceptor diligens admirabatur ingenij ad quiduis apti felicitatem & in ſcribendo induſtriam: Quamuis igitur vt

Profectus Canteri.

Exercitia Canteri.

equo illo Troiano rei bellicæ, ita ex huius viri ſinu rei literariæ principes infiniti prodierint, ſe tamen horũ omnium neminem vnquam tanto amore fuiſſe proſecutum atq; hunc Canterum; ipſe non modo ſcriptis publicis profiteri dignatus eſt, ſed etiam quoad ille in viuis fuit, re ipſa comprobauit: Ex ſingulari enim illo ingenio & continenti ſtudio adoleſcentis, vir prudentiſsimus facile collegit ex hoc diſcipulo, vberrimos laborum ſuorum fructus ad Rempub. literariam eſſe redundaturos, neq; difficulter ex promptiſsima illa eius erga ſe obſeruantia proſpexit, dignum fore illum, quẽ amore tanto proſequeretur: In quorum etiam neutro eum ſua fuiſſe expectatione fruſtratum, euentus luculentiſsime declarauit, cum ille & tantus in re literaria euaſerit, quãtum fuiſſe doctiſsima ipſius ſcripta teſtantur, & eo amore illum ad extremum vſq; ſpiritum viciſsim proſecutus ſit, quo Præceptorem optimè meritum diſcipulus gratus debet. Cum igitur ille adoleſcentem ad Græcanicæ magis, quam ad latinæ literaturæ ſtudium ſuapte natura propenſum animaduerteret, inſtarentq; amici, vt in Galliã mitteretur, quo interim dũ ſtudia abſoluit, aliud agens, etiam Regionis eius & nationis & linguæ cognitionẽ ſibi compararet, auctor illi fuit vt Lutetiam proficiſceretur, ac Regio Græcarũ literarum profeſſori, viro longè doctiſsimo, Io. Aurato ſe applicaret, quo maior eſſet opportunitas promouẽdæ naturæ in q ipſa procliuis erat: Cui cõſilio cũ ipſe libenter obtẽperaſſet natus iã annos 16. anno D. 1559. in Gallias profectus eſt. Ad Auratũ tamẽ nõ venit ante ij die Octob. inſequẽtis anni, apud quẽ porrò gratiſsimus hoſpes vixit vſq; ad mẽſem Au-

Anno Chriſti.

Beneuolẽ Præceptoris erga diſcipulum.

Canterus ad Græcas literas magis propenſus.

Canterus Ioanni Aurato Pariſiis ſe applicat.

Anno Chriſti. guſtū anni 1562. Quo tempore motibus quibuſdam ibi coortis, verſari diutius non ſatis tutum videbatur. Interea igitur temporis, cum apud hunc & audiendo & conferendo plurimum profeciſſet, etiam alios aliarum facultatum profeſſores cognoſcere, & accreſcēte vna cum ætate etiam eruditione atque iudicio, ſua quoq; in medium proferre, ac tandem cum eruditis in arenam deſcendere cepit: Hoc modo confirmatus, cum omnes conatus ſuos ad rei literariæ emolumentū conferre decreuiſſet, Germaniam atq; Italiam ſibi perluſtrandam iudicauit, non modo vt eruditos ibi viſitaret, & populares linguas perdiſceret, ipſaſq; Regiones cognoſceret, ſed etiam vt veterum Authorum, Græcorum potiſſimum, ſcripta conquireret, quibus in lucē eruendis, & ab interitu vindicandis ad publicam Eccleſiæ vtilitatem momenti plurimum ſe allaturum arbitaretur. Relicta igitur eo conſilio Lutetia, cum eruditorum quorundam gratia, quorum fama excitus erat, aliquot vniuerſitates Galliæ luſtraſſet, in patriam reuerſus ea, comparauit, quæ ad propoſitā peregrinationem neceſſaria videbantur. Inter Italiæ vniuerſitates Bononiam potiſſimum coluit & Patauium, Venetias etiam videre placuit, non modo ob maieſtatem vrbis ipſius, & Reipub. celebritatem, verum etiam, quod ibi, vt omnium rerum, ita etiā Græcorum Codicum mercimonia eſſe intelligeret. Græcis compluribus, non ſolum omnis generis opera veterum Scriptorum ex patria iſtuc vœnum importantibus, ſed & eo etiam opificio vitā ſuſtentantibus, quo maiorum ſuorum ſcripta quæſtus gratia deſcribunt ac vendunt: Quo loci ea tempeſtate ſe forte fortuna appuliſſe

Peregrinatio Canteri.

liſſe mihi aliquando retulit, quæ defuncti illic viri cla-riſsimi Diegi Hurtadi celeberrima illa Bibliotheca di-diſtraheretur, ex qua tamen an ille quicquam fuerit conſecutus, equidem non ſatis commemini: Romam inde cogitauerat. Sed quo minus iter iam ſuſceptum perficeret, æſtus, cuius fuit impatientiſsimus, impediuit: Iſtinc igitur ita repulſus, in Germaniam ſe contulit, & Baſiliæ tẽpore ſatis diuturno verſatus eſt, & cõtubernale habuit ampliſsimum virum ac celeberrimũ medicum Dominum Doctorem Henricum Butterũ, vbi & primos ni fallor ingenij ſui fœtus in lucem edidit: Iſtinc tandem reuerſus per continuos fere octo annos Louanij verſatus eſt: Quo tempore vt pro arbitrio ſuo rationem vitæ commodius inſtitueret, apud commodum aliquem hoſpitem propria quadra potiſsimũ vixit. Dicere enim ſolet, Platonem quidem in medijs Siciliæ delicijs continentiam potuiſſe tueri ſuam, ſed tamen & conſuetudine Dionyſij minime delectatum, & moribus Ariſtippi grauiter offenſum; & vtriſq; viciſsim fuiſſe inuiſum, nec vſquam proinde commodius egiſſe, quam in Academia ſua: Illud enim quod veteri prouerbio dicitur, aut bibat aut abeat, vni uique documento eſſe debere, vt ſolus potius agat, quã eiuſmodi conſortio ſe applicet, à cuius moribus, mores ſui diſcrepent: Quamquam igitur adoleſcentibus, qui ſtudiorum gratia illic verſantur: nihil magis ex vſu ſit, quã vt vel in collegio aliquo celebri, vel apud eruditũ aliquem inſignem annuum victum emant, vbi diſciplina bene conſtituta, præceptoris doctrina & exemplis, vt & æqualium inter ſe æmulatione, tum in literis, tum in moribus erudiantur, tamen id Cantero

Anno Chriſti.

Canterus Louaniũ redit.

Dieta Canteri.

Anno Chriſti.

omnibus virtutibus ac literis iam conſummato conuenire non poterat. Et proinde nec præceptori ipſi cui præter ſententiam ſuam adoleſcentum gratia ſæpe multa ſimulanda, multa diſsimulanda ſunt, hoſpes congruus, neq; adoleſcentibus, quibus pro ætatis, indolis, ac profectus ratione multa indulgenda, multa deneganda ſunt, contubernalis idoneus eſſe potuit. Fouere autem familiam propriam & eius gratia ibi priuatim domum conducere ſupellectilem comparare, famulitium aſciſcere, vt ad rem familiarem minus vtile ei futurum erat, qui diu hic non hærere propoſuerat, ita etiam propter adnexas curas atq; moleſtias conatibus eius impedimentum allaturum erat haudquaquam tolerabile: Cum igitur & inutiles ſumptus reſecare, & curis ac moleſtijs quoad poſſet, extricare ſe cuperet, vt ſtudijs ſuis otium ſuppeteret quam profundiſsimum, cubicula ſuis vſibus, quot ſuffectura videbantur, apud virum aliquem honeſtum loco oportuno conducebat, eo pacto, vt huius non modo miniſtris, ſed etiam ſuppellectili ad eam ſui curam vteretur, quam diurnæ vitæ neceſsitas flagitaret. His enim cum ex mādato diu ſui incūberet, vt huic ſingulis diebus miniſteria diurna præſtarent, ſingulis hebdomadibus expenſorum rationem redderent, confecta res omnis fuit, negligētia interim, perfidia, & ſi qua alia peruerſitas eorum emergeret, non Canteri ſed hoſpitis periculo ſtabat, His ita conſtitutis, diætam ſibi ipſe præcripſerat, quam & naturæ ſuæ conuenientiſsimam, & ſtudijs ſuis quam maximè congruam fore exiſtimabat: victus enim erat, vt à ſordibus, ita etiam à delicijs alieniſsimus, & qui

& qui non ad luxum, ſed ad valetudinem ſuſtentandam comparatus eſſet: Volebat enim edere vt viueret, non autem, quod pleriq; ſolent, viuere, vt ederet: Mane autem fere ad ſeptimam vſq; horam ſomno reficiebat vires, quod ſibi matutina ſtudia minus conuenire diceret. Deinde cum hinc ad medium fere vndecimæ alacri animo ſtudijs incubuiſſet, ex muſeo ſuo prodiens, vel in hortum, vel ſi aura id vetaret, in commodiorem aliquem locum ſe recipiebat, ibiq; ad horæ ferme ſpatium inambulando obſoniabat famem, ſimulq; ruminabat, quæ illo die legiſſet. Quo facto cum interea temporis per miniſteria intus parata eſſent, quæ ad menſam pertinebant, parabili cibo prandebat largiter. Quo finito reuerſus vnde venerat, vel alio digreſſus quo malebat, vel inambulabat per horam leniter, vel ſi commodus aliquis obtigiſſet congerro, ſuauiter confabulabatur, hinc ſe in muſæum recipiens & in hemicyclio reſidens dormiebat horam vnam, experrectuſq; alacris ad ſtudia reuertebatur, quibus cum ad ſolis fere occaſum hybernis, ad horam ſeptimam æſtiuis temporibus continuo inhæſiſſet, relicto muſeo progreſſus foras inambulando quoad ſatis erat, ſeſe recolligebat, interimq; ne quid temporis abſq; fructu elaberetur, vel negotium aliquod expediebat, vel amicum aliquem officij cauſſa inuiſebat: Domum reuerſus tam æſtate, quam hyeme accenſo lumine in mediam vſq; noctem eas horas protrahebat, quas ſuperuacuas & minus vtiles ipſe appellare ſolet. His enim nihil ordinariũ agitare cõſueuerat: ſed ſiquid vel ad poſtridiã

Anno Chriſti.

penſi

Anno Chriſti. penſi abſolutionem inueſtigandum, conferendum, diſcutiendum, adnotandum eſſet, vel ſi quid extra diurnum penſum de improuiſo obiectum fuiſſet, puta ſi literis acceptis reſpondendum, ſi petitionibus amicorum gratificandum, ſi quid huius generis aliud agendum eſſet, id quicquid eſſet, in has horas ſimul conijciebat, quo abſoluto exacti diei ratioes à ſe ipſe repoſcebat, ijſq; diligenter ad calculum reuocatis fuſiſq; precibus lectum petens, Deo optimo maximo ſe commendabat. Omnes autem actiones ſuas tam ſtrictè ad clepſydram reuocauerat, adeoq; certis ac ſtatutis temporum interuallis alligârat, vt ne ipſa quidem natura alijs, quam ſibi deſtinatis neceſſitatem ſuam flagiteret: Cœnam nunquam capiebat, aut ſi adeo appetitum ſenſiſſet, bolum pauis vnum aut alterum addito vini cyatho corroboranda natura ſumebat, quod ego tamen ab eo rariſſimè factum memini: Erunt fortaſſe quibus hæc diæta minus ad medicorũ præſcripta quadare videbitur, ſed cum nobis, nõ quid agendum fuerit, ſed quid actum ſit, bona fide referre propoſitum ſit, non diſſimulamus extitiſſe etiam, qui hac de re cũ viuente aliquoties egerint, & planè illi auctores fuerint, vt de ſummo illo rigore non nihil remitteret, cum prorſus videretur inconueniens, vt vnico prandio contentus viueret, corpore præſertim tã vaſto atque robuſto, qui & in frigidioribus his ad Septentrionalem Regionibus natus, & à puero longè aliter educatus eſſet: Quibus ille reſpondebat, non omnibus eadem conuenire, ſe autem non temere hãc viam ingreſſum eſſe; ſed cum diuerſis experimentis eam ſibi commodiſſimam depræhendiſſet, conſulto de

incepe

ceps eſſe ſecuturum, ſibi primam eſſe curam paſcendi animi, corpori tum ſatis eſſe, cum nullo indigeret, naturam paucis eſſe contentam, conſuetudinem autem alteram eſſeq; naturam, ſeque rem eam in naturam iam conſuetudine ipſa ſic vertiſſe, vt ſine præſenti vitæ periculo ſe alium viuendi modum poſſe ſuſcipere proſſus diffideret. Interim verò vultus ipſe orationi eius ſuffragabatur, totuſqúe corporis habitus teſtabatur, valetudinem eſſe ſolidam, cum in mēbris omnibus vigor, in cute natiuus color eſſet, pallor ille ac macies, quibus ſtudioſi plerumque notabiles eſſe ſolent, in illo nuſquam apparerent, quin ipſe non multo antea, quam vita defungeretur amicis quibuſdam retulit ſe nouem continuis annis morbum non ſenſiſſe. Agebat autem & valetudinis curam diligentem, non modo obſeruata hac diæta ſua, ſed & corpore purgando bis in anno, primum ineunte Vere, deinde ſub Autumnum. Luxum omnem canepeius et angui oderat, eamque ipſam reddebat cauſam, quod nec ipſe conuiuas vnquam inuitaret, nec alio vocatus vnquam conuiua iret, cum vrgere cibo potuq́; aut vrgeri vt robique neceſſe eſſet: Domeſtica eius conſuetudo hoſpiti ſuo, eiuſque familiæ non modo non grauis aut moleſta, ſed etiam perquam ſuauis ac iucunda erat. Erat enim longè diſſimilis iſtis, quibus nihil vnquam ſatis eſt, neq; hoſpites ſui quantumuis honeſti, alio, quam ſeruorum loco ſunt. Ille enim cum in ſingulas hebdomadas ſemel præſcriberet, quid quoque die ſibi ad menſam comparari vellet, elapſisq; hebdomadis ſingulis expenſorum rationem acciperet exigua admodum eademque in diem ſtata erant miniſteria

Anno Chriſti.

Canterus valetudinē curat.

Cāteri modeſtia.

Anno Chriſti.

ſteria, quæ illi præſtanda per familiam hoſpitis erãt: Quibus ille quamuis ex pacto debitis, libenter tamẽ præcidebat, ſi quid operis ad præſtandum forte grauius eſſe intellexeſſet. Quod reliquum erat qui totũ diem in muſeo ſuo tranſigeret, nulli importunus, nulli impedimento fuit, alunde etiã eius cauſa moleſtiæ, ſi quæ adeo, leuiſsimæ tamen acceſſerunt: nam quod ipſe de parente ſuo ſcripſit parentesq́; noſtri nobis de auo eius cõmemorarunt plane patrium illi atq́; auitũ m fuit, vt amicitias paucorũ expeteret. Erant igitur q̃ hoſpitiũ eius frequẽtabant nõ modo numero pauci, ſed etiã moribus tales, vt eorũ aduẽtu hoſpiti gloria, nõ ignominia accederet, vtpote qui nõ ad bacchi, ſed ad Phœbi pocula cõuenirent. A conuiuijs enim & Comeſſationibus nemo vnquam illo magis alienus fuit. Ideoq́; & ipſe nullius acceſſu magis offendebatur, quam eius, qui temetum olere videbatur: Quanquã autẽ natura perquam Comis & affabilis eſſet, grauatim tamen ad colloquium quenquam admiſit, niſi ijs horis, quibus eum à muſeo ſuo abeſſe ſupra diximus, eosq́; interpellatores maximè auerſabatur, qui illius otio ad ſatietatem vſq́; abutebantur ſuam: Nã cum temporis eſſet parciſsimus diſpenſator, ſicut ipſe amicos ſuos conueniebat, ita & a ſuis viciſsim conueniri volebat, rarò ſcilicet ac paucis, idq́; tempore non importuno: Cum autẽ vitam ſuam vniuerſã ſic inſtiuiſſet, vt eam nõ immerito exattiſsimam philoſophiæ praxin appellare poſsis, non intra priuatos duntaxat parietes eius virtus ſe cõtinuit, ſed etiam foris omnib⁹ merito admiranda fuit, vtpote quẽ vt vxorẽ nunquam duxiſſe omnibus exploratum, ita vllius

Mores canteri.

vnquam

vnquam fœminæ conſuetudinem expetiuiſſe, nulli cō- Anno Chriſti.
pertū ſit, illud cūctis liquet, qui cum eo familiarius cō
uerſati ſunt, ab omni obſcœnitate ita eum abhorruiſ-
ſe, vt ſi cui, vel imprudēti fortè laſciuius aliquod ver
bum inter loquendum excidiſſet, pudiciſſimæ cuiuſdā
virginis inſtar, erubuerit; eaq; cauſa illo præſente ſer
mones eius generis de induſtria ſemper fuiſſe vitatos
ab his, quibus id conſtabat. Cum autem de patrimo-
nio ſuo viueret, ita rerum ſuarū rationem inſtituit,
vt reditibus annuis multū ſupereſſet: vnde factum eſt
vt pecunia ſemper abundaret. Ac ne cuiquam obſtri-
ctus libertatem amitteret aut quenquam fraudaret
ſuo, quicquid agendum erat, præſenti pecunia expe-
diebat, in ære nullius vnquam manſit, officium ſem-
per officio prōptiſſimò penſauit: Reditus eccleſiaſti-
cos, vt iis illicitos, qui altari nō ſeruiūt, cōſtantiſſimè
ſemper auerſatus eſt: Quin & muſas ſuas omnibus
gratuitus expoſuit. Cū neq; ex operū dedicationibus
vnquā munus vllum ſperauerit, neq; ſtipendium vllū
vel publicè vel priuatim literarum nomine acceperit,
etiamſi non ſemel tum à priuatis perſonis gratitudi-
nis ergò tum à bene fundatis ciuitatibus honoris
gratia oblatum illi eſſe conſtet. Docuiſſe autem eum
ex profeſſo vel publicè vnquam vel priuatim equidē
non memini: Ad publicas enim prælectiones, quas
ille libenter in gratiā ſtudiorum obiuiſſet vocem ſibi
non ſatis robuſtam eſſe cauſabatur, quæ illi ſub
miſsior ac lenior contigerat, quam pro ratione cor-
poris æquum videbatur: In priuatis verò ſe operæ-
pretium facere non poſſe arbitrabatur, quod exiſti-

maret, ſe

Anno Chri-ſti.

maret,ſe eodem temporis ſpatio rei literariæ plus ſcribendo, quam prælegendo commodare poſſe. Interim verò ſe conſulendum libenter omnibus præbebat, nihilque erat illi iucundius, quam conſuli à ſtudioſis, à quibus ille, tantum abeſt, vt aliquid muneris aut honorarij acciperet, vt libenter etiam neceßitatibus eorum de ſuo ſubuenerit, ſi quos ſubſidio dignos cognouiſſet: Erat enim in hoc totus, vt prodeſſet omnibus, noceret nemini: ideoq; non modo ſubmißè de ſe ſenſit ſemper, nunquam ſe alijs odioſè præpoſuit, ſed etiam libenter omnibus modis honeſtos aliorum conatus promouit: longißimè diſſentiens ab ijs, qui tantum detrahi putant gloriæ ſuæ, quantum aſtruitur alienæ: Illud hominum genus ferre nullo modo potuit, qui doctorum virorum fama traducenda, famam aucupantur ſuam, dum calumniandis horum ſcriptis id agunt, vt ipſi doctiores hiſce eſſe videantur. Quam continentis enim linguæ ipſe fuerit, ex eius ſcriptis abunde perſpicitur, in quibus cum ob argumentorum multiplicem varietatem infinitæ fuerint occaſiones, quibus & ſe extollere, & alios deprimere potuerit, vbique tamē ingenuum candorem tuitus, quid ſe deceret expendit: Nam qui ſuos conatus non aliò, quam ad vtilitatem Reipub. dirigebat, quod huic ex vſu erat, bona fide, quantum in ipſo erat, præſtitit, riſus, cachinnos, ſcommata, conuitia, illis relinquenda cenſuit, qui delectantur fricandis hulceribus alienis, ſcarabeis haud dißimiles, qui dum eo ſibi magnificè plaudunt, quod aquilas moleſtijs afficiant, originis obliuiſcuntur ſuæ, quam ex fimo, & maximè quidem aſinino ducunt. In priuatis colloquijs

quant

illi qui familiarius cum eo verſati ſunt. Quandoquidē ipſe non modo neminem vnquam odioſius vellicauit, aut traduxit, ſed et quoties id ſe præſente fieret, vel taxatum ſi poſſet honeſtè excuſauit, vel ſi non poſſet ſermonem odioſum alio de induſtria ſermone illato interrupit intercepitq́, & quantum quoquo tempore potuit omnium exiſtimationi adſtruxit. Ideoq; cum lecto iam decumberet præter hunc morem ſuum ſiniſterius de quibuſdam locutus deprehenderetur, nō obſcuram ob læſæ iam mētis & proinde ſecuturæ mortis coniecturam ijs præbuit, quibus id inſuetum erat: A ſuperbia verò & ambitione quam alienus fuerit, ex eo facile colligas, quod cùm V. I. eſſet peritiſſimus, gradum tamen ac titulos eius eo conſilio fuerit auerſatus, vt à politicis dignitatibus & honoribus excuſari commodius poſſet, quos tum propriæ, tum patriæ, tum etiam auitæ virtutis & eruditionis ergo in Regalibus Belgij prouincijs ſibi oblatum iri proſpicere non difficulter poterat, cum ſibi propoſitū eſſet priuatam vitā ducere ab omni faſtu ac pompa remotā: Hac igitur ratione cum ille vitam ſuam inſtituiſſet, animo tum curis & affectibus internis tum etiam moleſtijs externis liberato, non modo ſummam tranquillitatem, ſed etiam profundiſſimum otium ad ſtudia fouenda conſequebatur. Quæ quidem quo felicius proſequi poſſet, prima cura Bibliothecæ comparandæ fuit Nam quod Cæſar Antonius de ſe profiteri ſolet, id & Canterus etiam de ſe merito dicere poterat, nullam ſibi chariorem eſſe, quam librorum poſſeſſionem. Vt enim conſtat huic infanti, puero, adoleſcenti, iuueni, nihil charius fuiſſe libris, ita res ipſa docuit, viro nihil

Anno Chriſti.

Canterus Bibliothecæ ſtudioſus.

Anno Christi.

Inundatio Louanienſis Canteri libros corrupit.

accidere potuiſſe grauius, ea inundatione, quæ Louanij 8. Ianuarij anno 1573 aucto imbribus in immenſum Dilio, tum aliorum eruditorum complurium, tũ ipſius quoque Bibliothecam oppreſsit: Tum enim niſi vir doctiſsimus Dominus Haio Dominicus Organopœus Leouardienſis, tunc temporis Louanij eius hoſpes, maturè ſuccurriſſet, oportunamq́; eius libris explicandis, & deſiccandis operam nauaſſet, ille præ nimio animi mœrore haud dubiè contabuiſſet: Non erat autem illi in libris comparandis tanta multitudinis, quanta præſtantiæ cura, neque tam id ſpectabat, vt quam plurimos, quam, vt quam optimos conſequeretur: Delectu enim hic vtebatur diligenti, ad quem faciendum adhibebat non modo lectionis propriæ ſubſidium, ſed & vulgatas iſtas authorum Bibliothecas, quibus eruditum neminem carere poſſe dictitabat: His addebat omnium nundinarum Francofordienſium catalogos, quibus certior reddebatur, quid egregium aut lectu dignum vnoquoque ſemeſtri in lucem æderetur: Comparatis autem ad hunc modum libris neceſſarijs, quo expeditius & certiori ſpe, fructus in ſtudijs porrò verſari poſſet, in certas operas diem partibus erat, vt alijs ante meridiem, alijs à meridie tractandis incumberet, ne quod ex nimia illa continuatione tædium obreperet: atq; antemeridianum quidem tempus lectioni, pomeridianum vero ſcriptioni potiſsimum dare conſueuerat: Ad vtrumq́; inſtitutum ille ſolerti quadam prudentia ſe præparauerat: Ad authorum lectionem illud peculiariter inuẽtum erat vt non modo memoriæ gratia, locos communes in prõptu haberet, ſed & Iudicij cauſa Authorum ipſorum, quos

Ratio ſtudij Canteriani.

quos legeret, certas claſſes ratione temporum face-ret, vt æquales cum æqualibus legeret. Nam cum di-uerſis temporibus, diuerſa ſtudia, diuerſæ etiam lin-guæ fuerint, hanc authorum æqualitatem obſerua-tam non id modo ſibi præſtare aiebat, vt certa ratio-ne deprehenderet, quantum quoquo tempore res li-teraria, vel creuiſſet, vel decreuiſſet, ſeditiam, vt ſine errore Authori cuiq; reſtitueret quod ſuum eſſet: Nā cum ſingulis ætatibus ſuum quoddam fuerit Philoſo-phandi genus, quod & argumenti ipſius & tractandi ratione deprahēditur, ſuaq; peculiaris quædam phra ſis extiterit, quæ ex ſimplicibus vocibus, ex conſtru-ctionibus, ex ſententijs, ex parœmijs, ex figuris, ex tropis eluceſſit, æqualium Authorum collatione ſe fa-cilè ad intellectum locorum difficilium, & ad emen-dationem deprauatorum peruenire aſſerebat. Ad ve-tuſtatem m. s. codicum deprehendendam conſimili temporum diſtinctione vtebatur, qua conſtat Ortho-graphiam illam veterem ac genuinam paulutim in deterius fuiſſe deprauatam, vel negligentia vel inſci-tia Librariorum: Qui cum primum iuſtis ſyllabis di-ctiones expreſſiſſent, poſtea notis eas conceperint, pau latim etiam ſubiunctiuam diphtongi vocalem à late-re obſtractam vocali præcedenti ſubiecerunt, ac tan-dem etiam prorſus omiſerunt: Quibus animaduerſis Codicum antiquitatem deprehendi facile poſſe, vt, quantum cuiq; fidei in emaculandis bonis Authori-bus tribui debeat, ſine hæſitatione iudicare queat: Ad ſcriptionem etiam ſe non diſſimili ſolertia muniebat, nihil minus enim, quam illotis pedibus rem aggredie-batur: Nam cū in omnibus præpropera feſtinatio mo-

Anno Chri-ſti.

Criteria Canteri in dignoſcen dis Autho ribus, lin-guis & cha racteribus

Anno Chriſti. ram adducat, planeq; dimidium facti habeat, qui bene cepit, ille nunquam opus aliquod ſuſcepit, quod nõ antea perlectum diligenter expenderit, an ſuis humeris conueniret: Suſcipiens enim vt rem exemplo declaremus, authorem aliquem de Græco vertendum in Latinum, diligenter perlegebat, vt argumentum ipſum dicendiq; genus penitius contemplatus, cuius nam claſsis authoribus ad huius explicationem potiſſimum indigeret, intelligeret: Calamus interim ad manus erat, quo ſimul adnotabat memoriæ gratia, ſi quid occurreret difficultatis, quod ante interpretatio nem propoſitam ſibi diſcutiendum erat. Hac opera defunctus, ita ſibi in ſingulos dies penſum ipſe præſcribebat, vt quod poſtridie tranferendum ſibi propoſuiſſet, id pridie ſemper omnibus difficultatibus ac nebulis diſcuſsis, expeditum ſibi redderet ac facilè: Quo facto interpretationem ipſam, ad quam illi nihil aliud iam reſtabat, quam nuda quaſi deſcriptio, incredibili quadam celeritate peregit. Declarari hoc non aliunde certius poteſt, quam ex prolegomenis ipſius ad eclogas Ioannis Stobæi, ab ipſo ex Græco in Latinũ „ tranſlatas. Illic enim cum de collatione authorum æ„ qualium & penſi propoſiti repurgatione locutus eſſet, „ de interpretatione ipſa loquens, ita dicit: Atq; hic la„ bor noſter, tametſi multis haud valdè grauis fuiſſe vi„ debitur, multo tamen fuit grauior, quam is quem in „ interpretatione poſuimus. Quippe quem horis aliquot „ ſuperuacuis ac minus vtilibus intra paucos menſes „ confecerimus. Etenim cũ in Chriſtophori Plantini gra„ tiam viri de nobis optimè meriti potiſsimũ hanc operã „ ſumpſerimus, nõ vltra CXXXVI. horas, ſi res ad cal culum

culum vocetur, in eam impenſas affirmare auſim. Anno Chriſti.
His enim verbis indicat ſe eam interpretationem confeciſſe nocturnis iſtis temporibus intra menſes quatuor ac dies ſexdecim, cum ſingulis diebus ei impendiſſet horam vnam: Quod nulli ab eo vel temerariè, vel hyperbolicè dictum videri poteſt, qui & prolegomena iſta legerit, & hanc ipſam tractandi Methodum eius conſiderauerit, & expeditam illam, ac longiſſimo aſſiduoq; vſu comparatam vtriuſq; linguæ facultatem, & ſingularem quandam legendi ſcribendiq; celeritatem in illo cognouerit ac meminerit? Mihi vero huius viri dotes conſideranti planè videtur ei nihil defuiſſe eorum, quæ ad plenum trium bonorum orbem abſoluendum requiruntur: Nam ſanè cũ ea morum integritate, ea literarum ſcientia, ea artiũ cognitione, addo etiam eius ingenij vigore, ea iudicij acrimonia fuerit, vt parem nedum ſuperiorem haud facilè inuenerit, tum etiam ea illi fortuna contigit, quæ ad vitæ cultum ſatis ſplendoris, ad ſtudiorum ſuſtentationem ſatis ſubſidij adferre poterat: Ad corporis felicitatem quæ pertinent, in illo omnia magnifica erant & ampla. Erat enim Canterus ſtatura procera & heroica, mẽbris validis & ſolide cõpactis, totoq; corpore iuſta proportione bene compoſito quadradus, cute candidiſſima, genuino tamen rubore ſuauiter colorata, facie decora, oculis lætis, vultu hilari, capillitio nigro, atq. criſpanti, barba non admodum denſa, aſpectu planè amabili: Et quoniam gratior eſt, vt ille dicit, pulchro veniens ex corpore virtus, merito dici potuit, illius ingenium bene habitare. Augebat hanc gratiam cultus, cultum ipſum ſingu- Proſopographia Canteri.

 laris

Anno Christi.

laris. mundicies commendebat. Quamquam enim ille veſtiretur quidem infra fortunam ſuam, veſtitu tamen vtebatur ſplendido & eleganti. Mundiciei enim ipſa natura tam amans fuit, vt non modo ſordes in veſtibus aliiſq; rebus ad vſum vitæ pertinentibus, ferre nullas poſſet, ſed et comam quoq; & berbam propterea ſubiecto pectine ſtatis temporibus detunderi curauerit: Sed hæc momentanea ſunt & caduca, neque verè noſtra dici bona poſſunt, illa ſunt noſtra verius, quæ ad animi cultum pertinent. In quibus ponderandis etiamſi ego nominatim complures inſignes viros, tum veteres tum recentes, quorum nomen virtis, & eruditionis ergo omnibus ſacro ſanctum eſt ac venerabile, veris orationibus conuincere poſſum hoc noſtro nequaquam fuiſſe ſuperiores, tamen cum omnis huiuſmodi comparatio odioſa ſit, nè vel amore quodam cæco hunc extollere, vel inuidiæ quodam ſtimulo quenquam alium deprimere videar, libenter equidem his abſtinebo. Theophraſtum autem ſeu quē alium Philoſophum natum annos non minus octuaginta cum animam ageret, iniquitatis accuſaſſe naturam ferunt, quæ coruis, ceruis, ac phœnicibus, quorum nihil intereſſet, vitam in multa ſæcula prorogaret. homini autem, qui ad ſapientiæ cultum ætate proficeret vitam breuiſſimam attribueret: Qui quidem, ſi humanæ conditionis ſortem in hoc merito deplorauit, iuſtius conqueri Canterus poterat, qui non ætate iam decrepita, vt ille, ſed in ipſo iuuentutis flore hinc abreptus eſt. Eo etiam magis, quod hac tēpeſtate aditus ad ſapientiā longè difficilior ſit, quā iſta fuit; Iſtis enim hominibus græcis non modo ad ſuam illam

Facilior aditus ad eruditionē Veteribus præſertim Græcis fuit quā nobis.

illam ſapientiam comparandam, ſed etiam ad quam lin
uis peregrinationem ſapientiæ ergo expediendam lin
gua patria ſola, quam vna cum ipſo nutricum lacte
imbibebant, abunde ſuffecit. Cũ hæc tum temporis, vt
vbiq; terrarum fere vſitata eſſet, ita etiam quicquid
vſquam ſcitu dignum erat, compræhẽderet. Augebat
hanc facilitatem, quod eadem illa ſapientia, quam
illi diuinarum rerum, & humanarum ſcientia ter-
minabant, limitibus tunc longè anguſtioribus, hoc eſt,
ijs tantummodo facultatibus concluderetur, quas
nunc minores appellamus: Accedebat huc felicitas
iſtius ſæculi, quo ipſis ſapientiæ authoribus vicinio-
res eſſent non modo diſciplinarum fontes ipſos, ſed e-
tiam eoſdem puros ac ſynceros biberunt: Nobis in hac
decrepita mundi ſenecta, idq; in media barbaria na-
tis longè diuerſum accidit: Primum enim cum & no-
bis eædem, quæ illis diſcendæ præponantur, tum his in
ſuper accedunt illæ, quæ maiores appellantur facul-
tates, Theologia ſcilicet, Iuriſprudentia, Medecina:
Quæ vt nunc quidem in Chriſtianorum ſcholis vſur-
pantur, iſtorum ætate recentiores, & à Chriſtianis,
vel peculiariter adinuentæ, vel certè in artis formam
redactæ ſunt: Quantum autem difficultatis tum ex
his ipſis, tum etiam ſuperioribus iſtis facultatibus ad-
iecerit, tot ſæculis interea cumulata ſcribentium
multitudo, quantum lucis detraxerit illa inter nos
& iſtos interiecta tot incommodis notabilis tempo-
poris intercapedo: quis non facile æſtimet. Cum
non modo tot bella, tot eluuiones, tot incendia, tot
ruinæ, vt tineas & blattas omittamus, tantam copi-
am bonorum Authorum nobis prorſus abſtulerint

Anno Chriſti.

Cum barbareis inſuper tam profunda alijs aliter inſtar porcorum in roſas irruentibus, bonos authores pleroſq; omnes, qui reliqui erant, tam turpiter maculauerit, vitiauerit, mutilauerit: Deinde cum et linguæ, quibus propoſitus hic ſapientiæ theſaurus continetur ex vſu populari iam prorſus ſublatæ ſint, & popularium linguarum hodie tam multiplex diuerſitas ſit, vt pedem vix domo mouere poſſis, quin idio mate peregrino retundaris, qui nunc ſapientiæ candidati ſunt, optimam ætatis ſuæ partem linguis diſcẽdis impendant neceſſe eſt. Quod eo etiam grauius eſt, quo tres illæ inter has præcipuæ & ſimpliciter neceſſariæ, non aliũde nunc quam ex libris hauriri queant: Quã quam autem in confeſſo ſit humanæ vitæ breuitatem ad euoluenda omnia ſcripta, quæ ad vniuerſum ſapientiæ complexum coaceruata ſunt, nullo modo ſufficere, quis tamen inficias iuerit, eum, cuius nomen ſolidæ eruditionis ergo celebrandum ſit, earum diſciplinarum omnium quæ hoc orbe continentur, ſi non omnium æque ad vnguem, atq; vnius alicuius, quam præcique delegerit, at certè mediocriter peritum eſſe oportere? Et cum hoc ita ſit, quis negauerit eundem illum, qui ad hanc ſapientiæ arcem contendit ipſarũ diſciplinarum nomine eas linguas oportere diſcere quibus illæ ſunt comprehenſæ. Quantus igitur vir Canterus fuerit, quanto igenio polluerit quanto ſtudio flagrauerit, hinc æſtimari poteſt, quod integra adhuc ætate non ſolum ſuperatis difficultatibus vniuerſis ad culmen & faſtigium ſolidæ eruditionis peruenerit, ſed etiam poſteris magna ex parte viam ſtrauerit, qua eodem per venire poſſint. Præter patriam hoc eſt

Cantori eruditio.

Belgica

belgicam linguam, ſex calluit exoticas, latinam ſcilicet, Græcã Hebraicam, Germanicã Gallicã & Italicã, quas quoniã non alio, q̃ ſapientiæ conſequẽdæ ſtudio per didicit, quantũ non modo in minoribus hiſce Chriſtianorũ facultatibus profecerit, ſi nõ ex hac ipſa eius induſtria, at certe vel tacẽtibus nobis ex ipſius ſcriptis liquido conſtare poteſt, quæ vt numero ſatis multa & eruditione admiranda, ita fructu vtiliſſima poſteris reliquit. Extant eius nouarum lectionũ libri octo, in quibus cum plurimis ac diuerſiſſimis authoribus integritatem ſuam reſtituat, quantus ipſe librorum belluo fuerit, declarauit. Extat eius ſyntagma de ratione emendandi græcos authores, in quo cum infinita mẽda ex diuerſis authoribus tollat, tum abundé etiam declarat, quam non oſcitanter in euoluendis authorum ſcriptis verſatus fuerit, vtroq; autem opere ſtudioſis plurimum difficultatis & impedimenti adimit: Conſimili induſtria ac fructu & in reliquis verſatus eſt, quæ ex catalogo operũ eius facile intelligentur, quẽ hic infra ſubijciemus ex quibus præſenti facto apparebit, qantum in poëtica, in oratoria, in hiſtorica facultate, quantum in ſoluta, quantum in numeris adſtricta, quantum in natiua, ſua, quãtum, in tranſſerenda alterius oratione v.. luerit. Quã luculenter vbiq; eam, quæ prima orationis virtus cenſetur, perſpicuitatẽ tueatur, vt nihil obſcurum, nihil ambiguũ, impropriũ relinquat, q̃ offendere lectorem poſſit, erat enim id iã longo vſu cõſecutus, vt ſe facile extricaret, vnde plerią; alij difficulter emergerent nã ſi quis eiuſmodi forte nodus incidiſſet, quem ipſe ne-

Anno Chriſti.

Canteri diligentia fides, ac pręſtantia, in tractandis eruditorũ monumentis.

I 5 *ceſſa-*

Anno Chriſti.

ceſſario ſubſidio deſtitutus ſoluere non potuit, tum le-
ctorem, ne forte ipſius authoritate nixus grauius er-
raret, caudid ademonuit, vt in ſtobæo fecit. Vbi cum
ſe plurimum, & quidem ſine magno negocio præſti-
tiſſe profiteatur, lectorem tamen admonet adhuc
multa eſſe inexcuſſa ob defectum Græci Codicis, qui
non prorſus ex ingenio, ſed etiam manuſcriptorum co
dicum collatione ſupplendus erat. Quos ille tum cõſe
qui non poterat: Porro autem præter illa, quæ in Ca-
talogo librorum eius infra recenſebimus, eum etiam
habuiſſe alia opera nõnulla vel iam inchoata vel etiã
abſoluta, nomini dubiũ eſſe poteſt, Ipſe aũt aliquando
flagitante quadã occaſione mihi retulit ſe pene iã ab
ſolutos habere, quos conſcriberet cõmentatios linguæ
Græcæ, & verſari tum in transferẽdis quibuſdam op
eribus, D. Ioannis Chryſoſtomi, quæ hactenus nec græ
cè nec latine edita eſſent, de cæteris nihil compertum
habeo. Erat enim eo ingenio Canterus, vt non agen-
da promitteret ſed acta proferrere, neminemq; pate
retur propoſiti ſui conſcium ideoq; nõ modo perconta
tores ſed etiã famulos auerſabatur, quo ſibi magis in
tuto forent arcana, quæ eliminari nolebat longe tum
prudentior tum modeſtior illis, qui parturiunt ante
quam cõſceperunt, & multa iactitant, quaſi iam ab-
ſoluta opera ſua, quæ nunquam inchoarunt, aut ne in
choari quidem vnquam ſunt: Illud interim ille non
diſſimulauit, ſe deinceps in ſanctorum patrũ opera de
Græco in latinum transferenda fuiſſe incubiturum,
in primisq; nouã Bibliorum traſlationem, & exactio
rem græci textus emendationem meditari ad quam
rem felicius abſoluendam non modo hebraicæ linguæ
pene-

Cãteri opera nõdom edita.

Cãterus arcani tenax.

Cãteri propoſitum pium.

penetralia curioſius iam rimabatur, ſed & exemplarium tum hæbraicorum, tum gr[illegible]orum tum latinorum non ſolum .m. S. ſed etia[illegible]cuſorum diuerſæ æditionis copiam terra mariq; venabatur. Pium hoc propoſitum ſuum prudēti conſilio falciebat nam quo facilius effectum daret id quod moliebater, Louanio relicto, Leouardiam concedere ibiq; ſedes figere conſtituerat, eoq; conſilio eclogas ſtobæi (qui fetus illi poſthumus extitit) ampliſſimo Clariſſimoq; viro ac Domino D. Igramo ab Achelem Regij tum ſenatus per Friſiam Præſidi dedicauit, tum vt eius authoritate atq; prudentia non ſolum aduerſus incommoda protegeretur, ſed etiam in literarijs ſubſidijs conquirendis adiuuaretur, tum, etiā vt ſingulari eius eruditione ac ſapientia familiarius atq; commodius frueretur. Nemo autem (qui quidem res Canteri diligentius expenderit) temere eum Louanium Leouardia fuiſſe mutaturum dixerit. Nam cum illi prima cura vitæ, ſecunda ſtudiorum fuerit, vtruſq; ratio eum huc impellebat, vt quam maxime: Louanij enim cariſſimè viuebatur, & Cantero, qui ſtipendium publicum non ambiebat, de ſuo viuendum erat. Reditus autem ex patria ſua iſtuc arceſſere non modo ſumptuoſum ſedet periculoſum erat, infeſtis itineribus terra mariq; tunc vniuerſis, Atqui Leouardiæ omnium rerum, quæ ad vita neceſſitatem pertenent affluentiſſima copia eſt, non modo quod ipſa Friſia natura cœli ſoliq; fertiliſſima, ſed etiam quod vicinum mare, quo fere tota ambitur, abundè ſuppeditet quæ requiras: Hic igitur non modo multa minoris victurus erat Canterus quam Louanij, ſed & ipſe quoq; præſens

Anno Chri ſti.

Cāteri pru dens conſi lium.

Leouardia ſtudijs fo uendis ac commoda ta.

Anno Chriſti. ſens rerum ſuarum diſpenſationem habiturus erat,
cum in municipio huius vrbis fundos auitos & ex his
ampliſſimos reditus haberet : Accedebat huc, quod
Leouar. quæ auo VVilhelmo. Gruninga, qui patri Lã
berto, (Vltraiectumquod ipſi natale ſolum fuit,) ciui
tates inter ſe vicinæ ſint. Cum gruninga nõ niſi ſeptẽ
miliaribus ad orientem, Vltraiectum non niſi viginti
duobus miliaribus ad Auſtrum Leouardia diſtet, ita
vt ſibi cum amicis inibi habitantibus officia, quæ ne-
ceſſitudo pietatis flagitat, vltro citroq; conſtare facil
limè poſſent, & conſtat ex ſupra dictis, quam frequẽ
tes, quam ſplendidos agnatos, cognatos & affines
Leouard. habuerit, in quorũ vtiq; mutua beneuolen-
tiã ſuauiſſ. victurus erat. Non vuulgarẽ autẽ ipſi ſed
ſingularẽ & merito admirandã ſtudiorum cõmodita
tem fore Leouardiæ, partim ſitus ipſe loci partim in-
Leouardię qualitas ac ſitus. doles gentis arguebat. Eſt enim Leouardia ciuitas
ambitu ipſo mediocris, plateis latis ac rectis, in qui-
bus nullæ permittuntur iacere ſordes, ædificia multa
auguſta, reliqua mediocria non ſine venuſtate, fluuijs
aliquot foſſatis nauigabilibus interluitur, quæ non
modo commercijs vndiq; agitandis, ſed perpetuæ mũ
diciei ſeruiunt: Aër ſerenus eſt & clarus, ſubſalſus ta
mẽ ob exhalationes vicini maris, & quia ob eã causã
putredinem non facile ſenſit illam ciuitatem rariſſi-
mè infeſtat peſtis. Sita eſt Leouardia in meditullo Fri
ſiæ occidẽtalis ita vt ab extremis finibus Aeſtraæchiæ,
Veſtrachiæ, & ſeptem ſyluarum in quas hæc Friſia
diſtribuitur ad eam tãtundem fere ſpacij ſit, quod &
equeſtri. & pedeſtri, & nauali itinere vndiquaq; cõ
mode perficias. Quæ commoditas Albertũ Saxoniæ
Ducem

Ducem, ac deinde filium eius Georgiũ induxit, vt ibi commune & ſupremum Friſiæ tribunal conſtitueret, quod & Carolus Quintus approbauit & ſecutus eſt. Cum huc vndiq; tantundem itineris eſſet ad comitia publica patriæ nomine celebranda, ad cauſas tum ciuiles tum criminales expediẽdas quæ tota prouincia emergerent. Augebat hanc commoditatem etiam altera commodior, Nam cum hæc Friſia a ſeptentrione oceanum Cimbricũ ſiue Britanicum, ab occidente mare hollandicum, ab Auſtro mare auſtrale habeat, ob oriente continens ſit, & proinde terra mariq; facilis ad eam pateat acceſſus, maiori etiam facilitate ex omnibus terrarum plagis, in Friſiam, quã ex quauis parte Friſiæ Leouardiam peruenias, quod vndiq; ſint oportuni portus ad commercia maritima faciũda: Itaq; quicquid in Belgio, in Gallia, in Hiſpania in Sicilia in Italia, in Germania in Sarmatia, in Pruſſia, in Dania in Britannia, in Schotia, in Græcia, in Turcia, in India ac breuiter, quicquid inter orientem & occidẽtem, inter Auſtrum & ſeptentrionem, literarum, & chartarum aliarumue quarumuis rerum naſcitur aut cuditur iſtuc importari commodiſſime poſſit. Quin & Franſcofordia, quæ vniuerſo pene orbi Chriſtiano in re literaria commune præſtat emporium, ſecundo Rheno longe tum celerius, tum certius ac tutius Leouardiam tranſmiſeris quam Louaniũ, ſi quid opus ſit. Præterea cũ Leouard. ſeptentrionẽ verſus Loua. non niſi vndequinquaginta miliaribus diſtet, eademq; illa remotis impedimentis itinere nauali intra dies quatuor veredarijs etiã citius cõfici poſſint, eodẽq; itinere præter complures alios portus

Anno Chriſti.

duo

Anno Christi.

duc etiam celeberrima ſint emporia, Antuerpia ſcilicet in Brabantia & Amſterodamum in Hollandia, nulla illi vel ad librariam ſupellectil, vel ad operam typographicam commoditas deeſſe Leouardiæ poterat. Accedit hiſce commoditabus inſuper & humanitas ipſius gentis, quam ille tantopere commendabat, vt ſe huic parem aliam nuſquã terrarum comperiſſe aſſereret. negari certe hoc non poteſt Leouardienſes ob curiã prouincialẽ & cõmercia exterorum hominũ quæ alibi non ſunt, reliquis eſſe cultiores, ipſaq; cõſuetudo iãinueterata & aſſiduitas verſandi cũ literatis & ſtudioſis in naturam illic abijt, vt, ſe his libenter accommedent. Canterus peculiari loco iſtius genio hoc adſcribebat, quod illic ſtudia ſemper antiquitus etiam magis quam vſquam alibi in Friſia viguiſſe cõperiſſet, nam vt veteres Druydas, aliquos etiam in Friſiam veniſſe, atq; cœtum philoſophantium congregraſſe loco iſto, cui tum nomen ex diuina, vt ipſi iudicabant doctrina fuerit, aula Dei: multis ſæculis antequam vel nomen Leouardiæ, vel præſentia ciuitatis iura obtineret. Quam enim aulam Dei latine vocabant, eam tũ pepular lingua dicebant Godtſhooff. *Vnde ſunt ad huc ibi parochialia illa templa duo,* oude hooff & Nye hooff, *id eſt, vetus aula, & noua aula. Quemadmodum autem ex aula aulici, ita etiam ex* hooff houelingẽ *hactenus apellantur nobiles, qui Regia authoritate in aulis conſtituebantur ad defenſionem doctrinæ publicæ: Maximam autem nobilium frequentiam Leouardiæ eſſe antiquitus verſatam, non obſcuris etiam hodie reliquijs probatur:* Certè *Siuardus Sapiens Radbodi vltimi*

Leouardia antiquitus Druineum ſedes, dicta Aula Tei:

vltimi Theologus, & Chriſtianorum accerrimus ho- Anno Chriſti.
ſtis ille qui, M. T. Cicer. opus de Natura Deorũ hæreſios damnauit, & publicè exuſſit, quod (vt ipſe cauſabatur) erroneam & minimè ſynceram doctrinam contineret, de Dijs gentium, in Aula Dei ſcholæ diſcentium præfuit, vt ſupra diximus in Siuardo ſapien. Præbebat enim celebrandæ huic aulæ Dei oportunitatem magnam, domeſticus portus ad Burdonem fluuium, hoc eſt, ad ſieui brachium mediterraneum, medio ferè ſpatio ſitus, vt naues quæ intra portum Mankarmanin (qui maritimus tunc erat) & Bolſuardienſem per hoc brachium vltro citroque commearent, in aula Dei quietam ſtationem ſi opus eſſet, reperirent: Et vidtur tũ temporis huius aulæ Dei, latior quædam fuiſſe iuriſdictio, quod ex qualitate territorij Leouardiani non obſcure colligitur. Sed coaleſcente paulatim Burdone fluuio, cum portus oppilatus non amplius frequentaretur, defectu ſoliti prouentus, paulatim etiam defeciſſe cætera, quibus dudum notabilis ac venerabilis fuerat aula Dei: Quod & in alijs ciuitatibus Friſiæ rerum vices operatæ ſunt: Noſtrates tãdem cum hæc Ciuitas ſucceſſu temporis Leouardiæ nomen aſſumpſiſſet, Monialium Ciſterienſium conuentum, quem propè Snecam anno 1233. Vlbodo authore condiderãnt, ad inſtantiam Dudonis, quarti in Florido campo Abbatis, Latinè vocarunt Aulam Dei, populari verò lingua non Godts hooff, *ſed* Nye cloeſter, *hoc eſt, Conuentum nouum appellarunt: Vt ſaltem tunc conuentus ad memoriã iſtius veteris aulæ dei nomem hoc inter pios & eruditos obtinuerit: Quæ res nõ animaduerſa errorẽ*

parit in

Anno Christi- parit in diſtributionæ finiũ Aeſtrachi, & veſtrachiæ vt ſuo loco plenius dicemus: cõtinua fere ſucceſſione præcipuã totius prouinciæ ſcholã Leouard. fuiſſe, hiſtoriarũ lectione diſcimus, & noſtra etiã memoria, quã inſignes eruditione viri hic inſtituẽdæ iuuẽtuti præfuerint, quis ignorat? nullis enim ſumptibus Magiſtratus vrbis huius parcere ſolet in conſtituendis ſtipendijs huiuſmodi virorum qui fouendis ac promouendis bonis artibus præſunt. Vtcunq; autem præterita ſe habeant, non poterant non magnopere delectare præſentia literaram ſubſidia, quæ Cãtero homini docto ſua tempeſtate Leouardia ſuppeditatura erat, cum ibi tunc eſſet, vt ad huc eſt, tam frequens eruditiſſimorum virorum conuentus. Inueniſſet enim Philoſophos, medicos, Iureconſultos, ac Theologos egregios, quorum & colloquijs recreari & Bibliothecis adiuuari potuiſſet: Et quia Curia prouincialis hic erat, erant cum Præſide ſenatores, erant cum ſenatoribus Aduocati, vt numero plurimi, ita omnium artium genere politiſſimi, quorum ſplendore ciuitatem hanc etiã Gerardus Geldenhaurius Nouiomagus celebrauit: His igitur conſideratis Canterus Louanio relicto, Leouardiam petiturus erat. Mihi verò ex præteritis ac præſentibus futura metienti ſpẽ ſubiecit animus fieri poſſe, vt ex huiuſmodi oportuno initio forte res optata ſequeretur: Canterus vnus quidem vir ſed ſingularis & eximius erat: Cuius occaſione (quod in procliui erat(ſi maior aliqua eruditorum frequẽtia Leouardiam confluxiſſet, poterat ex Cantero expectari ſeminarium oportunum futuræ illic vniuerſitatis, pari enim ratione ſcimus vniuerſitatis non vnius, ex ſingu-

ex ſingulis quibuſdam viris iacta fundamenta pri-ma incrementis ſubinde noua frequentantium acceſſione auctis eo tãdem profeciſſe, vt ad ſummum Academiæ faſtigium conſcenderent. Sic enim Alcuinus Pariſienſi, Albertus Magnus Colonienſi, alij alijs Academijs conſtituendis, nominis ſui celebritate occaſionem præbuerunt: Quæ ſpes noſtra vt aliarum facultatum reſpectu, alicui fortaſſe minus conſentanea ita ratione Iuriſprudentiæ nulli ſi iuola fuiſſe videbitur, qui Curiæ Friſonicæ inauditam, in adminiſtrando Iure Romano ſynceritatem cognouit. In hac enim Curia quæ Leouardiæ eſt, ciuiles & criminales cauſæ omnes, quotquot tota prouincia emergunt ex mero iure Romano deciduntur. Et leges Romanæ illic in foro ita controuerſiis terminandis accommodantur, vt à Iuſtiniano traditæ ſunt, & in ſcholis publicis docentur. Leges municipales & conſuetudines Patriæ, quæ Iuri cõmuni derogent, ibi nullæ ſunt præter viginti plus minus, & quæ omnes ferè ad ius retractatus pertinent, in qua occaſione conſecuti ſimus, ne lector miretur, dilucidas & illuſtres rationes reddemus in Gregorio Bertolffio, huius felicitatis noſtræ Authore, de quo ſupra diximus. Cum igitur in alijs prouincijs, vbi Academiæ ſunt, hodie profeſſores plus propè operæ impendant infarciendis Iuribus ſuis municipalibus, quæ alibi plerumq; nullum vſum habent, quam ipſi Iuri communi, cui illic rarò locus eſt, putabam nuſquam terrarum commodius Academiam docendæ Iuriſprudentiæ fundari poſſe quam Leouardiæ, vbi ſtudioſi Iuris Theoriam vt in ſcholis à profeſſoribus acciperent, ita ad praxin in

Anno Chriſti.

Iuris Romani praxis in Friſia ſynceriſſima.

Anno Chriſti.

foro ab Aduocatis accõmodari cernerent. Hanc enim mentem Iuſtiniani fuiſſe puto, cum reformatum Ius Romanum nuſquam doceri voluerit, quam Romæ Conſtantinopoli & Beryti. (Vbi celeberrima ac laudatiſsima Orientis & Occidentis tribunalia fuiſſe conſtat) quod iudicaret fora ſcholis in Synceritate Iuris, conformia eſſe debere, & proinde ſyncerum Ius ibi rectè doceri, vbi in foro patriæ conſuetudines quam minimè vſurpantur, vtpote quæ ius ſyncerum quod commune eſt, limitent ac tollant. Hinc & illud conſequẽs futurũ erat, vt ius illic, eadem qua ſcriptũ eſt, hoc eſt latina lingua doceri poſſet, ſic vt & indigenis & alienigenis Auditoribus, vndecunque tandem aduenissent ex æquo ſatisfieret. Quod in alijs Academijs fieri ad amuſsim non poteſt, cum in Germania, Gallia, Italia, Hiſpania profeſſores linguam popularem, in Cathedra maximè vſurpent ob iura ſua municipalia: Quæ res peregrinis auditoribus grauiſsimum adſert impedimentum non intelligentibus ea quæ profeſſor dicit. Hoc cum ita ſit, arbitrabar Leouardiam fore celeberrimum Iuriſprudentiæ emporium, quod cateruatim ex omnibus mundi plagis eo confluxuros expectarem candidatos Iuris. Conſtituta enim ibi Academia, habent in ſcholis exercitia praxios. Habent hoſpites domi profeſſ. Iur. habet iuris practicos Senatores & Aduocatos, aut alios viros eruditos, alij aliter, pro cuiuſcunque conditione, quorum familiaris conſuetudo illis nequaquam contemnenda eſſet. Quin & ipſi ſenſim creſcente Iuris cognitione ad praxin preludere poſsent. Cum non tantum ibi

Curiam

Curiã prouincialem, ſed & municipalia tribunalia haberent, tum intra Ciuitatem, tum etiam Ruri, vbi ex eodem Iure communi itidem controuerſiæ terminantur. Inuitare huc ſtudioſos tum lingua popularis, tum etiam Curiæ ſtylus poterat, lingua enim quæ Friſica propriè eſt, in agris hodie potiſſimum vſurpatur, in Oppidis vſurpatur communis lingua Belgica, quæ Leouardiæ purior eſt, quam in alijs Friſiæ partibus, ob præſentiam Curiæ, quæ dialectum maximè vſurpat Brabanticam: Stylus Curiæ procedendi modus, ſcribendi character adeo ſimilis eſt ei, qui in Brabantiæ Curijs obſeruatur, vt ouum ouo non poſſet eſſe magis: ex qua conſequitur, eum qui Leouardiæ tum lingua tum praxi iuris expolitus eſſet, operam nequaquam luſiſſe, vtpote qui in Hollandia, Zelandia, Brabantia, Flandria, Geldria, ditione Vltraiectina, Tranſiſulania & vicinis alijs prouincijs, non minus, quam in ipſa Friſia, Notarium, Secretarium, Senatorem, & quemcunque Iudicem Reipub. ſuæ vtiliter & cum laude præſtare poſſet: Nec verò me ab hac cogitatione dimouit amplitudo priuilegiorum vniuerſitatis Louanienſis, quibus prohiberi aliqui putabant, ne qua alia poſt hanc vniuerſitas erigeretur intra Belgium, quatenus id erat ſub ditione Philippi ſecundi, Hiſpaniarum Regis. Hoc enim priuilegium cum vniuerſitati Louanienſi datum ſit à Ioanne Brabantiæ Duce, ad eas duntaxat prouincias pertinet, quibus ille dominatus eſt. Inter quas tranſmarinæ non ſunt, quæ multo poſtea ad domum Burgundicam

Anno Chriſti.

Anno Chriſti.

acceſſerunt: Itaq; memini anno 1564. Ampliſſimum Senatum inclitæ Ciuitatis Gruningenſis me per Syndicum ſuum clariſſimum Iureconſultum, & mei amantiſſimum D. Doc. Heſſelum ab Ayſma honeſto ſtipendio inuitaſſe ad profeſſionem Inſtitutionum Imperialium, quod in particulari ſua ſchola, quam diu florentiſſimam habuerant, Philoſophicis artibus iuris principia veluti Coronidem quandam addere decreuiſſent, quo magis parata iuuentus eſſet ad audiendum cū fructu Ius in iuſtis vniuerſitatibus. Cuius conditionis nomine, cum ego Antonium Perrenottum Cardinalem Grauellanum, Viglium Zuichemum, & Ioachimum Hopperum conſuluiſſem, qui dudum à Regia Maieſtate erigēdæ vniuerſitati Duacenſi triumuiri conſtituti erāt, vnanimiter ab his mihi reſponſum fuit, poſſe me ſaluis priuilegijs Louanienſibus eam prouinciam ſuſcipere, & gratificari inſuper Maieſtati Regiæ, ſi orientalibus iſtis prouincijs vltra Gruningam ſitis occaſionem darem cultus humanioris, quibus Romanæ leges non admodum vſitatæ ſunt. Quo audito prouinciam ſuſcepturus eram, niſi quidam commodo ſuo rem interuertiſſet. Quæ cum ita ſint equidem occaſione Canteri vniuerſitatem Leouardiæ futuram ſperare non deſii, quam tamen ampliſſimi ordines poſtea Franekeræ conſtituerunt, quæ duobus tantum milliaribus occidentem verſus Leouardia diſtat. Canterus autem ob ſupradictas cauſas Leouardiam planè conſeſſurus erat, niſi iſtorum temporum infelicitas propoſitum eius impediuiſſet. Quanquam enim toto ferè Belgio pluribus tum annis inteſtini hi motus, ſatis acerbè graſſati eſſent

Vniuerſitas Franekerenſis.

ſent

ſent, nuſquam tamen his durantibus ad eius ſaltem vitam vſque tutius ac tranquillius viuere contigit, quam Louanij: Quæ cauſa fuit, vt & ille ibi tantiſper hærere decreuerit, donec pace recuperata tuto in patriam commigrare poſſet. Quo ſi incolumis peruenire potuiſſet, ſuppetente vita Reipub. literariæ vberes de ſe fructus haud dubio daturus erat: Diuina prouidentia, quæ piam ipſius voluntatem pro effectu ſumpſit, & immortali præmio cœleſtis gloriæ remunerare voluit, haud permiſit, vt qui literas tanto cũ affectu promouiſſet alio in loco quam literis conſecrato diem clauderet extremum: voluit enim huius memoriam non modo ſcriptis ipſius toto terrarum orbe celebrem, ſed etiam hic ſepulchro cõſpicuo venerabilem in omne æuum permanere. Vt qui Epitaphium legerent, ad æmulationem ſcriptorum loci ipſius opportunitate exuſcitarentur. Cum itaq; circa Idus Nouembris in febrem incidiſſet, quæ & in becticam degenerauit, tota hyeme cum hoc malo, & maxima parte Veris grauiſſimè conflictatus eſt, medicis fruſtra opem ferentibus. Ideoq; cum indies ingraueſcente malo facile ſentiret ſibi imminere fatalem diem, exactæ vitæ mortem conformem meditatus eſt: Præſtitit illi permulta officia, charitatis vir ſingulari tũ eruditione, tum pietate conſpicuus Dominus M. Embertus Eueraerts, ab Arendonck, ſacræ paginæ Licentiatus, & ad S. Iacobum tunc Paſtor vigilantiſſimus. Qui conſolando, confirmando, erigendo ægrotum noctes atq; dies non ſolum in vltimo agone ſed etiã ex quo morbus habere periculum viſus eſt ad ſpẽ diuinæ gratiæ alacriorem reddere dignatus eſt. Cuius hor-

[margin: Anno Chriſti.]

[margin: Morbus, & mors, & ſepultura Cãteri.]

Anno Chriſti.

tatu ille maturè compoſitis rebus ſuis nixus miſericordia diuina in Dominum placidè obdormiuit, anno poſt natum Chriſtum 1575. Menſis Maij decima octaua, quæ dies Mercurij erat, intra horam quartam & quintam manè: Cui ad complendum annum ætatis trigeſimum tertium tantum defuit temporis, quantum hic porrò ad vigeſimam quartam diē ſequentis Iulij reſtabat. Sepultus eſt in æde Sancti Iacobi ad Auſtralem partem Templi, loco inprimis conſpicuo ac celebri. Teſtamenti ſui executores eſſe voluit, Dominum Cornelium Valerium Præceptorē ſuum, & Ampliſsimum Nobiliſsimumq; virum ac Dominum Carolum Heluegen, Dominum de Saert, hoſpitem ſuum, apud quem vita defunctus eſt: Itaque illi manibus eius debita ſolemnitate iuſta perſoluerunt, & ex præſcripto ipſius reliquis omnibus ritè peractis, Bibliothecam eius Vltraiectum ad fratrem Theodorum tranſmiſerunt, qui ea nunc vt ad ornamentum familiæ auitæ, ita & ad ſubſidium Reipub. literariæ iuſtiſsimus, idemque digniſsimus hæres vtitur ac fruitur. Obijt autem Canterus vt ingenti incommodo rei literariæ, cui plurimum poſt hac erat collaturus, ita etiam ſummo omnium eruditorum luctu, quibus acerbiſsimum ſui deſiderium reliquit, à quibus cum vita eius integerrimè tranſacta, ſingularis item virtus & eruditio pleno ore, ſicuti par erat, prædicatur, nemo erat, cui non ea de clementia Diuina ſpes eſſet, vt confideret, Canteri manibus æternam requiem præmij nomine repenſam eſſe. Quæ quidem vt rata illis ac propria ſit, omnium votis optandum eſt. Multi fuerunt viri boni & erudi-

qui

qui memoriam eius carminibus ſuis proſecuti ſunt, Anno Chriſti.
quæ nos ad calcē huius tractatus adiecißimus, ſi commodū fuiſſet vitam eius ſeparatim edere. Quod quoniam non fuit, & ratio nos coëgit de Cantero inter Scriptores Friſicos agere, carmina iſta quāuis doctiſsima ſint, oneri hic erunt ſi omnia infarſiantur. Ideo que alibi oportunius, vna cum noſtris euulgabuntur: Authores autem horum carminum ſunt:

Cornelius Valerius Vltraiectinus.
Georgius Ratallerus Leouardienſis.
Andreas Papius Gandenſis.
Ioannes Leuineus Gandenſis.
Gualterus Colinus Gandenſis.
P. Pierius Smenga Schotanus.
Hnymo Dominicus Organopæus Leouard.
Albertus Hero Snecanus.
Andreas Schottus Andouerpianus.
Vilhelmus Cripius Iunior.
Ioannes Fungerus Leouardienſis.

Scripſit autem Canterus noſter primum.

Nouarum lectionum l. 4. in quibus præter variorū authorum, tā Græcorum quam Latinorū explicationes Athenæi, Gellij, & aliorum fragmenta quædā in lucē proferuntur Baſil. excud. Opor. in 8. anno 1564.

Deinde Ael. Ariſtidis orationum tomos tres Lat. conuertit: Quorum primus 28. ſecundus 17. tertius. 7. Orationes complectitur.

Huc acceßit orationum tomus 4. ex veteribus Græcis Oratoribus con innatus eodem interprete. Gorgiæ orationes 2. Thucydidis vnam Leſbonactis vnam, Andocidis vnam, Herodis vnam Antiſthe-

nis

Anno Christi. tiſthenis duas, Lyſiæ vnam Dinarchi vnã, Alcidamantis vnam continens.

Adiungitur etiam de ratione emendandi Græcos authores eiuſdem ſyntagma.

Ac deniq; Gnomologia Græcolatina, ſiue ſententiæ inſigniores breuiter ex Ariſtide collectæ, Baſil. excudit Perna in fol 1566.

Præterea Lycophronis Alexandram ſiue Caſſandram, latinè ad verbum trãſtulit, adiectis annotat. quibus loca difficiliora partim è ſcholijs Græcis partim ex alijs Scriptoribus explicantur. Huc acceßit Epitome Caſſandræ Græcolatina carmine Anacreontio eodem Authore : Nec non ipſius Caſſandræ verſio altera carmine expreſſa per Ioſephum Schaligerum Iulij filium: Baſil. excudit Oporinus in 4. anno 1566.

Nouas lectiones recognouit & tribus libris auxit Baſil. recudit Oporinus in 8. anno 1566. Similiter Ariſtidis Pepli Fragmentum, ſiue Heroum Homericorum Epitaphia, primus authori ſuo reſtituit, latinè vertit & annotationibus illuſtrauit: His adiecta ſunt Auſonij Epitaphia Heroum, quæ bello Troiano interfuerunt, aliquot locis ab eodem emendata. Baſil. excudit Guarinus in 4. anno 1566.

Præterea Fragmenta quædam Ethica Pythagoreorum quorundam ex Stobæo deſumpta, Latinitate donauit. Baſileæ excudit Oporinus in 4. anno 1566 cum Ethicis Ariſtotelis Græcolat.

Poſtea Syneſii aliquot opuſcula Græcè pariter ac Latinè primus edidit, ſunt autem hæc: De Dono ad Paconium, Concio ſecunda, Conſtitutio, Conſtitutio altera:

altera: Hymni Carmine, quibus adiuncti ſunt alij tres hymni: Baſileæ excudit Oporinus in 8. anno 1567. Anno Chriſti.

Eiuſdem locorum aliquot in Ciceronis epiſtolis explicationes & emendationes. Ant. excudit Plant. in 8. anno, 1568. cum ipſis Epiſtolis.

Eiuſdem in Propertium ſcholia ibidē excu. in 8. an. 1569. Cum ipſo Propertio.

Deniq; Euripidis Tragœdias edidit in quibus præter infinita menda ſublata, carminum omnium ratio hactenus ignorata proditur, adiectis Euripidis ſententijs aliquot inſignioribus, & Latinis verſibus ab eodem redditis, Antuerp. excud. Plant. in 16. anno 1571. quod ipſum etiam in Sophocle & Aeſchilo breui edendis ab illo præſtitum eſt.

Nouas lectiones iterum recognouit & libro vno auxit, quibus acceßit de ratione emendandi Græcos Authores Syntagma ſimiliter auctum, nec non Ariſtotelis pepli fragmentum cum alijs, tum integra tabula Deorum, & hominum illuſtrium progenies cōplectentes itidem auctum. Ant. excud. Plāt. in 8. an. 1571. ac nouarum lectionum quarta iam editio parabatur, libro vno rurſum aucta,

Similiter locorum aliquot in Ciceronis epiſtolis explicationes & emendationes recognouit additis nouis locorum aliquot in epiſtolis ad Atticum explicationibus & emendationibus ibidem excud. in 8. 1572. vno folio.

Poſtremò Ioannis Stobæi eclogarum libros duos in latinum conuertit, quorum prior Phyſicas poſterior Ethicas complectitur: quibus vna etiam acceſ-

Anno Chriſti.

ſerunt G. Gemiſthi Plethonis de rebus Peloponneſiacis orationes duæ eodem interprete. Ant. excud. Plāt. anno 1575.

Confecit quoq; ſeparatim tabellas duas, alteram in Ciceronis libros de officijs, primo ſeparatim à Sylvio excuſam vno ſemi folio. Deinde tum ab eodem vna cum ipſo Cicerone, tum etiam ab Oporino vna cum ipſo Cicerone & noſtris in eundem caſtigationibus: Alterā in Cornel. Valerij Phiſica, cū ipſis à Plāt. eadem formam editam.

Tranſtulit inſuper Ael. Ariſtidis artis Rhetor lib. duos, vnū de oratione Ciuili, Alterū de oratione ſimplici, nondum editos: Poëmatum deniq; libros quatuor propemodum abſoluerat:

Scripſit etiam notas in Bibliothecam Ioſiæ Simleri quibus multis Author. genuina nomina, & ſcripta reſtituit, quas apud me Louanij reliquit, quas ego libenter communicabo cum ijs, qui Bibliothecæ adornandæ operam dignam nauare cupiunt additis etiā obſeruationibus meis.

9. Ioachimus Hopperus.

Proſapiæ Hopperianæ antiquitas & nobilitas.

IOachimus paternum genus ex Hopperiana, maternum ex Pierſmana familia ducit, quæ vtraq; in Friſia ob antiquitatem ac nobilitatem, venerabilis ſemper fuit, vt ex infraſcriptis apparebit. Siuardum Hopperum in Archiuis maiorum noſtrorum me legiſſe memini, qui fuerit vnus ex capitaneis præcipuis Hergiſti & Horſi in expeditione Anglicana an. Chr. 449. cùm Britanniam occuparent. Vnde & Hopperorū familia, tū in Angl tum in Schot. propagata in hunc vſq; diē durat: ex qua memoria noſtra fuit ill

Vigornien

Vigornienſis & Gloceſtrenſis, Epiſcopus Ioannes Hopperus. De quo multa ſcriptores Anglici. Eiuſdẽ etiam familiæ veſtigia reperiuntur in terra Gruningana, in Saxonia, in Heluetia, in Germania ſuperiori: Vnde & Marcus Hopperus Baſileenſis originem duxiſſe videtur, cuius ſcripta Bibliothecæ publicæ recenſent: Inſignia huius familiæ vetuſtiſſima ſunt, dimidiata aquila, & argenteus piſcis Harengus (qui vulgò halec dicitur) coronatus in ſcuto cæruleo. Occaſione deinde affinitatis cum orientalibus Friſiis Pellicanum receperunt. Succeſſu temporis etiam Scacos Bauaricos Pellicano addiderunt, vt infra ſuo loco dicemus. Scacis rurſum omiſſis, Pellicanum aureũ ſolum retinuerunt. vna cum tribus pullis in ſcuto cærulæo, in cuius galea idem Pellicanus eminet. Vt in hunc vſq; diem Hopperiani omnes vſurpant. Hopperorũ porrò genti nomen hoc inde eſſe Cappidus Staurienſis aſſerit, quod olim domini fuerint iſtius diſtrictus, qui inter Staurienſem & Hornenſem ciuitatẽ quondam terra continua fuit, nunc mare eſt, & nihilo minus retento nomine, Dije Hoppe adhuc vocatur: Ex huius enim dominio eos tum dictos fuiſſe, Dije Hop Heren, hoc eſt, Hoppe dominos: Mutata deinde rerum natura, & veritatis notitiam obumbrante temporum diuturnitate, dictos fuiſſe, vt & nunc dicuntur Hoppers. Remanente tamen in ſingulis primæ originis Veſtigio cum priuatim quiſq; eorũ non Hoppers, ſed Hopper, quaſi Hop Heer in antiquis monumentis reperiatur: Suffridus Sterckenburgius addit hic hiſt. memorabilẽ: Ancillã ait Ioanis Hopperi, non iſtius, de quo infra, ſed antiquioris, an. Chr. 500.

Anno Christi.

Inſignia Hopperorum.

Hopperi vnde dicti.

Cum

Anno Christi- Cum aquam ex puteo hauriret, extraxiſſe ſimul viuentem piſcem Harengum. Qua re cognita Iuonem ad perpetuam rei memoriam Clypeo ſuo in quo hactenus aquilam ſolam habuerat, addidiſſe harengũ, eumq; coronatum, quod ipſi euitandæ imminẽtis calamitatis nuncius oportunus adueniſſet: Recordatus enim vir ſolers Oraculi eius, quod Stauo Friſiorum Iuppiter de flammis ex rubro cliuo prope ſtauriam anno Chriſti 155. erumpentibus conſultus ediderat, non eſſe periculum timendum ex flammis iſtis, quas ſucceſſu temporis conſecuturum eſſet contrarium refrigerium, ex re præſenti facilè proſpexit, præcedentis Vatic. futurũ euentũ: ideoq; paulatim diuẽditis aut permutatis iis, quæ illic poſſidebat, ſedes ſuas Orien. verſus tranſtulit: Vltra Fleui fluuij brachium primum: Idem fere Ygloni à Tadema in Kreyl i contigit, vt & alijs quibuſdam, qui eodem oraculo moti, Orientem verſus emigrarunt: Hopperianam autem familiam deinceps in vrbe Stauria celeberrimo olim regni Friſiæ Emporio Regumq; ſede floruiſſe, & tamquam hæreditaria ſucceſſione Reipub. gubernaculis ſemper præfuiſſe ſatis certum eſt. Teſtantur id Archiua Staurienſis vrbis, teſtantur id Chronicorum publica Eulogia. Indicio ſunt Gentilium Auitæ ſedes, indicio ſunt & ſepulturæ, quæ Stauriæ & in Hemelis prope Stauriam atq; etiam propè Bolſuerdiam conſpiciuntur. A Siuardo illo ſupradicto Hengiſti Capitaneo, porrò qua ſerie & alij ex alijs hactenus in hac familia progeniti ſint, dicere poſſemus, niſi temporum iniquitas nobis Sterckenburgij monumenta integra inuidiſſet quem in huiuſmodi familijs anti-

Hopperianæ familię trãſmigratio ex Hoppa, in vrbẽ Stariẽſem.

quis

quis, earumq; Genealogijs deſcribendis valde diligentem fuiſſe ſupra diximus: Ex Siuardi ergo poſteris antiquior nobis hactenus nemo repertus eſt, quā Iuo Hopper. ille, qui per harengū admonitus relicta Hoppa, Staur. cō migrauit. Poſt quē interuallo 850. annorū, hoc eſt anno 1350. Alius Iuo Hopperus Stauriæ conſulatu functus ex publicis actis inſtrumētiſq; cognoſcitur: Cuius proinde poſteritatē vt extat, paulo diligētius nos hic explicare ſine inuidia beneuolus lector patiatur, ob rationes iuſtas quas infra reddemus

Anno Chriſti.

Genealogia Ioachimi Hopperi.

Hic igitur Iuo Hopperus moriēs ſuperſtites duos filios reliquit, Hermannum, & Tiedemannum: Hermannus, qui dominus in pago Scarla fuit, poſt mortem patris interuallo non admodum longo ſine liberis vita defunctus eſt.

Paterna proſapia Hopperi.

Tiedemannus verò vir ditiſſimus, vtpote & fraterna hæreditate locupletatus, & alioqui Dominus exiſtens in Varns & Laexum Alberto Duci Bauariæ, & Comiti Hollandiæ, cum is Friſiæ dominaretur, à Conſilijs fuit. Neq; interim tantum Conſul Staurienſis, ſed & totius Prouinciæ deputatus fuit. Quem tanto fauore & beneuolentia proſecutus eſt ſupradictus Bauariæ Dux, vt illi inſignia auita (pellicanum ſcilicet) quæ Hopperianæ familiæ tunc viſitata erant, ſuis hoc eſt, Bauar. Scacorū tabulis additis augeret ornaretq;, ita vt Tiede. ille inſignibus Ducis cum Pellicano medio dū viueret, vſus reperiatur.

Tiedemannus hic Stauriæ vita defunctus filium & in conſulatu ſucceſſorem Arnoldum Hopperum habuit. Qui tamen inſignibus iſtis plenis vſus non eſt, nam rebellante contra ducem Friſia, omnes iſti,

quos

Anno Chriſti. *quos Dux officijs politicis admouerat, patria exciderunt. Ideoq; libri ſupradicti Tiedemanni in Angliam & Scotiam ad amicos aliquandiu ſecedere coacti ſunt. Et reconſiliatione paceq; facta in Friſiam reuerſi ſunt.*

Porrò autem Arnoldus ſupradictus, & ipſe aliquandiu Stauriẽſis Reip. Conſul fuit, qui ibi debitum naturæ ſoluit, tres filios ſuperſtites reliquit, Tiedemannum ſcilicet, Sakelium, & Hermannum: Hermannus iſte ſine liberis obijt, Sakelius habuit filios duos, Arnoldum, & Timannum: Timannus habuit filios duos Sakelium & Petrum, & filiam vnam Catharinam Sakelius hic filium habuit Cornelium & alios præter eum liberos in Hollandia: Petrus hic nobis olim condiſcipulus Leouardiæ fuit ſub M. Cornelio Colberto, ac cœlebs & ſine liberis obijt: Catharina ex Ielbio Iacobi AEgidij conſulis Leouardienſis filio Timannum & Ielbum enixa eſt, quæ marito viduata, graſſantibus in Friſia ſacris factionibus Emricam ſe contulit, vt & tranquillitati ſuæ, & filiorum ſtudijs conſuleret. Vbi & in Dominum piè obdormiuit: Timannus eius filius natu maior poſt obitum matris Coloniam ſe recepit, operamq; ſtrennuã Iuriſprudentiæ nauauit, quod & in Gallia, & in ſuperiori Germania fecit, & Iuris Lauream ſecutus, in patria ſuis & Reip. negocijs diligenter incumbit.

Tiedemannus denique Arnoldi ſupradicti filius Tadeum habuit filium, qui & ipſe quoque Conſul Staurienſis fuit.

Deinceps ponẽtur & vxorũ iam nomina ex quibus Hepperiani progeniem ſuam propagarunt per quas

quas magis apparet familiæ ſplendor, quam illuſtrãt affinitates tam generoſæ. Anno Chriſti.

Itaque ſupradictus hic Tadæus vxorem habuit nomine Liuckiam à Iongama, cuius pater Galenus, auus paternus Everardus à Iongama fuit, quorum auita ſedes eſt in Varns, vbi hactenus extat eius veſtigium Euertſma Geeſt. Ex hac igitur Liuckia Tadeus ſupradictus ſuſtulit filios tres, Suffridum ſcilicet, Sakelium & Galenum, & filiam vnicam Idam. Hæc Ida nupta fuit Petro ab Aucama. Cuius pater M. Petrus ab Aucama V.I.C. ac ſenior vrbis Leouardienſis fuit, eamquè ciuitatem primus vallo cinxit. de quo ſupra cap. 1. decad. 9. cõmodius diximus, vbi & Idæ poſteritatem deduximus, vt eam hic rurſus inculcare nihil ſit neceſſe.

Galenus porrò ſupradicti Tadæi filius, habuit Fredericum & Tadæum (qui fuit Senior vrbis Snecanæ) & horum ſorores.

Sakelius autem Tadæi eiuſdem filius, filios duos habuit Regnerũ & Tadæum & filiam vnicã Idam.

Suffridus denique eiuſdem Tadæi filius, duos filios habuit, Ioachimum hunc de quo nobis hæc eſt inſtituta tractatio, & ex alia vxore Scheltonem, qui ſine liberis obijt.

Sic igitur vt omiſſis ramis tranſuerſis huius arboris rectum ſtipitem paucis expediamus ex Iuone Tiedemannus, ex eo Arnoldus, ex quo Tiedemannus, ex hoc Tadæus, ex illo Suffridus ex quo Ioachimus natus eſt.

Materna proſapia Hopperi.

Maternum genus Ioachimi nec minus antiquum nec minus ſplendidũ eſt, quam paternũ: Mater enim

Ioachimi

Anno Chriſti. *Ioachimi cui nomen erat Rixtia, filia fuit Feiconis à Pierſma Conſulis Snecani, cuius occaſione familia Hopperiana cognationem Pierſmanorum, Tierxmanorum, Iariganorum, & Sirxmanorum contraxit.*

Pierſmani enim huius Rixtiæ ratione acceſſerũt, cuius pater Feico conſul Snecanus, auus Tarquinius Conſul item Snecanus, proauus Aeliſius Pierſma fuit: Pierſmani hi ſedes antiquas habuerunt in Rauerdia vbi Arx etiam nunc Pierſmana ſupereſt, habueruntq; ibidem in templo maiorum ſuorum monumenta: Poſtea commigrarunt Snecam. Vbi etiam monumenta ſua in tẽplo, & domum prope ponte Iuſtitiæ habent.

Tierxmani ratione Feiconis ſupradicti accedunt: Tarquinius enim à Pierſma Feiconem filium ſuſtulit ex Rixtia Tierxmana cuius pater Douuo Conſul Snecanus, auus Sicco Tierxma vocabatur. Tierxmani ſedes antiquas habuerunt, in Flanderſen propè Rauerdiam, vbi etiam nunc eorum monumenta viſuntur, hinc poſtea Snecam immigrarunt.

Iarigani accedunt ratione Tideæ, quæ vxor fuit Feiconis ſupradicti: Hæc enim patrem habuit Rembertum Ioenkens ſiue Iariga ſeniorem ciuitatis Leouardienſis. Cuius pater fuit Iarichus Ioenkens Stauerienſis, Conſul Leouardienſis. Ex cuius poſteritate etiam deſcendit nobiliſſimus ille medicorum Phœnix Rembertus Dodonæus: Vt infra ſuo loco plenius deducemus: Hi Iarigani ſedes ſuas Leouardiæ & maiorum ſuorum monumenta ibidem in templo prædicatorum, & bona in ſuburbijs habent.

Sirma-

Sirxmani, deniq; accedunt ratione Rixtiæ Sirxmanæ, quæ mater Tideæ Iariganæ auia Rixtiæ Pierſinanæ, proauia Ioachimi Hopperi fuit: Hæc autem patrem habuit Dodonem à Sirxma ciuitatis Leouardienſis conſulem, auum verò paternum Allardum Sirxmam conſulem item Leouardienſem, & ex eodẽ patre fratrem Allardum: Huius Allardi filiæ fuerũt duæ, Tidea & Beitſia, filius vnus M. Tiepco V.I.C. & in ſuprema Friſiæ Curia Aduocatus. Huius filij ſunt, Bernardus, Allardus, ac Dodo: qui vt equidem puto ſuperſtites adhuc in adminiſtratione Reip. ſunt: Sirxmani autem originem à Snecanis trahunt. Sed poſtea Leouardiam commigrarunt, vbi & ſedes veteres, & prædia in ſuburbanis & maiorum monumẽta in templo prædicatorum ante chorum habent. — Anno Chriſti

Hæc de Ioachimi proſapia paulo fuſius hic explicuimus: Primùm, quod multarum antiquitatum explicandarum occaſionem nobis præbeat, quæ ad illuſtrandam Patriam noſtram plurimum conducunt. Deindeq; ad perſonas, quæ in hac genealogia recenſentur, commodè referri queant & aliæ, quæ harũ æquales extiterunt: Poſtremò, quod huc lectorem ſæpius remittamus hoc opere in Scriptoribus explicãdis qui familiæ Hopperianæ vel agnatione vel cognatione vel affinitate, iunctæ ſunt: Vt ſuis locis infra ſupraq; apparebit.

Natus eſt autem Ioachimus Hopperus ipſo die S. Martini, hoc eſt, 11. die Nouembris anno 1523 Snecæ, in ædibus aui materni, quo mater inſtante partu conceſſerat, habebat enim maritus auitum prædium in Hemelis propè Stauriã in quo morabatur: Vxor ꝓpè — Natiuitas Ioachimi & educatio.

 ex ſub-

Anno Chriſti. ex ſubſequenti puerperio interijt: Nec ipſe valde diu illi ſuperſtes fuit, quamquã poſt mortẽ huius Vxoris aliam duxit, ex qua Scheltonem habuit, vt dictũ eſt. Ideoq; Ioachimus parentibus orbatus apud auum & auiã porrò Sneca educatus eſt. Quia vero infanti nutrix idonea eueſtigio reperiri non potuit, honeſtam ciuem & vicinam ſuam, quæ nuper in Vigilia Aſſumptionis B. Mariæ filium enixa erat, auia conduxit, vt hunc nepotem ſuum, vna cum filio proprio ſuis vberibus aleret. Quod & non difficulter obtinuit: Hæc autem erat mater Dominici Bendixij de quo infra capite 1. Decade 14. dicturi ſumus. Vnde Ioachimus hunc Bendixium ſingulari ſemper amore proſecutus eſt. Vtpote cuius fuiſſet collactaneus.

Inclinatio. Ioachim. Ioachimus autem cum rei è natura factus eſſet, ab ipſa inde infantia manifeſtis indicijs mox declarauit, qui à libris quantumuis puer diuelli nunquam potuit. Quod animaduertens pro ſingulari prudentia ſua adfinis eius M. Ioannes Buygius puerum ſingulari amore complexus eſt, & non vano euentu prædixit in virum magnum eſſe euaſurum:

Inſtitutio Ioachi. Puer itaq; mature ſtudijs adhibitus Sneca rudimenta vtriuſq; linguæ & reliquarum artium triuialium fideliſſime iecit, præceptoribus vſus M. Ioanne Rodano Drento, & M Gerardo Leouardienſ: His ſe fultus anno 13. ætatis vna cum collactaneo ſuo Dominico Bendixio & alijs aliquot æqualibus Harlemum miſſus eſt. Vbi tum Scholæ celeberrimæ Rector præerat vir omni literarum genere inſtructus, & ad iuuentutem fœliciter inſtituendam ab ipſa natura factus M. Cornelius profeſſione Presbyter. Sub hoc exactis annis quatuor, ac Philoſophiſis diſcipli-

nis & politioribus literis probè inſtructus comitante Bendixio ſuo Louanium cōtendit: Hic ſe Iuridicæ facultati prorſus addixit, in qua tum publicos profeſſores inſignes habuit, quos audiret, Ioannem Haſium, Gabrielem Mudæum, & complures alios: Interim tamen vt legum fontes, & Iuris penetralia penitus rimaretur, Philoſophiæ tum Phiſicæ, tum Ethicæ diligentius incubuit. Philoſophiā autem ſectatus eſt, maxime Platonicam, quod hanc Iuriſcon. futuro plurimū conferre iudicaret. Cui cū & Methodum adiungeret, cuius ſemper ſtudioſiſſimus fuit, ad propoſitum ſtudiorum ſuorum ſcopum facilè peruenit, vt rectè iudicaret, quid ſingulis hominibus in ſolitaria, quid coniugibus in familiari, quid ciuibus in politica vita conueniret, & ſibi idcirco pro horū delectu, in officij deliberatione conſiliū certū eſſet. Triēnio his dato Pariſios, & deinde Aureliā profectus eſt. Vt & vſum linguæ Gallicæ cōpararet, & interim eruditorū amicitiā ſibi conciliaret, quorū collatione doctior euaderet. Hinc iā Italiā petere eodem conſilio propoſuerat, niſi rebus ipſius in patria ſic poſtulātibus, è medio curſu, eū reuocaſſet M. Io. Buyg. cuius prudētiæ multū tribuebat Rurſus itaq; Lou. toto conatu ad iur. prof. ſe cōformauit: Erat autē iā maxima apud iuris cādidatos eius expectatio propter conceptā de eius in omni diſciplinarum genere ſolida ſciētia opinionē, quam vt inde feſſus labor ipſi pepererat ita exercitia priuata cum laudatiſsimis iuuenibus frequētata auxerāt eruditorū eulogia publica confirmarant: Sumpſit igitur Louanij titulum licentiæ in vtroque iure. In cuius actu publico eiuſmodi ſpecimē eruditionis ſuæ dedit, vt in

Anno Chriſti.

Ioachimi profeſſio ad V.I. Lic.

 cele-

Anno Christi.

Ioachimi profeſsio Iuris honoraria.

Ioachimus confuſionē Barbaricam in Iure diſcutit.

celeberrimo Doctorum conuentu, facilè probaret famam de ſe ſparſam nequaquam eſſe vanam: Non ita multo poſt in publicum prodijt, & partim exercendi ſui cauſa, partim in gratiam ſtudioſæ iuuentutis Cathedram legitimæ profeſſionis conſcendit: Ex qua cum eius induſtriam applauſus, applauſum ſumma eruditorum frequentia conſequeretur, Antiſtites vniuerſitatis conatus eius, mox delata honoraria Iuris profeſſione promouerunt nullo ſtatuto ſtipendio, tantum vt doceret ex authoritate publica: Hac ſ[illegible]tus liberius potuit ab inueterata Barbarorum docendi conſuetudine deflectere, & ad puriorem illam veterum Iuris tranctandi rationem, iuuenum ſtudia reuocare: Quod Gabrieli Mudæo quamuis eruditiſſimo hactenus difficilè fuerat, obſtantibus Barbarorū Decretis, vt & nos ex Gabriele ſæpius corā audiuimus, & ſe quoque audiuiſſe in Gabrielis vita teſtatur Matthæus VVeſenbecius: Vt igitur plauſibiliorē redderet doctrinam ſuam, Iuris artem ſe traditurum profeſſus eſt, & idcirco Digeſtorum paratitla exorſus conſequentiam, titulorum in pandectis ratione ſubiecta declarauit, quod hactenus illic non modo inuſitatum erat, ſed & paradoxum quoque videbatur, quod plerisq; perſuaſum eſſet, non modo Romani iuris Authorem, Iuſtinianum hominem fuiſſe prorſus ἀναλφάβητον, ſed etiam ius ipſum in artis formam planè redigi non poſſe: Itaque vniuerſam iuris materiam in certa Capita contraxit, eademq; diuiſione in ſua membra diſtribuit, mēbra ipſa in genera diuiſit, generibus ſuas ſpecies attribuit, ipſasq; in diuidua reſoluit, ſingulisq; ſuas definitiones commodè ſub-

Anno Chriſti.

dè ſubiunxit. Sic vt partiendo, diuidendo, definiendo obſcuram hactenus artem illuſtret, & auditoribus ſuis magna cum voluptate conſpiciendam, ob oculos poneret: Atq; hæc quidem in generalibus: quæ tanto applauſu à ſtudioſis excepta ſunt, vt mox inſcio Authore opera hæc, quam in Pandectis præſtiterat, per quoſdam in tabulas contracta, & Coloniæ typis euulgata ſit: Et vniuerſitatis Antiſtites ex liberalitate ordinum Brabantiæ deinceps in ordinariã paratitlorum profeſsionem ſtipendio luculento conſtituerũt: Qua poſtea diu ſplendidiſsime functus eſt D. Ioannes Ramus Goſanus: In particulari autem titulorum legum & paragraphorum explicatione conſimilem viam ingreſſus, & adhibita arte Dialectica finem & ſcopum propoſiti tractatus primum aperuit. Deinde partes eiuſdem & membra ſingulatim demonſtrauit: Tum ſi qua cognata his, ſi qua ſimilia, ſi qua oppoſita, contraria aut repugnantia viderentur, ea ſingulatim diſcuſsit, & commoda deciſione aut diſtinxit, aut conciliauit. In his operam eius commendabat perſpicuitas ac breuitas. Obſcuritatem enim eo facilè vitabat, quod in Cathedram docturus nunquam aſcenderet, niſi diuturna meditatione rem plenè perſpectam haberet, quam traditurus venerat. Prolixitatem facilè effugit, qui candide docere, hoc eſt, paucis multa tradere conſtituerat. Nec illi vnquam probari potuit, illorum prolixitas, qui in ſingulis materijs totum ius docere ſatagunt, & in propoſito ſuo comprobãdo pati ſe gloriantur fluxum legũ: Ipſe enim indicatis Iuſtiniani veſtigijs Methodum oſtendit, qua omnia inter ſe cohærerent, tum ſingu-

Ioachimo conſtituitur ordinaria paratitiorum profeſsio.

Ioachimi Methodus

Anno Chriſti.

lis non modo τὸ ὅτι, ſed etiam τὸ διότι, & non modo proximas ſed etiã remotiſſimas cauſas ſubiecit: Cauſas ipſas quæ animæ legum ſunt, ex intimis naturæ penetralibus eruit, & diſtinctis artium terminis quatenus quæſtio propoſita vel ex œconomicis vel ex politicis, vel etiam ex Theologicis rationibus penderet diligenter admonuit: Quocirca ad hunc modum nõ minus in particularibus hiſce, quam in iſtis vniuerſalibus iuſta conſequentia demonſtrata merito ſuo Barbaros iſtos Iuriſtas perſtrinxit, & grauiter ac verè pronunciauit, eos nullam tenere Methodum, qui in Iuſtiniano Methodum deſiderarent: Hoc iudicium ſuum de Iuſtiniani arte in iure componẽdo præſtita. Ioachimus non modo viua voce ſuis auditoribus, ſed & vniuerſæ poſteritati ſcriptis æditis teſtatum reliquit: De Gabriele interim non immerito dici poterat quod de Latona dicit Poëta.

Mudæi tacitum pertentant gaudea pectus:

Delectabatur enim hoc ſucceſſu Ioachimi, in quo non modo ſingularem ingenij perſpicacitatem exoſculabatur, qua iuſtiniani veſtigia aſſequeretur, ſed & interpidam animi conſtantiam ſuſpiciebat, qua veritatem iuſtis rationibus compræhenſam nullius metu territus fortiter in mediũ proferret. Cum inde certatim alios exorituros nõ obſcure proſpiceret, qui inueteratam de confuſione Romani Iuris opinionem ex animis ſtudioſorũ porrò eximerent: Neq; ſanè poſtea quenquam comperi, qui palam vt antea, flagellare Iuſtinianum auſus ſit: Hieron tamen Elenus, qui ſe Ioach. in Gallia familiarem fuiſſe commemorat, & Matthæus Veſenbecinis, qui Gabriele Mudæo præce-

Aduerſarij Ioach.

ptor

Anno Chriſti.

ptore familiariter vſus fuit, à Ioachimo Eatenus hic diſſentiunt, vt negent Iuſtinianum in particulari ſingulorum materia, itidem vt in eorundem omnium vniuerſali conſequentia, de qua ſupra dictum eſt, Methodum obſeruaſſe. Contra quos Hopperi ſententiã nos euidentiſsimis rationibus defendimus in Metho. noſtra Iuſtinianæa, quã breui vna cũ Oeconomia & Harmonia Iuris in lucẽ Deo fauente daturi ſumus: Ioachimus interim inſtitutũ curſum ſuum fideliſsime cõfecit, & vxore ducta non multo poſt in vtroq; iure doctoratus inſignia accepit, actu celeberrimo, ad quẽ cum & alij multi amici ex Friſia, tũ & Præſes Vigl Zuiche. & patruus Hopperi, Galenus Hopperus con ſul Staurien. conuenerãt. Nã pater Suffrid. iã antea vita defunctus erat: Deinde autem Louanij domicilio conſtituto, Ioachimus ſtudioſos in conuictum ſuũ recepit, ad quorum profectum ſuiq; exercendi gratia priuatam quoq; diſciplinam domi ſuæ exorſus eſt Diſputationũ exercitia inſtituit. Inſtitutiones Imperiales prælegit, aliaſq; nonnullas in Iure præcipuas materias explicuit. Timæum quoq; Plat. græcum (ad quẽ & externos admittebat) in atrio domus ſuæ frequentiſsimo auditorũ concurſu enarrauit, in quo quãtus Philoſop. eſſet, præſenti experimento declarauit.

Ioachimi matrimoniũ & Doctoratus in V.I.

Ioachimi exercitia.

Duxit autem Ioachimus vxoeem Louanij egregiã virginem Criſtinam Bertolfiam: Cuius pater vir clariſſ. Dom. D. Gregorius Bertolfius, primus fuit in Friſia Prouincial. Senatus Præſes ſub Carolo V. de quo ſup. hoc opere c.10. dec. 10. Cuius matrimonij occaſione familiæ Hopperianæ acceſsit adfinitas & cognatio Scribonianorum, Edingianorũ, Bœmnxianorum. Itẽ

Ioachimi vxor, & eius nomine affinitates.

Anno Chriſti.

Tegnageliorum, Duyſkenorum, Mullerorum & aliorum Aquiſgrani, in Brabantia, Geldria, Bauaria.

Ioachimi celebritas.

Exactis autem aliquot annis in profeſſione iuris., cũ interim & conſultationibus conſcribendis vacaret, & ea occaſione multis etiam magnatibus innoteſceret, in oculis mox fuit Cenſiliarijs Secreti Senatus, apud Bruxellã. Cui præſidebat Viglius Zuichemus, in oculis fuit & Margaritæ Auſtriacæ Principi Parmenſi, quæ tum Belgium nomine Philippi Hiſpaniarum Regis gubernabat: Ideoq́, cũ in magno Belgij Senatu apud Mechliniam locus vacaret, Ioachimus ceu Regi maximè vtilis futurus defuncto ſubſtitutus eſt: Vbi cum Senatoria dignitate, tanta cum grauitate ac magnificentia fungeretur, vt omnium admirationem excitaret, Gubernatrici viſus eſt idoneus, qui in Secreto Senatu, ac deinde Conſilio ſtatus propinquioribus Regis negotijs adhiberetur. Ita Ioachimus quam diu Bruxellæ fuit, Viglio Zuichemo, & Cardinali, Granuellano, ſua diligentia permultum laboris ademit, cum in huius humeros reijceretur, quod ipſis alioqui exantlandum fuerat: Vidimus id coram Bruxellæ toto biennio, quo illic à Secretis Cardinali fuimus. Cum in alijs multis, tum etiam in negotio Vniuerſitatis Duacenſis, cui erigendæ, cũ Rex Cardinalem, Vigliũ & Hopperum præfeciſſet, illi mox Hopp. ſuas partes commiſerũt, ita vt ipſe iſtius vniuerſitatis fundamenta iecerit: Quæ cauſa fuit, vt audita eius morte ea vniuerſitas, illi exequiis, vt patrono parentaret, orationeq́, funebri eum pro Concione laudaret.

Ioach. cõſ. in magno Senatu Mechlinienſi.

Ioachimus in Cõſilium Secretum, & ſtatuum allectus.

Triumuiri erigendæ Vniuerſiatis Duacenſis.

Ioachim. in Hiſpan. euocatur ad Regem.

Poſt hæc ampliſſimo viro Carolo Tiſenaco, cui apud

pud Regem in Hiſpania rerum belgicarum guber- Anno Chriſti.
nacula commiſſa erant, ad ſuos redire cupiente, Ioachimus poſtulante Rege in illius locum profectus eſt, poſtridie Calendas Apriles anno 1566. Relicta interim vxore cum libris Bruxellæ, quam ad ſe iſtuc poſtea euocauit: Deceſſum eius mox per Belgium Motus Belgici.
motus ac tumultus ingẽs ſubſecutus eſt. Quinto enim eiuſdem menſis die ſupplex iſte libellus à Brederodijs Gubernatrici fuit exhibitus, quo edictorum relaxatio petebatur, quæ ad Catholicæ Religionis cuſtodiam, iuſto (vt aſſerebatur) arctiorem ab Rege promulgata videbantur. Vnde nouæ conciones propè Antuerpiam primum, & deinde pluribus in locis conſtitutæ, & imagines templis eiectæ ſunt, quæ primordia fuerunt omnis calamitatis huius, quæ inferiorem Germaniam hactenus affligit: Ioachimum autem in Hiſpania aduenientem Regia Maieſtas inſigni humanitate excepit; & ſummi Conſiliarij Status Belgici dignitate, ac Regij Sigilli præfectura ornauit:

In eius magiſtratus adminiſtratione, ſummæ ad- Ioachimi dignitas in Hiſpania.
mirationi, apud omnes Hiſpanos fuit, ipſumq; Regem bonis artibus prudentia, iuſtitia, vigilantia, & (quam ille maximè amat) conſulendi libertate, ac ſinceritate adeo deuinxit, vt illi Dominium in Dalem, & peculiare venandi ius in Gaſterlandia (quæ pars eſt Occidentalis Friſiæ) tandemq; etiam nihil minus expectanti, aut ambienti equeſtrem dignitatem ac Ius aureorum Calcarium ſponte ſua contulerit, iiſdem ſolennibus eodemq; die quo Ioanni Auſtriaco, nudato ſcilicet gladio humerum eius leniter

L 5 pro

Anno Chriſti. *pro more verberans. Qui honor non niſi ob ſingularē virtutem, reſq; illuſtres geſtas conferri ſolet,*

Ioachimi morbus. *Nouennio autem in Hiſpania feliciter tranſacto, & grauiſſimis interim laboribus fortiter exantlatis, cœpit illi corporis robur paulatim minui (vigore tamen animi nihil flacceſcente) ac tandem in Phtiſin incidit, quæ indies incrementum ſumens ita humidum radicale omne abſumpſit, vt deiectis corporis viribus vltimo anno, qui mortē præceſſit, pauciſſimo cibo (ſtomacho in dirigendo officium nō amplius faciente) vitā ſuſtentauit: Cum autē ſibi mortem iā imminere præſentiret, duabus ferme horis antequā ex hac vita migraret, ad Regiā M. literas ſubſignauit, quibus ſua in Remp. officia, ſeruitiaq; ipſius Maieſt. fideliſſima mente præſtita commendebat, Regiam eius M. rogabat. vt ſuæ coniugis futuræ Viduæ, liberorumq; pupillorū curam ſuſcipere dignaretur, quā illi ſe publicis rebus ſeruitijſq; eius Maieſt. debitis per omnem vitam poſtpoſuiſſe ſanctè affirmabat. Atq; omnia fauſta Regi ac D. ſuo precatus vltimum valèdixit: Hora autem mortis aduenіente, cū liberis coniunctiſq; ſuis benedixiſſet, Miſſæ ſacrificiū in cubiculo celebrari iuſſit: in quo cū eleuatio corporis dominici fieret, ipſe ſe magno niſu ſubleuauit, pileoq; capiti detracto, cortinā lectuli manu reduxit, ac Sacramentum venerabūdus*

Ioachimi mors ac ſepultura. *adorauit. Neq; Albā ſacerdos adhuc exuerat, cū ſpiritum lacrimantibus omnibus qui aderāt, etiā extraneis in Dom. emiſit: Mortuus eſt 15 die Decē. a 1576 Madriti, ſepultuſq; in AEde S. Trinit. via Iochiana.*

Conſolatio Regis ad Viduā Ioachimi. *Rex autem nunciata Hopperi morte, ex nobilibus ſuis quendā ad ædes eius miſit. Vidua hæc dicturum*

Regian

Regiā M. dolēter morte eius eſſe affectū. iubere Vidu
am liberoſq; bono eſſe animo, ſe enim poſthac eorum
curam ſuſcepturum, atq; etiam pupillis eius patris
loco eſſe futurum: Qua ſumma conſolatione anmi il-
lorū erecti paululū & lapſis diebus aliquot, iuſta fa-
cta ſunt, ijs ſolemnitatibus quas gentis illius atq; illu
ſtris conditio dignitaſq; defuncti exigebant: Txequiæ
cum tanto noſtratium hominū dolore celebratæ ſunt
vt nobiliſſimi quiq; aulæ proceres quaſi miniſtri hu-
meris ſuis feretrum ſuſtulerint.

Anno Chriſti.

Regia deinde M. viduā liberoſq; in Belgium redi-
re cupientes annua mille florenorum penſione data
ad vitā viaticoq; duodecem milium florenorum ſup-
peditato Coloniam Agrip petere, ibidemq; ſubſiſtere
iuſſit: Vt filiorū ſtudijs otiū trāquillitaſq; ſuppeteret.
Donec rebus in Belgio pacatis in patriā reditus pate
ret: Ex quo Regis mandato euidenter apparet, non
fuiſſe Regis mentem, vt Colonia inter eas Acad. exter
as comprehēderetur quæ edicto Ducis Albani Belgis
Regi ſubditis interdictæ ſunt: Itaq; vidua Germaniā
petijt, & Coloniæ vna cum liberis ſubſitit, donec Ant
uerpia recuperata Bruxellam con ederet.

Liberalitas Regis in viduā & liberos Hopperi.

Regis iudiciū de ſtudio Colonienſi.

Vixit Ioachim. annis 53. menſe vno diebuſq; quinq;
vir immortali vita digniſſimus, vt qui egregijs tum
corporis tum animi dotibus conſpicuus fuit. Erat e-
nim in Heroica ſtaturæ proceritate mebrorū quadā
apta concinnitas quæ gratiā ſingularē toti corpori cō
ſiliabat: Crines flaui, vultus grauitate plenus, faies to
ta virilis, lata frōs, oculi cæſij, naſus nec ſimus nec aqui
linus ſed intermedius & intermedio tubere ſublimis.
Cute cādidiſſima, humeris latis amplo pectore, cruri

Proſopographia Ioachimi.

bus

Anno Chriſti.

bus validis ac bene compactis. Vox virilis & interim tamen ſuauis ac blanda, laborum patientiam ipſa natura illi inſeuerat maximam: Valetudo illi ab ineunte ætate varia & minus firma fuit: Quod illi ex duabus cauſis eueniſſe, Dominicus ille Bendixius aſſerebat: In pueritia enim ab auia materna nimijs delicijs illi naturam fuiſſe debilitatam, & ſtudijs deinde nimijs atq; intempeſtiuis porrò afflictam. Hinc enim in concoctione cruditas ex cruditate dentium præmatura luxatio, quæ etiam voci, præſertim cum intendebatur, notabile impedimentum adferebat. Hinc deniq; phthiſis illa promanauit, quæ mortẽ illi præmaturam attulit, quamuis hanc & curæ prouocauerint, quas de Belgij ſucceſſu ſuſtinebat.

Ingenium & mores.

Ingenio fuit ab ineunte ætate præſtantiſſimo, cum & captus eſſet facilis, & memoria tenax, & rectũ iudicium: Accedebat natularis inclinatio ad Iuriſprudentiam, quæ huic arti aptiorem reddidit: Amator iuſtitiæ fuit ſemper maximus: Auaritiam cane peius & angui odit, libidinem deteſtatus eſt, luxum multo magis: ad honores ac dignitates acceſſit nõ ambitione ſed virtute, vt, qui eas non aliter quam debitum laboribus ſuis præmium acciperet, quo potius pluribus benefacere poſſet: Animo enim erat præmagno & ſublimi, à rebus caducis abductiſſimo eaſq; certa ratione deſpiciente: Secretò ſibi præſcripſerat iam inde ab adoleſcentia exercitia pietatis continua, rigida etiam & aſpera, vltra quam cuiquam credibile ſit, cum interea Comis tamen eſſet & affabilis, & non tantum in adminiſtratione ſibi commiſſa Reip. abunde, & quidem alacriter ſatisfaceret, ſed & vnicuiq; ſe con-

ſulendum

ſulendum benigne præberet: Ad communem Reipub. vſum actiones ſuas omnes dirigebat, ſuis aut amicorum priuatis affectibus, niſi cum virtute coniuncti eſſent, nihil indulgebat: Vnde neq; conterraneos, neq; cognatos vnquam ad publica munera vnquam promouere voluit, niſi quorum idoneam aptitudinem penitus proſpexiſſet: Vxori etiam ſuæ hortanti interdum liberorum ſuorum haberet curam, & eorum gratia proinde à Regia Maieſtate pro ſeruitio diu iã præſtito compenſationem aliquam flagitaret, Reſpondit ſperare ſe liberis ſuis mediocres facultates eſſe relicturum, quibus honeſte poſſent viuere ſi frugi forẽt, ſin minus, nimium habituros aiebat. Anno Chriſti.

Liberos Ioachimus ex Vxore ſua Criſtina ſuſtulit octo quatuor ſcilicet filios, ac totidem filias. Primogenitus eius filius Sedeuardus, qui aui paterni nomen referebat infans perijt, eodemq; die, Louanij elatus eſt, quo patris opus de arte Iuris ibidem typis abſolutum in lucem prodijt: Secundò genitus filius, aui materni nomine Gregorius appellatus eſt, qui patri ſuperſtes, adhuc laus Deo viuit, & omni artium genere ornatus, viſa Hiſpania, Italia, Gallia, vtraque Germania, perceptiſq; earum nationum linguis, omni conatu patris veſtigijs inſiſtit, vt & ipſe exemplo paterno Rempublicam in parte ſibi committendam adminiſtret. Qui quidem quantum eruditione, ac iudicio valeat præfationibus ſuis abunde declarauit, quas operibus paternis de vera Iuriſprudentia, & Pſalm. Dauidicorum interpretatione præfixit. Tertiogenitus filius, de nomine patrui magni Gaius nominatus eſt, qui itidem ſuperſtes adhuc viuit, adolſe-

Ioachimi liberi.

cens

Anno Chri-ſti-

cens egregius, in literis ac Virtute plane patriſſans qui in Vniuerſitate duacenſi hodie ſuperatis iam diſficultatibus philoſophiæ Ius ciuile cum Cañonico cõiungit, totoq; pectore ſe functionib. eccleſiaſticis pr. parat ſedis Apoſtolicæ protonotarius iam creatus. Quarto genitus filius nomine Tiedemannus, puer i Hiſpania periȷt, decimo die ex quo cum matre adu nerat Filiam natu maximam catharinam, ipſe Ioachimus ante profectionem Hiſpanicam deſponderat præſtantiſſimo Dn Cornelio Vander Myl filio A noldi vander Myl, Conſulis drodracenſis Arcis Goudanæ præfecto quæ eſt ſine liberis mortua: Filian ſecundo natā Rixtiam mater ſua deſpondit nobiliſſmo Viro ac Dom. Cornelio Van Durgh, Zelando Reliquæ duæ filiæ Ida, & Tidea, hactenus innuptæ ſunt.

Etymologia aliquot nominum friſicorum in familia Hopperi:

Quod autem primogenito Hopperi filio nomen aui paterni, & tertieo genito nomē patrui ſui magni inditum eſſe diximus, cum in Genealogia Ioachimi ſupra poſita neque ſedeuardus neque Gaius v. lus referatur: Sed Iocabimi pater illic Suffridus, patruus autem Galneus apelletur, vt conſtet illa cū hi eſſe eadem, forte rem non ingratam lectori ſtudioſo fecerimus, ſi paucis explicuerimus Ioachimi conſilium, quo Vſus eſt in mitigatione patriorum nominum, quorum pronūciatio exteris alioqui peregrina ac duriuſcula fore Videbatur. Pater Ioachimi mono ſyllabum nomē habebat ſiurd. Quod vt in Friſia V ſ tatiſſimū eſt, ita quiſquis adeptus eſt, ilic latine ſuffridus appellari ſolet: in quo quidem latino cum nulli friſici Veſtigiū appareat, Ioachimis filiū, Sedauard-

Siurd. ſedeuard.

num appellauit qui vulgo ſedeuard diceretur, q́ friſica lingua cōtraxit in Siurd. fit enim ex ſedeuard, primū eliſo. d. Seevard deinde duobus e. e. breuibus in. longum ſuard, tandemque eliſo. a. Siurd. nam huiuſmodi grammaticis dictionum figuris lingua friſica non minus commode vtitur, quam aut latina aut græca: Siue igitur ſuardum ſiue ſedeuardum voces in vtroque ratio contractionis etymologiā, etymologia ſignificationē nominis friſici declarat: Significat enim ſedeuard communi germanica lingua idem q́ latine cuſtos legum, & græca νομόφυλαξ Sedenerum mores, Varden cuſtodire germani dicunt quare & ſedeuardi titulū operi ſuo Hopperus indidit, quod de vera Iuriſprudentia cōſcripſit, vt in catologo librorum eius infra apparebit Ioachimus itaq; integra figura Sedevardum dixit alij ex prima contractione ſiuardum maluerunt, quo nomine Hengſtianus ille capitaneus in proſapia Hopperiana ſupra & quatuor Danorum Reges memorantur ſiuardus primus ſecundus, tertius, & quartus, & vulgo etiā vtrobiq; hodie vſurpatur tam apud Danos, quam apud Friſios. Nec enim conſtat hactenus vtrum ne a danis ad Friſios, in à friſijs ad Danos hoc nomen tranſlatum ſit ob ſolita olim inter eos commercia: Friſij certe forma maxime contracta ſiurd & nunc vtuntur Vulgo, & antiquitus vſi ſunt non alia ſignificatione quam ea, quam primitiuum eius ſedeuard, indicat, & nomen ſuaue appellarunt, quod ad eius ingeminatam acclamationem in conuiuijs ſe mutuis ſuauiis excipere conuiuiæ ſoleant: Vt in communialibus Friſiorum legibus plenius de-

Anno Chriſti.

clara

Anno Chriſti.

Gaius Galenus,

claraturi ſumus: Iam cur tertium filium ſuum Gaium vocauerit, cum patruus ipſius, cuius nomen ille referre debebat Galenus appellaretur, conſimilis ferme ratio eſt. Friſoni, primo gentis Friſonicæ cōditori filius fuit Galo, qui ducentis amplius annis ante natum Chri. vixit. Cuius nomen hodie in Friſia quis refert Gaele & blandiendi gratia diminutiuè Gaeltl is vel etiam Gaeltſe, vel deniq; Gatſe, & latinè Galenus dicitur. Ioachimus itaq; cum patruus ipſius vulgò Galtſe diceretur, filium ſuum non Galenum, ſed Galium, & eliſo L Gaium nominauit: Cum & in friſico partim nomine ſuccedenti contractione litera L. eliditur. Matri Hopperi nomen fuiſſe Rixtiam, ſupradiximus, quod Saxonū ſcriptores aliquot Rixā dicunt, ad ſenſum odioſe, ad etymologiam inepte. Vſitatum eſt enim in Friſia, vt alibi nomen mulieribus Rijck, viris Rijcke, quod eſt, Diues: Huius comparatiuum ſubſtantiuè in vſu non eſt, ſed ſuperlatiuum Rijxt in vſu eſt, tantum fœminis, & ſignificat ditiſſimam, ſiue optimè dotatam: Ideoque nos non Rixam, ſed Rixtiam appellamus: Vt in Latino nomine germanicā etymologiam vtcumq; indicemus.

Rijxt.

Hactenus de Ioachimi patre, auo matre & liberis transeamus nunc ad eius libros, quos plures ille ſcripſit, quam ſcribi potuiſſe quiſquam credat ab eo homine, qui tam multis, tamq; arduis negotijs continuè diſtrictus fuit: Qui typis excuſi iam dudum extant, ex publicis Bibliothecis peti poſſunt: Qui verò poſt Authoris mortem prælo commiſſi fuerunt, eorum catalogum infra ſubijciemus: Hic interim pauca dicemus

Libri Ioachimi non editi.

mus

cemus de iis, qui olim concepti quidem, vel etiam ab ſoluti, tamen in lucem nunquam prodierunt, nec vnquam fortè proditurі ſunt. Anno Chriſti.

Promiſerat nobis in præfatione operis ſui de artè Iuris, libros duodecim de antiqua Fr ſiorum Repub. quos magno deſiderio noſtrates expectauerunt: Con quiſiuerat eorum gratia per amicos ex diuerſis mūdi plagis diuerſa antiquitatum monumenta, quæ ſibi ab ipſo Mechlìniæ exhibita fuiſſe, mihi coram hic Coloniæ retulit, atq; etiam ſcriptis literis aſſeuerauit collactaneus eius Dominicus ille Bendixius: Sed neq; de libris iſtis quos promiſit, neq; de ſubſidiis, quæ horum cauſa conquiſiuit, quid actum porrò ſit, liquido quiſquam definire poteſt: Sunt qui ſuſpicantur libros iam abſolutos in Hiſpania poſt eius mortem à quodam infideli amico fuiſſe interceptos, ea coniectura ducti quod in aduerſariis Authoris, eorum quædam fragmenta reperiantur (quæ & nos vidimus) vnde colligi poſſet, ſolidiora illa, quæ ex his facta erant, iam fuiſſe poſtea abſoluta: Sunt qui ſuſpicantur eos in Arce Goudana, apud Præfectum eius, generū ſuum D Cornelium vander Myl, apud quem eos Hiſpaniam petiturus ipſe vna cum reliqua Bibliotheca ſua depoſuerat, ſimul cum reliquis antiquitatum Friſicarum ſubſidiis fuiſſe direptos. Hanc enim arcem primum ab Hollandicis militibus occupatam, & ſupellectilem librariam totam, ab his prædæ nomine diſtractam fuiſſe, ac deinde in manus Hiſpani etiam militis perueniſſe, ſatis conſtat. Paucis admodum libris amicorum beneuolentia recuperatis: Vtcumq; hoc ſit, mihi filii hic Coloniæ tres illius tabulas, ſiue chartas

3. Tabulæ Ioach. Hopperi de Friſia.

Anno Christi.

chartas, ſiue mappas appellare malis exhibuerunt. Quarum prima ſitũ Friſiæ exprimebat, quem habuerit ſub Auguſto Cæſare. Secunda eum quem ſub Carolo magno, tertia eum quem ſub poteſtatibus habuerit: Sæpius enim vel eluuione, vel alluuione, vel inundatione tota facies Friſiæ immutata eſt. Quarta tabula præſentem ſitũ exhibere debuerat, ſiue ea compoſita ab ipſo non fuerit, ſiue interciderit, certè deſiderabatur: Tribus iſtis equidem magnoperè fui delectatus. Ideoq́; viduam ac filios hortatus ſum vt in memoriam parentis eas excuſas ad poſteritatem tranſmitterent: Quamquam enim Author in his forte rem acu vbique non tetigerit, tamen quia patriæ ſuæ ſitũ norat, & antiquitates eius callebat, locis deſcribendis vbiq; rerum in his geſtarum lumen addidit, in quibus multa prodidit ſcitu digniſsima, quæ extranei ſcriptores ob ignorantiam ne attingunt quidem: Argumento ſit tabula prima, quæ iam extat in mappa Sibrandi Leonis, vt in illo latius diximus capite. 5. decad. 13. Abrahamus quoq; Ortelius eandem tabulam hinc accepit atq; in lucem dedit adiunctam Friſiæ hodiernæ.

Origo gentis Friſonicæ.

Vidimus etiam filiis hic exhibentibus aduerſaria Ioachimi de origine gentis Friſonicæ, quæ Epitomes titulo conſcripta erant, quaſi ex opere quodam pleniori deſcriptæ: In quibus cum alia quædam ſumus admirati, tum & illud quoque quod noſtræ nationi magnam ſcriberet fuiſſe notitiam, & amicitiam cum gente Hyperborea: Quam opinionem illic nec nuperam aut recentem, ſed inueteratam & penitus infixam fuiſſe, decrarat ipſe in Themide ſua: Scripſit enim

enim ad imitationem Cebetis Thebani tabulam vitæ humanæ, cui titulum fecit Themis Hyperborea, ſiue de tabula Regum Friſiæ: In qua Friſiorum antiquã Remp. blicam Philoſophia veterum ſubnixam eſſe demonſtrat: Huius tabulæ interpretem introducit ſenem quendam Hyperboreum, qui hanc Friſiorum doctrinam Hyperboream eſſe aſſerit: Erat enim Ioachimus in antiqua hac Græcorum Theoria verſatiſſimus cum non modo in Philoſophicis ipſis, ſed & in poëtis etiam ac Theologis ipſorum operam diligentem poſuerit: Themis autem hæc iam publicata extat, vt mox apparebit in catalogo operum eius: Cõmentaria in Platonis Timæum, quanquam nondum abſoluta Bruxellæ nobis aliquando exhibuit: Magica etiam Oracula ſucceſſorum Zoroaſtris ibidem cõmentarijs illuſtrare decreuerat. Ideoq́, cum exemplar græcum vna cum ſcholijs quod habebat, mendoſiſſime excuſſum eſſet, nobis repurgandum dedit: Quod proinde non modo emendauimus, ſed in latinum quoq́ tranſtulimus, ita vt carmen carmine, proſam proſa redderemus: Quid Ioachimus deinde in his egerit, planè ignoramus: Hæredes certè negant, poſt obitum ipſius, vel illius, vel meũ quicquam, quod quidem ad hoc inſtitutum pertineret, repertum eſſe: Placuiſſe ei operam à me in his poſitam, ex duobus viris doctiſſimis Iacobo Suſio, & Iacobo Endio Hollandiæ tutore quibus & ipſis ab eo exhibita placuit, coram poſtea intellexi. Doleo autem intercidiſſe operam Ioachimi, doleo intercidiſſe exemplar illud græcum: Nam cum antea nullum aliud viderim,

Anno Chriſti.

Themis Hyperborea.

Commentaria in Timæum Platonis.

Oracula Magica ſucceſſorum Zoroaſtris

Anno Chri-ſti. *quam illud vnum à Ioachimo acceperam, eo reddito nullum hactenus aliud nanciſci potui, quod ſi potuiſſem emendationem meam textui græco etiam nunc addere poſſem.*

Ioachimi opera in lucem edita. *Quod ad ſcripta Hopperi in vniuerſum attinet, ea quæ Typis excuſa, aut ab Authore dum viueret reuiſa & interdum recuſa ſunt, ex Bibliothecis publicis, vt ſupra dictum eſt peti poſſunt. Sed cum Author ante mortem ſuam quibuſdam horum aliam formam, quibuſdam aliam claſſem dederit, complura etiam alia adiecerit, nonnulla etiam ſubſtulerit, omnia autem in certum ordinem redegerit, nos hunc tantum catalogum hic proponemus qui hæredum opera & ſtudio in lucem dati ſunt, in quo ſunt hæc:*

Sedeuardus, ſiue de vera iuriſprudentia ad Regē libri 12. nempe.

νομοθετίδες, ſiue de Iuris ac legum condendarum ſcientia libri 4.

Rerum diuinarum & humanarum, ſiue de Iure publico libri 4.

Ad Pandectas, ſiue de Iure Ciuili priuato libri 4.

Themis Hyperborea, ſiue de tabula Regum Friſiæ liber 1.

Ferdinandus, ſiue de inſtitutione Principis liber vnus.

Hæc ſimul excuſa ſunt in folio Antuerpiæ in officina Plantiniana apud viduam & Ioannem Moretū anno 1590.

Item.

In veram Iuriſprudentiam Iſagogas ad filium libri octo.

Nempe:

Nempe:

Paratitlon Iuris Ciuilis, ſiue de diuinarum & humanarum rerum principijs libri 4.

Elementorum Iuris, ſiue de principijs iuſti, libri 4.

Hæc ſimul excuſa ſunt Coloniæ in 8 apud Maternum Cholinum anno 1580.

Item.

Paraphraſis in Pſalmos Dauidicos additis breuibus gumentis & explicationibus in quinque libros congeſta.

Cum libro de vſu & diuiſione Pſalmorum.

Hæc ſimul excuſa ſunt Antuerpiæ ex officina Plantiniana: apud viduam & Ioannem Moretum an. 1590

Hæc ſunt candide Lector, quæ in præſenti de Ioachimo Hoppero dicenda putauimus. Non quod eius virtus, tum in literis, tum etiam in actis ciuibus nō plura meruerit, ſed quod nobis inſtituti noſtri ratione hæc ſufficiant, cui modus adhibendus fuit. Deinde quod cætera præſertim politica, alias commodius tradi poterint. Iam enim hæc potiſſimum, quæ omnia coram vidimus memoriæ mandamus, ne poſteritati in eo deeſſemus, quod ad explicationem propoſiti noſtri neceſſarium erat, & citra iacturam veritatis omitti non potuit.

AMPLISSIMVS CLARISSImuſque D. Cyprianus Vomelius à Stabert, Ioachimo Hoppero hoc Epitaphium poſuit.

Anno Chriſti.

Proh dolor eripuit terris cita mors Ioachimum
Hopperum Friſiæ non mediocre decus:
Nam licet Hiſpanis Regum conſultus in oris,
Snecana fuerat natus in vrbe tamen:
Sneca dole, tuus ecce iacet patronus, at ingens
Gloria non vllo eſt, interitura die,
Quam ſibi, quam patriæ ſtudio flagrante pararat,
Aſtræam nullo fine modoq; colens.

10. Viglius Zuichemus.

Viglius ipſe vitā ſuā compoſuit

CVM Viglius Zuichemus ipſe vitam ſuam ab ipſa natiuitate, vſq; ad obitum accuratiſsimè deſcripſerit, niſi me præſentis operis inſtitutum huc impuliſſet, in quo ſine offenſa omnium bonorum omittere eum non potui, equidem hunc de eo tractatum, hic nequaquam inſtituiſſem: Integram enim eius vitam hic Lectori ingerere ſatis importunum, aliquid autē ab ea reſecare, non parum temerariū fortaſſe videatur: Interim tamen cum noſtri inſtituti non ſit omnia hic proſequi, quæ ipſe in vita egit, ſed ea tantum quæ rei literariæ gracia geſsit, placuit vitæ integræ editionem, ita vt ab ipſo ſcripta eſt, poſteris eius illibatam remittere & ea tantum hic referre quæ ad ipſius vitæ decurſum, & ſtudiorū rationē ſpectant: Nam politicis eius actionibus referendis alibi commodius tēpus ſuppetet.

Viglij natiuitas, & parentes nomen ac cognomen.

Viglius igitur natus eſt in villa Barrahuſia, quæ diſtat ab Leouardia primaria Friſiæ vrbe, ſub Parochia Virdumenſi dimidio duntaxat miliari, peramoeno loco ſita, & foſsis vndiq; cincta, & fructiferis aliiſq; arboribus conſita, quæ tum ad Monaſterium Ca

keni-

noni: orum Regularium in Bergum pertinebat, ac po- Anno Chri- ſti.
ſtea patri Viglij ab iiſdem Cononicis in Emphiteuſin
data fuit: patrem habuit Folcardum ab Aytta. Eſt
autem familia Ayttanorum, apud nos perantiqua,
& olim inter nobiliſsimas reputata. Quamquam bo-
nis poſtea partim per multiplices hæreditates diſtra
ctis, partim per nobilium factiones (quæ ante Caro-
lum Quinctum centum amplius annis patriam affli-
xerāt) attritis, multū potentiæ & proinde etiā autho
ritatis ac gratiæ amiſerit. Quod & aliis etiā nobiliſſ.
ac potentiſſ. familiis in Friſia, vt & alibi, accidiſſe,
nemo negauerit: Quanquam autem in Barrahuſia
natus ſit, & ex familia Ayttana originem traxerit,
tamen neq; Barrahuſius, neq; Ayttanus, ſed Zuichẽ-
mus cognominari voluit, tum quod in hoc patrui
Buchonis exemplum ſequi voluerit: tum etiam quod
paternæ auitæq; villæ, ſe ſucceſſorem fore preſagie-
bat, vbi etiam in eius Ius omnia prædia, agerque vni-
uerſus in pago Zuichemenſi, præter ea quæ Iuris ſunt
Eccleſiaſtici poſtea ceſſere. Eſt autem Zuichemum
pagus territorij Leouardiani, qui Auſtrū verſus vno
fere miliari ab Leouardia diſtat intra quem & Leo-
uardiam Barrahuſia villa medio ferè itinere ſita eſt.
Porrò autem Gerbrandus ab Aytta, Viglij auus pater
nus, vxorem duxit Ietſiā à Bouckema, cum qua com
moratus in Zuichemo multas proles ſuſtulit, inter
quas filios præcipu è duos, Buchonem & Folcardum.
Bucho iſte euaſit in virum ſummum, qui & erudi-
tione & virtute ſua, patriā ſuam mirifice illuſtrauit.
De quo ex profeſſo dicturi ſumus in opere quod bre-
ui emittemus de præſidibus & cōſiliariis in ſuprema

Anno Chriſti. *Curia Friſiæ: Folcardus autem qui parentibus ſuis filius natu minimus erat, cum ad virilem ætatem peruenisset, vxorem duxit in pago Veidemo habitantē, virginē egregiam Idam ab Hania: Cuius pater Viglius ab Hania, mater Rintſia à Bonninga fuit: Vterq; autem parēs Idæ ibi fuit, cum primis honeſti nominis primariæq; nobilitatis familijs ſanguine & affinitate iunctus, pater enim ex Serapione Hania, quæ latiſſima in Friſia familia eſt genitus, matrem ipſe habuit Gelam à Camſtra, Viglij à Camſtra (à quo omnes Cāſtrenſes hodie deſcendunt) filiam: Mater vero matrona inſignis ex Bonningana, Renardanaq; ſtirpe procreata, Albadanam, Harinxmanam ac VViardanam familias propinquitate attingebat: Folcardus porro tametſi & alia prædia haberet Barrahuſiam tamen Villam vna cum Ida coniuge ſua incoluit, vbi duodecem ferè annis continuis ſuauiſſime vixit, & ſex liberos procreauit. Gerbrādum primū, Viglium, Rintſium, Serapionem & Rintſiam, & Gerbrandū ſecundum: Gerbrandus ille primogenitus filius octennis in albis perijt anno 1513. in cuius locum ſubrogatus Viglius & à patruo aſſumptus, ſex ferè annis in eius familia Leouardiæ fuit. Quo tempore tametſi præceptoribus traditus eſſet, parum admodum profecit, partim quod patruus Dom. Bucho, tempore tū turbulento, ſtudijs eius intendere non poſſet, varijs Reip. negotijs legationibuſq; diſtractus, partim quod magiſtri ſæpenumero mutarētur: Primum enim à patrui ſacellano, prima literarum rudimenta didicit, deine in pub. ſcholā deductus, Gammaticā & cantū Eccleſiaſticum diſcere cœpit, hinc ad ſcholam priua-*

Educatio & inſtitutio Viglij.

tam cuiuſdam M. Ioannis cognomento Craßi deductus eſt: Verum eo peſte anno 1516. ſublato, cum diu proprio præceptore caruiſſet, ad pub. rurſus ludum acceßit: Sed cum ibi in multitudine negligentius inſtitueretur, tandem obtigit illi præceptor quidam non indoctus nec indiligens M. Anthonius Colonienſis, apud quem in priuata ſchola tantum profecit, vt iã maiori alicui ſcholæ idoneus haberetur. Itaq; ad ſcholam Dauentrienſem, quæ tunc inter particularia gymnaſia florebat, eum patruus ablegauit: Quo ſub initiũ anni 1519. deductus, ibidem primum ſeptimæ claſſi adſcriptus, ex ea deinde ad ſextam & quintam aſcendit: Nomen proprium quod Viglonem, ſeu Vigerum vulgus vocabat, ipſe Viglium matriculæ ſcholaſticæ inſcribi ſe fecit. Viglij autem nomen in memoriam aui materni Viglij ab Hania ei inditum fuit, qui ab auo quoque ſuo materno Viglio à Camſtra, idem nomen prius acceperat. Reuocatus autem à Patre ex Dauentria menſe maio anni ſequentis in Friſiam, ab eo paulo poſt cum fratre Rimſio miſſus fuit ad patruũ Buchonem in Hollandiam, qui tum in Haga Comitis morabatur, Aedis ſiue Capellæ principalis Decanus, à quo deinde anno 1520. ſub feſtum D. Ioannis, apud Leydam inſtituendus, traditus fuit M. Gulielmo Verio, qui præcipuorum procerum Hollandiæ filios, tum ibi in primis literis inſtituebat, ac tandẽ ſub finem anni viceſimi primi in Hagam rediens operã dedit aliquot menſibus Iac. Volcardo Bergẽſi, viro inſigniter in Lat. Græciſq; literis erudito, cuius extat perelegans oratio ꝙlibetica de vſu eloquentiæ in obeundis muneribus publicis: Menſe deinde Octo-

Anno Chriſti.

Anno Chri-
ſti.

Viglius Lo
uaniū petit

Seuerinus
à Feyta.

bri anno 1522. Cum eodem Volcardo Louanium miſſus, habitatum iuit apud Bogardos, vſq; ad feſtū Paſchæ, anno 1524. Vnde cum eodem migrauit ad M. Egidium à Mola Mechlinienſem prope capellam clericorum: Duobus autem primis annis græcis latiniſque ac humanioribus literis operam dabat. Cum priuatim apud eundem M. Iacobum, tum publicè ſub profeſſoribus Conrado Coclenio & Rutgero Reſcio. Donec eum patruus Bucho in Hagam anno 1525. ad ſe ſub tempus vacationum Scholaſticarum euocans, aptum iudicauit, vt ad Iuris diſciplinam (cum inſtitutiones iam pridem ſub Doct. Io. Haſio audire cœpiſſet) ſerio animū applicaret: Non grauatus autē fuit ipſe Bucho illum in primis elementis iuris, quæ olim publicè priuatimq; apud Louaniū profeſſus erat, plenius quoq; inſtituere: A quo deinde Louanium remiſſus fuit, vt prædictum iuris ſtudiū diligentius perſequeretur, ac ibidē eodem anno audire cœpit Doctorē Nicolaum à Bruxella ordinarium legum Profeſſorē tempore matutino: Pace autem cum Gallis capto Rege, ſperata, ad Academ aliquā Gall. ablegare eū patruus ipſius conſtituit, verū cum inuita cū Gallis concordia effectū non ſortiretur, pecuniā ad cōparandos libros I. Ciuilis liberaliter à patruo inſtructus Louanium rediјt, & cū Iac. Volcar. quē apud ſtudioſe ſectabatur (quod is interea in ædes M. Seuerini à Feyta Friſiј, cū nobilibus aliquot adoleſcentibus eius inſtitutioni traditis migraſſet) locus ei non concederetur, è regione illorū in ædibus in quibus Martin. Dolpius paulò antea mortuus fuerat apud M. Michaëlē. à Dorna cōmodum inuenit hoſpitium: Verum paulò poſt inde cū

hoſpite

hoſpite in patris defuncti domum, quæ rubra porta appellabatur recedere eſt coactus: Ibi vſq; ad menſem Iulium Iuri ſtrenuam operam dare pergebat. Vnde in Hagam rurſus eo euocato conſilium cũ patre patruus cepit, de eo in Burgun. ad Academiã Dolanã mittendo. Valedicto igitur apud Hagã, patre Folcar. qui eodẽ venerat patruoq; Buch. 27. Septẽ. an. 1526 Dolã in Burgund. cum nobili adoleſcẽte Siouckone à Mellema cõterraneo ac familiari ſuo profectus fuit: Vbi per totũ pene trienniũ M. Aymoni Bourdier cohabitans ſub profeſſ. Ludo. Maranchio, Iaco. Duxinio, Io. Monacho, Pet. Phœnice. & Quintino vitulo Docto. diligentem in vtroq; iure nauauit operã, vt inter auditores primã facile laude referret, eoq; permoti ſtudioſi aliquot adoleſcentes Germani Henricus ac Quirinus Rechlingeri, Leuiri D. Antonij Fuggeri locupletiſſimi ciuis Auguſtani, eiuſdemq; conſanguineus Io. Gregor. Herman. in ijſdẽ ædibus habitantes, ac commenſales familiaritate inuicẽ conciliata, illũ propter opinionem quã de ſtudijs eius habebãt, valde cõplecti cœperunt, eidemq; perſuaſerunt, vt inſtutiones I. C. illis prælegeret. Cumq; Eraſ. Roter. Baſileæ, quæ non longè à Dola diſtat, ageret, & cui cũ patruo eius Buchone magna familiaritas beneuolentiaq; intercedebat, captauit occaſionem eius amicitiæ ſe quoq; inſinuãdi, & ad eã humaniter receptus crebris literis vltro citroq; miſſis in ea cõfirmatus fuit. Vnde nõ parũ exiſtimationis ei apud condiſcipulos acceſſit. Circa ꝗ tempus Buchonẽ patruũ è viuis 13. Decẽb. an. 1528. deceſſiſſe intellexit. Cuius morte animo quaſi deiectus cõſternatuſq; de reditu in patriã cogitare cœpit.

Anno Chriſti.

Viglius Dolam petit.

Verum

Anno Chriſti.

Verum certior factus illum Legatum pecuniarium ſat magnum, & Bibliothecam, tam in iure quam in alijs diſciplinis bene inſtructam reliquiſſe, quo videlicet ſtudia ſua commodius ad metam perducere poſſet, quod & parentes eius ſuadebant iubebantq;, ac ſodales, qui priuatim illum inſtitutiones profitentem audiebant, multis modis magnificiſq; promiſsis ap d eum contenderent, vt ipſis ad Academiam Auenionenſem proficiſci deſiderantibus comes eſſe vellet, eis tandē aſſenſit: Menſe deinde Martio anno 1529. perluſtratis aliquot Oppidis Monaſterijsq; Ducatus Burgundiæ, vrbeq; Salinarum, vbi ſalſorum fontium memorabile miraculum conſpicitur, & vbi tum ſtatuum conuentus celebrabatur ob auxilia à Rege Ferdinando petita aduerſus Turcas, relicta Dola per Cabillonem, & Matiſconem præclaras Burgundiæ ciuitates, Lugdunū ſecundo Arari fluuio aduecti ſunt. Ac deinde per Rhodanum deſcendētes Auenionem appulere, eo potiſsimum deſiderio allecti, vt Andream Alciatum ac Franciſcum à Ripa, quorum celebris inter Iuris Profeſſores fama erat, audirent: Quo aduenientes ob peſtem ibi graſſari incipientem, & Alciatum alioſq; profeſſores ob eius metū diſcedentes, paulo poſt inde itinere (Ciuitate Auraicenſi, priuilegium & ipſa vniuerſitatis habenti prius perluſtrata) Valentiam non incelebrem Academiam in Delphinatu conceſſere. Auditis autem ibi aliquādiu profeſſoribus præclari nominis ac doctrinæ ab eiſdem ſibi perſuaderi eſt paſſus Viglius, vt in ea Academia gradum doctoratus promotoribus Ioanne de Mot.

Viglius academias gallicas luſtrat.

de Mota, & Felici Prato, profeſſoribus primariis, Anno Chriſti-
Antonio de Dorna ac Ioanne Baptiſta Palma Alexandrino 8. Maij anno 1529. ſuſciperet. Verum haud diu illic manſere: Sed cum ſpes affulgeret pacis, de qua tum apud Cameracum tractabatur, fauore quoque adiuti Andreæ Alciati qui ab Auenione diſcedens Exercitia Viglij.
in Bituricenſi gymnaſio ad Iuris profeſſionem aſcitus erat, impetratis à Rege Gallorum literis ſecuritatis, ipſi quoque Biturigas ſe contulerunt, quo illos inferioris ſuperiorisq; Germaniæ, complures ſcholares ex Dola, Valentia, atq; Auenione ſecuti ſunt: Eoque tempore quo illic egere, Viglius priuatim publicèque profitendo ac diſputando nomen ſibi inter ſtudioſos non nullum comparauit. Alciatoq; poſtea in Italiam proficiſcente, ipſius locum in prælegendo tenuit, ac quietiſſime iucundiſſimeq; ibi ſupra bienniũ moratus eſt, magna amicitia ac familiaritate Franciſci Rupilij Germani ac Caroli Sucqueti Flandri Iureconſulti & valde eloquentis multorumq; aliorum Doctorum ſtudioſorumq; Iuris vſus: Aureliam verò eo anno Lutetiamq; profectus cum multis preclaris notitiam quoque iniit ac à Gulielmo Budæo, Ioanne Tarteſio Lexouienſis collegij Rectore ac pleriſq; alijs humaniter honorificeq; ſuſceptus fuit: Deinde verò rogatu eorundem ſodalium ſuorum ſub Autumnum anno 1531. in Italiam proficiſcĩ conſtituit: Inuitatus verò ab Antonio Fuggero alijſque non nullis, quorum Viglius Italiam petit tranſiens per Germaniam.
liberi eius auditores fuerant, vt per Germaniam trãſiret ac cum ipſis coram notitiam iniret, à Biturigibus magna Scholarium auditorumqúe ſuorum caterua comitante vſque ad vicinum oppidum. Don le Roy

concepit

Anno Christi. conceſſit, Lugdunumq; tertio reuiſens, ac pene per Helbennam Lauſanamq; tranſiens, Friburgũ Echtlãdiæ ſeu Heluetiorũ, Bernã, Solodurũ, Baſileãq; tranſiẽs Friburgum Briſgoiæ peruenit, vbi ab Eraſ. Roterod. Vdalrico Zaſio aliſq; doctis viris quã humaniſſimè acceptus fuit, ac deinde Rotvvilam, Tubingã, Vlmã que tranſiens ad deſideratam diu Auguſtam cum ſocijs ſaluus peruenit. Tres in eo itinere Academias inuiſit: Baſileenſem, Friburgenſem, Tubingenſem apud Baſileam Bonifacium Amorbachium Iuriſconſultũ ſalutauit: ac in Frobeniana officina cum eximie docto viro Sigiſmundo Gelenio Bohemo, qui libris ibi corrigendis præerat, Hieronimoq; Frobenio Typographiæ magiſtro illic notitiam contraxit: vidit tum quoque Oecolampadium ac Simonem Grineum, apud Friburgum vero Briſgoiæ Eraſmum Ludouicum Berum inſignem Theologum ac Canonicum Baſileenſem. Vdalricum quoque Zaſium, & Henricum Glareanum ſalutauit: Tubingam autem vbi aduenisſet, Iacobus Ionas qui poſtea Regis Ferdinandi Vice Cancellarius fuit, multiq; alij cateruatim accurrere, ſalutandi eos cauſa, ac nomine vniuerſitatis ad prandiũ inuitauêre non tantum menſæ lautia, ſed & hilaritate ac doctis ſermonibus valdè conditum: Apud Auguſtam vero ornatiſſimus vir Dom. Ioannes Reylinger Henrici ac Quirini pater Hoſpitio illum excepit, magnificeque tractauit, quotidianis conuiuijs à Domino Raymundo Antonio ac Hieronymo Fuggeris ab Dom. Ioanne Paumgartnero pleriſque eius vrbis patricijs ac Doctoribus exceptus, & cathenis, numiſmatibuſque, ac aureis annulis, aliiſque cimelijs munifice donatus

donatus fuit. Die autem 16 Octobris inde cum comi- Anno Christi.
tibus, cum quibus è Gallia venerat, Italiam verſus
deceſſit, ac apud Monachium ſe ipſis itineris ſocium
Dominus Chriſtophorus Backenbruſus Lubecenſis
adiunxit. Vigeſimoq; die Sarotium venere: Vbi à pa-
tre Ioannis Gregorij Hermanni ſplendide accepti ac
triduo humaniſſime tractati fuére. fodinaſq; argenti
& æris ditiſſimas perluſtrauere. Is autem eos Oeno-
pontem deduxit. Vbi per Rodolphum Comitem à Su-
ter Gubernatorem ac locum tenentem Tyrolenſis co-
mitatus ad sereniſſimam Reginam Annã, Regis Fer-
dinandi vxorem, ac Maximilianum & Ferdinandũ
eius filios adhuc minorennes ſalutandos deducti, opi-
paréque tum à Gubernatore, tum ab Cancellario D.
Hieronimo Baldingo tractati fuere: Deinde per Bri-
xiniam Tridentum, Teruiſiam 3. Nou. die eodẽ an.
1531. Venetias peruenire nonoqúe die inde Paduam
conceſſere. Vbi tum in Iure profitebantur Franciſcus
Curtius, Marianus Socynus, Marcus Mantuanus, &
Arregutius de Arregutijs Peruſinus multiq; alij in
omni genere doctrinæ viri præſtantes: Inter humanio-
rũ vero literarũ profeſſores primas tum ibi tenebat,
Lazarus Bonamicus: Commendauerat autem Eraſ.
Roterodamus Viglium literis Ioanni Baptiſtæ Egna-
tio, apud Venetos agẽti ac Petro Bembo poſtea in or-
dinem Cardinalium aſcito, qui eum multa cum bene-
uolentia fuere proſecuti: Cum autem eum annũ con- Inſtitutionum profeſſio publica collata Viglio.
ſumpſiſſet in priuatis lectionibus, auditioneqúe præ-
ceptorũ Doctorũ publiciſq; ex diſputationibus innoteſ-
cere cœpiſſet, in nouo delectu Profeſ. ipſe penè inuitus
ad publicã Inſtitutionũ lectionẽ protractus fuit, procu-
rantibus inprimis D. Chriſtop. Marutio, & D. Othone

Anno Chriſti.

Thruchſes Barone in VValtburckeius auditoribus, qui ambo inCardinal.ordinē poſtea adſciti fuere: vbi illi cum ambitioſo AntagoniſtaD.Caſparo Malignato crebræ concertationes diſputationeſque iuxta morem eius Academiæ fuere: Prælegebat autem inſtitutiones ter in die,ſemel publicè cum apparatu (vt vocant) diligentiqúe materiarum explicatione·Deinde cum textu gloſſas percurrens,propoſitoqúe applicās ac poſtremo pro iunioribus textum tantum explicās: Quæ autem diligentiori ſtudio in ſcholis publicis legerat,domū reuerſus annotare conſueuit. Quæ cum diſcipulis familiaribus communicaſſet,ad editionem hortati ſunt.Quibus ipſe obſequens Hieronymo Frobenio celebri apud Baſileam Typographo commentarios in decem Inſtitutionum titulos,quos Patauij fuerat profeſſus,excudendos dedit:Interim autem dum Patauij ageret duæ inſignes conditiones illi oblatæ ſunt,altera vt eſſet Vicarius Iudicialis in Regno Cypri, altera vt Philippum Caroli filium inſtituendum ſuſciperet, quas ille tamen iuſtis tum rationibus recuſauit:Cum autem ibidem ab Cæſare DuceVenetiarum commendari petijſſet, quo Bibliothecæ quam Beſſarion Cardinalis illic reliquit inſpiciendæ facultas daretur non difficulter illud obtinuit, adiuuante Dom.Matthia Held Vicecancellario Maieſtatis ſuæ Vbi Græcas inſtitutiones Iuſtiniani comperit Quarū deſcribendarum poteſtate illi facta curauit in officina Frobeniana Baſileæ eas imprimi,ac CaroloCæſari opus hoc ſtudioſis omnibus plauſibile gratitudini ergo dedicauit: Expleto deinde curſu vt vocant annuo lectionum,cum decem titulos inſtitutionum abſoluiſſe

Exercitia Viglij.

Conditiones oblatæ Viglio.

Græcæ Inſtit.Impe.

ſoluiſſet, à multis inuitatus fuit vt prælegendi munere perſeueraret ſpe minime dubia facta obtinendæ primariæ Inſtitutionum lectionis à Prouiſoribus venetæ Reipub. Verũ ipſum qui. 14. annus à patria abſuerat, deſideriũ eius ac parentũ permouit, vt de ea repetenda animo cõſtitueret. Itaque rebus omnibus cõpoſitis ac Valedictis amãtiſſimis ſodalibus. 16. eiuſdem mẽſis octobris iter ingreſſus, & in itinere Eraſmo Frib r gi & alijs alibi ſalutatis Baſileã Venit Vt Inſtitutiones græcas excudi, & commentarios in x. titt. Iuſtit correctius recudi curaret: Quibus impreſſis ſeptimo Ianuarij iter ingreſſus eques coloniã . 23. Ianuarij peruenit. Vbi cum à multis humaniter exceptus fuiſſet, tum præcepuè ab Doctore Ioanne doccomienſi olim aſſeſſore Iudicij cameræ Imperialis (de quo ſuſupra egimus dec. 10. cap. 9.) coactus ob Patrui Bucbonis erga ſe olim impensã beneuolentiã hoſpitiũ ſumere: Vbi mãſit ad. 20 . diem februarij: Interea autẽ cũ Epiſcopi Monaſteriẽſis Domini. Franciſci comitis à VValdeck officialis defunctus eſſet. Omnibus modis egit Dom D. Io. vt oblatam ab epicopo conditionẽ tunc vacantẽ acceptaret, cũ honorariũ non contẽnendũ offerrerur, & nõ ſolũ ab præſule, ſed etiã capitulo & cãonicis magnificis promiſſis eo innitaretur. Itaq; ſibi perſuaderi paſſus eſt vt operã ſuã polliceretur, atq; Monaſteriũ poſt viſitatos parẽtes adire promittert. Ac an. 1534. die Martis poſt ſcholacticæ virginis idẽ Epiſc. ratificauit: Inde igitur eũ decedẽs in Friſiam die. 12 . Martij venit vbi vſq; ad quartum diem Maij per mauſit & iucũde cum amicis Vixt celebrationiq; imptiarũ Rintſiæ ſuæ cum Popckone Montzima

Anno Christi.

Viglius patria remisse

Anno Chriſti.

ma interfuit poſthæc Monaſterium ab Epiſc. Vocatus menſe Maio anno 1534. profectus fuit ceterū ob belli turbas quas Anabattiſtæ tunc̨ mouebāt iudicia pene ceſſarent conſilium in rebus agendis Epiſcopo præbuit, crebriſq; legationibus ob eundis operam nauauit: Dum hæc aguntur Pircko langiranius Haſsiæ eum oblato ſtipendio ad vniuerſitatem Marpurgi a ſen: per inſtitutam innitauit, cui ſe Viglius iuſtis rationibus excuſauit: Sub idem etiam tempus cæſarijs ac Regis Ferdinandi literis ad Aſſeſſoriam digintatem in Iudicio Cameræ Imperialis nomine Domus Burgundice Vocatus eſt Ad Quam conditionem impetrata ab Epiſcopo miſsionem ſpiram profectus eſt. Vbi menſe Iulio anno. 1535. in Aſſeſsorium ordinē receptus in tertiū annū permanſit Donec ſub finem anni 37 Bauariæ Dux Vilhelmus eum inde in Academiam I: golſtadienſem. Magno ſtipendio euocaret Vbi permanſit vſque ad Paſcha anno 42. Cœpitque profiteri ſecundā partem Dig. Vet. incipiens ab Titulo de Rebus creditis & ſi certum petatur legitque per id ſpatium quatuor annornm, aliquot que menſium potiores notabilioreſque aliquot titulos primæ & ſecundæ partis Digeſti Veteris, in quos & commentarios ſatis diligenter conſcripſit, quos tamen in publicū edi Vetuit: Anno autem. 39 Friſiam Parenteſque ſub Vacationum æſtiuarum tempus inuiſit. quos tunc incolumes repperit. Matrem tamen iā grandæuam anno ſequenti. 40. amiſit Audiebatur autē ab ſcholaribus lubēter multique eā Academiā eius fama acciti acceſsere, neque alius fuit

eōditions oblata Viglio.

Viglius Aſſeſſor Spire camerpImperialis:

Vigliusperfeſſor Iuris Ingolſtadij

alius fuit qui ibi pluresbab.ret auditores tametſi ex Anno Chriſti.
cællentiſſimos ex Italia collegas haberet Fabium Videlicet Romanum, & M. Antonium Caymum Mediolanenſem: Erant enim in Viglio dotes omnes cumulatæ, quæ in abſoluto Iuris profeſſore requirātur. Erat ille quippe tum inTheoria tū in praxi Iuris pro fūde verſatus, ita Vt materias vtiles ab inutilibus in vtroque Iure diſcernere & ad Vsū ſtudioſorum dirigere poſſet, Habebat exactam cognitionem encyclopædiæ & hiſtoriarum, callebat linguam latinam, græcam Vtranque Germanicam, & præter has etiam gallicam & Italicam, ita vt nodus incidere nullus poßet, quem ille non facillime ſolueret, Accedeat huc naturalis quadam & Vſu longo cōfirmata perſpicuitas in docendo: Accedebat ſermonis latini puritas & elegantia, & ſingulare quoddam philtrum in lingua, quo mirum in modum aures auditorum titillabat: accedebat huc demum, quæ omnia iſta cōmendabat, Vox ſuauis ſonora penetrans articualta, & flagrantem quendā ſui audiēdi appetitū excitans Accidebat ad extremum ipſius vultus plenus hilari quandam authoritate ac gratia qui aſpecta ſui in amorem Iuris rapere ſtudioſos poſſet: porro autem ipſe dux Bauariæ ipſum in ſuum cōſilium de idendiſque controuerſijs, quæ Ingoſtadij Ducalem cognitatem pertinebant cū alij conſiliarijs præfecit: circa idē tēpus Sereniſſimus Rex Romanorū eius fama permotus conſiliarij diploma ſeu Codicillos illi ſpōte trāſmiſit præclariſque aliquot priuilegijs donauit: Functus eſt autem Viglius in Ingolſtadiana Academia Rectorali, dignitate decanali officio Iuridicæ facultatis

Anno Christi.

Duæ autem illi Ingolſtadij exiſtenti conditiones oblatæ fuerunt. Vna ab Electore Ioachimo Marchione Brandeburgenſi qui cum rurſus miris modis duplicatoq; ſtipendio nitebatur pertrahere in ſuam Academiam Francofordiana, vt illic Ius profiteretur, à conſilijs ſuæ Celſ. eſſet, cum res de poſceret. quam ipſe iuſtis de cauſis recuſauit. Altera Vero à Cæſare Carolo Quinto, qui cum apud Ratisbonam comitia Ordinum Imperij annoque celebraret ac opera Vicecancellarij ſui doctiſſimi Mathiæ Held viri incomparabilis deſtitutus eſſet, ſuggerentibus non nullis conſiliarijs, multis modis per Granuellanum alioſq; cōſiliaros conatus fuit ei perſuadere Vt vicecancellariatus officiū apud Maieſtatem Suam ſuſciperet. Quam & ipſam vt humeris ſuis imparem recuſauit: Cumq; imperioſius cum eo ageretur, quòd cum ſubditus naturalis Maieſtatis ſuæ eſſet, proprio potius Principi ſeruire debebat quam in extera regione fortunam quærere, reſponſum eſt ab eo, non poſſe humeris ſuis imparem prouinciā ſuſcipere, Verum ſi aliqua offeratur conditio in patria qúa ibi honeſte vitam traduere poſſit, eam ſe non eſſe recuſaturum. Itaq; non paulo poſt iuſſu Caroli Q. ſoror eius Maria Regina vngariæ tum Gubernatrix prouinciæ Belgicæ ſcriptis literis ei conditionem in conſilio ſecreto, aut quolibet alio inferioris Germaniæ propoſuit, ac cum ob generalem huiuſmod oblationem nihil ſe certi ſtatuere poſſe reſpondiſſet, iteratis literis eum ſollicitauit, vt Sumptibus Maieſtis cæſareæ in Belgium ad ipſam veniret quo coram cum illo de conditione oblata conueniret

Itaq;

Itaqúe cum ad Gubernatricem Veniſſet illa dignitatem ei obtulit in quocunque conſilio expeteret vna cũ donatiuo pro ſumptibus migrationis: Quam obrẽ hortantibus eũ amicis conſtituit non aſpernari honorem ſibi in patria oblatum: Reſignata igitur honeſte conditione Ingolſtadienſi, & codicillis, & vt vocant comiſſione ſecreti conſilij in Curia Belgica acceptis, relicta illi optione, ſi ad quod aliud conſilium tranſire poſtea mallet menſe aprili nouam functionem aggreſſus eſt. Cæterum cum legationes aliquot tum cæſaris tum Reginæ nomine ſatis difficiles & odioſas, euentu tamen felici obiuiſſet, pertæſus legationum, malenſq; ſe in conſilij Iudicialis negocijs exercere, quã turbis curiæ, ac Rep. inuolui, poſtulauit ſibi locũ tum Vacantẽ in Conſilio Mechlin. per obitum M. Andreæ à Robais vti promiſſũ ei erat, concedi Quod eius deſideriũ conſilium Mechlini. intelligens, ipſum quoq; ad hoc Reginæ nominauere, quæ nõ grauate eius votis condeſcendit ac. 21. Maij anno. 1543. eius commiſſionẽ expediri iuſſit: dimiſſo itaq; ſtatu ſecreti curialiſq; conſilij Mechliniã migrauit: Eodem anno parentem ſenem in Friſia inuiſit, ac Vbi inde rediiſſet cæſar ſub hyemem à Bello Bruxellã reuerſus Vigliũ ad ſe euocauit, benigniſſimeq; allocutus, ſibi gratiſſima fuiſſe dixit ſeruitia in Comitijs Imperia. Nurenbergæ ſibi præſtita, pẽſionẽq; eius nomine Vltro obtulit. 300 florenorũ ſumptuſq; in legationibus factos ei prompte exolui iuſſit poſtulauitq; vt interea dum in Belgio ageret manere in curia non grauaretur, permittens Vt cum ſtipendio magni conſilij, ſecreti quoq; interea perciperet, atq; vna ad Comitia apud Spirã indicta

Anno Chriſti.

Viglius Ingolſtadio relicto venit in Belgium.

Viglius cõſiliarius Mechlinienſis

Viglius patriam reuiſit.

Caroli 5. benigna liberalitas in Viglium.

Anno Chriſti.

Viglij matrimoniũ.

iret Animaduertẽs aũt Cæl.M. ſe affectũ cõſtituit ſedẽ inBelgia deinceps figere& ad matrimoniũ animũ applicare:Itaq; p̃o urãti Do·n. Grãnollano, Viri cũ primis honeſti ac locupletis Petri D'amãt filiã Iaquelinã vxorẽ duxit celebratiſq; nuptijs infectis Natalitijs, mẽſe Iã. ſequẽte cũ cæſare per Leodiũ Col. cõfluentiam, ac Siemere in Germaniam Spirarum abijt, Vbi M. ſua PatremFoliardum ipſumq'ue Viglum plurimus ornauit priuilegijs conceſsit vt ſiquamdo in Friſia Patria morari vellet, primi conſiliarij poſt Præſidem in Senatu Friſiæ dignitatem obtineret Eodẽ quoq; tempore Poggius Epiſc. Tropienſes ac Sedis Apoſtolicæ Nuncius, Palatini diplomate ipſum decorauit Cæſar autem eundum in Conſilium Imperiale quoq; acciuit. Cui tunc Illuſtriſsimus princeps Ludouici cemitis Palatini frater ac paulo poſt ſucceſſor D. Fredericus dux. BauariæPræſidebat, multiſq; grauibus negotijs tractandis eius opera M. Cæl. fuit. Nam & pacem danicam cum Regis chriſtiani legatis ad optatum finem deduxit, & ſuper multis cõtrouerſijs cum dure Cliuenſi cõcordiam iniuit, grauiſsimumq; diſsidium ac litem quam Traiectenſes ad Moſam in Iudicio Cameræ Imperialis cũ hæredibus Dioniſij frens agitabat, cõpoſuit Ac cæſare deinde in Galliam cum exercitu proficiſcente, ipſe Bremam à M. ſua miſſus fuit vt ibi Danica pax finalem conclusionem acciperet Iuramentiſq; hinc inde firmare retur: Quã profectionẽ ideo lubentius ſuſcepit, quod ipſo ſpiræ agẽte intellexrat patrẽ ſuũ Folcardũ è Viuis exceſsiſſe eaq; de cauſa fatrum ſororum leteris ſollicitaretur vt eo venire Vellet, & quæ ſuper familia hercif-

Anno Chriſti.

ka beriſcunda neceſſaria erãt vna traſigeret: Rebus apud Bremã confectis, ac negotijs cum fratribus cõ corditer in Friſia peractis; Mechliniã reuerſus Reginæ acta ſua inſinauit: Mox indicto ordinũ Imperij cõ uẽtu per ceſarẽ Vormatiã vna cũ miſſus fuit. Hinc illu ad Ducem Bauariæ miſit et in Belgiũ reuerſus ſub finem anni. 1545. Traiectum proficiſcens Ft ibi capitulũ aurei Velleris celebraret eodè & ipsũ ſequi mãdauit. Hinc Ratiſponã comitijs indictis proficiſi rurſus ipsũ voluit. Inde vero cũ bello exerto proteſtates principes cæſarũ aggreſſi & ab eo profligati eſſent cæſarq; belli reliquias perſequẽs iuxta Neurgũ caſtrametaretur incidit in gravẽ ægritutinẽ Carolus Boiſſotus Theſaurarius cuſtos archriui in Rupelmudana arte conſeruati, quod eius in Viglium contulit. Vigelius autem à cæſarij colo., inde miſſus fuit ad conuentum ibi inductum ſuper priuatione exauthoritationeq; Archiepiſcopi Colonienſis, vnde in Belgium reuerſo Regina Maria ei comiſſionem ſatis Difficile & odioſam iniunxit, videlicet vt poſſeſſionem aliquarũ Vrbiũ in Veſpalia ac Friſia acciperet. qua in re declinata periculo quod imminebat, mature ſe tranquillitatẽ ræcepit: Hinc ab cæſare rurſus poſt Saxonicã victoriã Auguſtã rodeũte binis decretis rouocatus acceſſit. Vbi cum Imperiali cõſilia tũ præfectus eſſet Maximilianus ab Auſtria Ferdinãdi filius, Viglius ei adiũctus eſt, qui eũ in agẽdis inſtrueret: Aduenit aũt eodẽ Regina Maria, concluſumq; fuit matrimoniũ inter prædictum Maxilianum Domina Mariam ſe comiſſioque Viglio data vt tractatum antenuptialem cõciperet: Multa & alia præclara officia Viglius illis

Anno Chriſti.

cmitijs Imperatori præſtitit, quæ hic oĩa referre longũ nimis foret Inde igitur vna cũ cæſare in Brabantiã reuerſus eſt: Ac cũ Ludouicus à Scora Præſes ſecreti cõſilij Rerũq; ſtatus director mẽſe de. ẽbri vitã cum morte cõmutaſſet, ipſe nihil tale cogitans expectãſq; in eius locũm ſurrogatus fuit. Vt rerum Secreti cõſilij cancellariaq; ac Sigillorum curã ſollicitudinemq; gereret, aſ ito Ioanne de S. Mauritio Domino de MombarenSerorio Domini Granuellani, qui ſub titulo præſidis ſtatus res eius curaret, ab vnius ſcorani officium ab duobus deinceps adminiſtraretur calendiſq; Ianuarij anno. 1549. muneri huic inauguratus, conatus fuit, quanto potuit ſtudio, vt ei officio ex dignitate ſatisfaceret. Cæſar autem vt authoritatẽ officij ſuo fauore adiuuaret equeſtri honore eum inſigniuit. & adueniente ſub menſem Aprilem Sereniſſimo Principe Philippo vnico filio. Viglio commiſit vt ipſum de ſtatu prouinciarum inſtrueret, ac proceribus ordinibuſq; earũ harũ gratulandũ affluentibus nomine ipſius reſponderet. Cumq́; ſequenti menſe auguſto viſitare belgij prouincias cõſtituiſſet, petijſſẽt cæſareum in futurum Principẽ, cum eo miſſus fuit ad prouinicas, præſertim qua Germanico idiomate Vtuntur conſueta inaugurationis ſacramenta præſtarentur, Quod officium cum ea dexteritate ac gratia obiuit, vt ab eo tempore Princeps Philippus cæſaris filius, ſemper eum ſingulari fauore amplexus fuerit: Mortuo autem ſub idem tempus vincentio Corne Theſaurareo generali, qui officio Regiſtarum Maieſtatis in Hollandia fungebatur, illud Regina in Vigliũ contulit: Alterũq; ꝗ in Flan. ante gerebat Theſaurary Videlicet aut cuſtodis Archiui Doctori Hermeti

Viglius Secreti conſilij præſes:

Viglius eques auratus:

Viglius adiuntus oratione Regis inauiguratione:

à vuingene cōſiliario ſecreti conſilij reſignauit: Paulo poſt eodē anno Viglius Iaquelinā D'amant, chariſſimā vxorē ſuā amiſit Varia autē fortuna per aliquot annos inter Cæſare & Gallū pugnatū ſunt, multeſq; labores Viglius interea ſuſtinuit, vt apud ſtatus neceſſariæ in ſumptibus belli pecuniæ impetraretur. Cuius ſollicitationis potiſſima cura præſidi Viglio incubuit, dū alter collega de S Mauritio nominatus viribus impar miſſionē impetrat, quo decedente Cæſar vtriuſq; præſidatus, & ſtatus & ſecreti conſilij officia iterum in Viglio vniuit. Non multo poſt Abbas Sancti Bauonis Viglium ſibi coadiutorem poſtulauit cuius petitionem cum Rex certior factus authoritate ſua, vt patronus comprobaſſet, Viglius coadiutorem S. Bauonis accepit & in miniſterio Regis permanſit ex quo alioqui ſe extricare conſtituerat: Renouare autē illi Rex iuſſit literas commiſſionis præſidatus Secreti conſilij, ad hæc M. Regiſtrorum Hollandiæ, ac ordinato conſilio ſtatus Viglium in illud cooptauit, ſtipendiumq; æquale decreuit: Regina autem cum Cæſare in Hiſpaniam proficiſci conſtituens Viglio quoad ipſe viueret, ducentos florenos annuos donauit, eidemq; cum alijs quibuſdam ſuperintendentiam bonorum ſuorum quæ habebat, in Belgia commiſit, ſigilliq; ſui cuſtodiam eius fidei credidit: Anno 1558 menſe Septembri Viglium Atrebati morbus inuaſit, ex quo nūquam planè conualuit, itaq; menſe Nouembri inde vix ſemiuiuus Bruxellam reductus ſit. Sequenti anno. 1559. accidit mors Annæ Bauiæ coniugis Petri D'Amant chariſſimæ Sororis Viglij. Viglium autem ægrotantem ſæpe per medicos familiareſq; ſuos eum

Anno Christi-

Viglius coadiutor S. Bauonis.

Anno Chriſti.

inuiſere conſulariq; Rex eſt dignatus, Bibliothecariiq; que officium ei impoſuit, ac paululum recuperatis viribus, Regem Gandauum ſecutus fuit. Menſe Auguſto eodem anno ex Medicorum conſilio amicorum hortatu, & conſenſu Regis Comite Nicolao Bieſio Medecinæ profeſſore Louanienſi, Aquiſgranum profectus eſt vbi calidis aquis per ſex hebdomadas vſus, non modicum leuamen ſenſit. Inde Bruxellam reuerſus, benigne à Ducissa Parmenſi noua Belgij Gubernatrice ſuſceptus eſt, & animo magis confirmatus, vt libentius in ornanda Spartha ſua perſeueraret, ac lætiori quoque ac magis hilari animo eſſet: Itaq; duas tunc temporis ſub Calendas Ianuarias anno 1560. Neptes elocauit. Vnam M. Iacobo Heſſelio Regio Gandaui Conſiliario & Procuratori generali, alteram Feyconi à Fritema Quæſtori Grumngenſi. Ipſe deinde eodem anno 1560. menſe Maio Thermas Emeſanas adijt fœlici euentu ſanitatis. Anno verò ſequenti Friſiam patriam à qua pene 17. annis abfuerat, vt reuiſeret Duciſſa benigne conceſſit. Quo eum Morillonus Heſſeliuſq; comitati ſunt. Honorificèq; ab ciuitatibus populoq; vniuerſo ſuſceptus fuit, ac in villa Svichemēſi Igrami Cōſiliarij Friſiæ cū Nepte ſua nuptias solēniter celebrauit. Noptūq; ac liberorū fratris ſui Serapionis, ſororumq; prædefunctarum rationes ab tutoribus exegit paternorum maternnrūq; bonorū partitiones de propinquorū ac eorū qui tū ætatem habebant conſenſu fecit, multasq; inter conſanguineos ac propinquos diſcordiarū cauſas ſuſtulit: 18. autem die Ian an. 1560. defuncto Luca Munick Abb. S. Bauonis confeſtim accitus eſt præſes ad capeſſandam proſſeſſio-

Viglius in Thermis Aquenſibus.

Viglius in Thermis Emeſanus

Viglius patriam reuiſit.

nem

Anno Chriſti.

nem Præpoſituræ eius qui ipſum quoque hæredem ſucceſſoremq; ex indulto Apoſtolico nominarat mox ſe in Loc. Xpi. contulit, funuſq; ante omnia honorificè curauit, ac prius profeſſione per procuratorē accepta, ipſe deinde ſolennem ingreſſum Gandani ad Eccleſiā S. Bauonis fecit. Sacriſq; ordinibus per congrua interualla, ſacra operante Illuſtri. Cardinali Granuellano initiatus Presbyter factus, die Dominica, quæ feſtum omnium Sanctorum præcedit primum ſacrum celebrauit, ac deinde ſolennem benedictionem ab eodem Cardinale accepit: Obitum autem ipſius Abbatis duabus hebdomadis præceſſit mors D. Philippi nigri Decani Bruxellenſis, & primarij Conſiliarij in ſecreto Conſilio Regiæ Maieſtatis, Cancellarijq; Ordinis Aurei Velleris, cum autem Equites eiuſdem ordinis, qui in ea prouincia præſentes erant, in vnum conueniſſent vt Succeſſorem in eo officio eligerent, nominarunt ad hoc Reuerendiß. Archiepiſcopum Cameracenſem, & Epiſcopum Tornacenſem, ac Præſidem Viglium. Quod præter illius opinionem accidit, cum vereretur ne familiaritas D. Granuell. potiores Equites à veteri erga eum affectu alienos reddidiſſet. Tranſmiſſa autem nominatione ad Regem, Viglium Maieſtas ſua prætulit, confirmationiſq; literas expediri iuſſit: Quarum vigore ab Comite Egmontano ſeniore eius Ordinis Equite præſentibus aliquot alijs in poſſeſſionem eius dignitatis aſſumptus fuit. Iuramentumq; ſolenne præſtitit: Sub finem autem Menſis Auguſti, anno Chriſti 1564. Cum Bucho à Montzima eius ex ſorore nepos Doctoralem Lauream ſuſcipere Louanij decreuiſſet, Theologiæ ſtudio ibidem atque

Viglius ſacris initiatus.

Viglius Cācellarius ordinum Aurei Velleris.

Luteti a

Anno Chriſti.

Viglius ād promotionē Buchonis à Montzima.

Lutetiæ confecto Viglius auunculus in id ſumptus, non illibenter contribuit: Eodemque pene tempore Cardinalis Boromæus mandato Pij 4. Pontificis proprioq; eius motu tranſmiſit ad Viglium diploma pileumq; Prothonotariatus, offerens eidem maiorem honorem ac beneficentiam cum tempore, quod eum antea in caſtris ante Ingolſtad. nouerat ac pleraq; Sancti ſuæ obſequia grata exhibuerat: ex hoc autem tempore, cum ex deſſidio Religionis factiones indies augerentur, neq; pari gratia, vt hactenus in medium conſuluere Viglius poſſet, aſſiduis flagitationibus miſſionem ab rege tandem impetrauit: Et Rex illum Præſidali officio benigne abſoluit, ac Carolum à Tyſenacy, qui res Belgij cum ſigillorum cuſtodia in Regia aula hactenus curauerat, ſucceſſorem ei deſtinauit relicta tamen ipſi Viglio dignitate conſilarij

D. Ioachimus Hopperus in Hiſpaniā.

ſtatus, ac Domino Ioachimo Hoppero in Tyſenacij locum ſurrogato Cum itaq; tandem Dom. Tyſenacus ex Hiſpania veniſſet, cum titulo Præſidis Secreti Conſilij, Viglius multum exhilaratus fuit, quod hoc ſaxo quod ſupra viginti annos voluerat exoneratus

Benignitas libereris Regis in Viglium.

eſſet: Placuit autem Maieſtati ſuæ cui refragari auſus non fuit, vt Conſiliarij ſecreti Conſilij titulum ac ſtipendium etiam abſens retineret: Et quo honoratiorem eius miſſionem faceret Conſilij ſtatus Præſidis titulum cum retinere voluit. Adiutore ipſo Præſide Ty

Collegiū Viglianū.

ſenaco: Et cum eum collegium apud Louanium ſtudioſorum erigere intellexiſſet, duodecem milia florenorum in ſubſidium ei ad id liberaliter contribuit: Tyſenaco autem poſt annos tres ſubitanea morte ſublato, ipſi rurſus inuito ac recuſanti ſigillorum Regiorum

giorum cuſtodia obſtruſa fuit: Sed cum ipſe ſubeunte iam ſenio, morbiſq; laſſatus eſſet, ſerio cogitare cœpit de condendo teſtamento ſuo, quo rerum temporaliū ſollicitudini finem imponeret, & quod reliquum vitæ ſupereſſet, id omne impenderet meditationi de vita cœleſti. Itaq; cum liberos ipſe nullos vnquam ſuſcepiſſet, eam bonorum ſuorum diſpoſitionem fecit, vt id quod ex beneficij Eccleſiaſtici præpoſituræq; S. Bauonis prouentibus comparſerat in pios vſus conuerteret: Collegium Louanij in vſum ſtudioſorum fundauit, qui bonis ſacriſq; literis operam darent. In pago autem Sumlemenſi Hoſpitale ſiue Gerontocomion fundauit pro ſenibus qui victum quærere ſuis laboribus amplius non valerent. Scholam quoque ibidem fundauit pro pueris, ſiue adoleſcentibus in primis literis ac Religione rectè informandis cum Ludimagiſtro, cum ædificijs prouentibuſq; neceſſarijs: Vnaque operam dedit, vt in villam S. Bauo vbi antiqui monaſterij prophanati in caſtri militiæq; domicilia conuerſa erant, aliò tranſlata Eccleſia rurſus ad Subditorum commoditatem ac ſalutem Parochialis Eccleſiæ ſub appellatione S. Amandi reſtitueretur: Et vt eo habitatores reuocaret, præclaram quoq; iudiciale ſiue Scabinalem domum extrui curauit: In capitularis quoque domus Eccleſiæ S. Bauonis extructionem liberaliſſime contribuit: Seminarium quoq; eius aliquot Burſarioum dotatione adauxit, ipſiſq; Canonicis & Eccleſiæ miniſtris, pauperibuſq; per amplum pro anniuerſaria eius memoria in vita & poſt mortem donatiuum reliquit: Poſtremo Capellam in æde S. Bauonis eleganti altaris ſtructura, marmorioq; ſepultura

Anno Chriſti.

Piæ fundationes Viglij.

pulturæ monumento condecorari, & Sacerdotem ibi

Anno Chriſti.

dein competentem dotari fecit: Domos quoque & nonnullas præpoſituræ ſuæ Arces vita Comite diligenter reparari, ac in decenti ſtatu conſeruari curauit: Et pleraq; alia ad Eccleſiæ ornamentum decus & vtilitatem conſtituit, rectaq; bonorum Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationi pro tempore ſuo, ac in futurũ accuratè

Cura Viglij in poſteros.

prouidit: De reliquis autem bonis diſpoſitionem ſuam ita moderatus eſt, vt, quæ ex patrimonio ac induſtria ſua largitioneq; Principum pro ſeruitiorum ſuorum remuneratione proceſſerũt, ea inter propinquos, amicos ac ſeruitores, ſecundum vniuſcuiuſq; meritum, qualitatem & conditionem diſtribuerit: Itaq; domũ paternam in pago Sunkemenſi, alteramq; Leouardiæ ſitam, quam Dux Saxoniæ Georgius patruo eius donarat, operibus ſtructuriſq; nouis non mediocriter ampliauit exornauitq;, ac Nepotibus ſuis agnatiſquе pro ſtirpis Ayttanæ memoria reliquit: Quoniam autem numeroſam prolem fratres ſororeſq; eius reliquerant, cuius maior pars parentibus immature orbata fuit, earum piam ac fidelem curam geſſit, ſumtuſquе pro facultatum ſuarum modulo, in educationem inſtitutionemquе ſubminiſtrauit: Quorũ nõnullos qui apti videbantur ad Eccleſiæ miniſteria direxit, alios ſæcularibus literis inſtrui curauit, vt ad Reipublicæ munia idonei fierent. Neptes vero viris honeſtis ac eruditis ferè elocauit, mediocriquе dote adiutos, ad officia publica, quantum potuit promouit: cuius liberalitatis amplitudo quo magis æſtimari poſſit genealogiæ Viglianæ proximam partem paucis hic ſubijciemuus.

Ger-

Gerbrandus igitur Aytta, qui Viglio noſtro pater nus auus extitit, ex legitima vxore ſua Ietſia, filia Viti à Bucama decem proles ſuſtulit.

1. M. Barnardum Buchonem, cuius hic ſupra crebro mentio facta eſt, & nos alibi res præclare geſtas, vt ſupra diximus tradituri ſumus.

2. Fericum, qui Sacerdos & Præbendarius in Virdum obijt anno 1501.

3. Vitum qui puer eſt mortuus anno 1490.

4. Folcardum, Viglij noſtri patrem, cuius ſtirpem hic infra peculiariter proſequemur.

5. Mintſiam, ſiue Clementiã, quæ nupta fuit Doytſio à Viarda, & moriens anno 1515. Octobris 1. reliquit ſuperſtites filios tres & filias duas.

6. Svobinam, quæ nupta Vibio Hylli filio in Eeſchen obijt anno 1494. relictis filio Hyllo, & filia Ebela.

7. Sytſiam, nuptam Renico Suffridi à Camſterrat quæ moriens reliquit filias duas, Rintſiam & Sytſiam.

8. Fericam, quæ primo nupta fuit Sakelio Sipconis, qui anno 1498. perijt in prælio ad villam Barrhabuſiam. Deinde nupſit Sydſio Atæ, ex quo habuit libros tres.

9. Aucam, quæ ſine conſenſu matris nupta Ruardo Vobbonis in Veidum patrueli Taconis Ingelij Zvickemenſi, obijt ex partu.

10. Sapiam, quæ nupta deceßit.

Horum autem omnium ac ſingulorum ſtirpes in ramos ſuos explicare cũ longũ fuerit illis relinquimus, quibus familiæ Ayttanæ genalogiã integã cõſervare

Anno Chriſti. curæ erit: nos eos hic proſequemur, qui ex Tolcardo Gerbrandi filio procreati ſunt.

Folcardus igitur Aytta Gerbrandi ſupradicti filius, natus anno 1484. Vxorem duxit Idam, filiam Viglij ab Hania, ex qua liberos ſuſcepit ſeptem: Gerbraudum primum, Viglium, Rintſium, Serapionem, Rintſiam, Mintſiam, ſiue clementiam, & Gerbrandum ſecundum: & Ida mórtua ſuſcepit ex alia muliere proles duas filium Folcardum, virum egregium V.I.L. Præpoſitum Betunienſem Canonicum S. Bauonis Gandauenſis, & S. Petri Vltraiectenſis: & filiam Mariam, nuptam Ekoni Bauckio, ex quo vnica nata eſt filia Ida, nupta Theodorico Dobben.

1. Gerbrandus autem primus Folcardi filius primogenitus puer in Zuichem vita defunctus eſt anno 1513. Septembris 13. die apud auiam ſuam.

2. Viglius hic noſter natus 19. Octobris an. 1507. Fratre defuncto, iure primogenituræ patruo M. Bernardo Buchoni commendatus & gratus, & ſingulari Curiæ fuit. Vt qui familiæ auitæ columen futurus erat, ſicut & ex ſupradictis apparet.

3. Rintſius, natus 3. Iulij anno 1509. Vxores viciſſim duas habuit: Harum prior fuit Ida, filia Tiardi ab Hettema, ex matre Mershorn in Poppinga VVier & habitauit in Schierbuyſen: Poſterior Ioanna fuit filia D. M. Ioannis Rhommarts, Conſiliarij Regij in ſuprema Friſiæ Curia: Ex harum neutra liberos reliquit: vnum reliquit filium ex alia muliere M. Ioannem Rintſium Canonicum Arienſem, Rintſius autē ipſe pater mortuus eſt anno 1570 in Aprili. Fuit autem hic Rintſius iuridicus (ſiue vt nos vocamus)

Greet-

Greetmannus, Territorij Dongeradelei ad Orientem fluuij Paſeni. Anno Chriſti.

4\. Serapio Greetmannus, ſiue Iuridicus, Territorij VVijnbritſeradelei Vxorem duxit D. Barbaram filiam D. Hettonis ab Hettema, & Hackiæ à Rhorda, ex qua ſuſtulit proles nouem, Ietſiam. quæ nupta clariſſimo viro Aggæo ab Albada V. I. D. primum Regio in Friſia Conſiliario, Deinde Aſſeſſori Cameræ Spirenſis, & tandem Reuerendiſſimi Epiſcopi Herbipolenſis ac Ducis Franconiæ Conſiliario: ex quo ſuſceptis octo liberis, vnum tantum reliquit ſuperſtitem filium, Aggæum Albadam, V. I. D. qui vxorem duxit D. Catharinam porgieſſer, filiam etiam Aſſeſſoris Spirenſis, & Spiræ habitat ac priuatim publicéq; de Iure reſpondet.

Hackia, nata 10. Octobris 1545. primo fuit matrimonio iuncta clariſſimo viro ac Dom. Bernardo à Mellema V. I. D. Conſiliario Regio in Friſiæ ſuprema Curia, ex quo nullos liberos habuit: Secundo nupta fuit M. Andreæ à Donia, ex quo vnum filium habuit Serapionem Tertio nupta fuit Suffrido Rhee, ex qua habuit vnicam filiã Barbaram: Ipſa autem Hackia perijt ex partu anno 1574.

Bucho, S. Theologiæ Doctor, Archidiaconus Iperenſis, & poſtea in locum Patrui Viglij præpoſitus S. Bauonis Gandauenſis.

Folcardus, V I. L & Canonicus, & Officialis Atrebatenſis & Vltraiectenſis & Hagienſis & Lyrenſis.

Hector natus anno 1546 V. I. D. & Conſiliarius Regius in Friſiæ ſuprema Curia hic. 5. die Nouemb. anno 1570. vxorem duxit, D. Baukiam Buygirs,

Anno Christi. *filiam conſultiſſimi viri Domini M. Ioannis Buygirs V. I. L Aduocati in ſuprema Friſiæ Curia, & Greetmanni Territorij Leouardiani. Ex qua ſuſcepit filiū vnum Viglium Zuichemum. Cui patruus magnus Viglius Zuichemus arcem Zuichemenſem cum omnibus ad eam pertinentibus reliquit hæreditariam: Hector autem obijt ipſo die Sancti Michaelis anno. 1576.*

Vibrandus, V. I. D. Profeſſor olim Iuris celeberrimus in vniuerſitate Dolana, Conſiliarius in ſuprema Friſiæ Curia, vxorem duxit anno 1591. Domicellam Corneliam à Tiepma.

Theodoricus, qui Dolæ ſtudiorum gratia verſatus ipſis Cal. Aprilis anno 1574. vita defunctus eſt.

Ida, quæ ipſo feſto S. Stephani Leouardiæ anno. 1571. nupſit clariſſimo viro Dom. Godefrido de Moeſienbrouch V. I. D. Conſiliario ordinario in Senatu Hollandiæ & Zelandiæ & VVeſtfriſiæ, & in curia Feudali, & Agenti ac Deputato Regiæ Maieſtatis Coloniæ.

Iodoca, quæ 23. Maij anno 1573. Dom Petro à Teth lum nupſit, ex quo ſuſcepit filias duas, Barbaram & Cuniram.

5. *Rintſia: nupta Popc. à Mūtzima in Blia reliquit proles 5. Buchonē, Bauckiā, Taconē, Idā, Folcardū.*

Bucho, à Montzima S. Theologiæ Doctor: Præpoſitus S. Ioannis Vltraiecti & ibidem in Eccleſia maiori, & ad ad S. Saluatorem Canonicus.

Bauckia, nupſit primo Ielgero à Feitſmā tho Halueren, ex quo liberos non ſuſcepit: ſecundo nupſit Paulo Breckero Greetmanno Territorij Dongeradelei ad Orien-

Orientem fluuij Paſeni. Ex quo vnam filiam reliquit nomine Rintſiam quæ 9 die Ian. anno.1593. nupſit Iodoco Schroieſtein Vltraiectenſi. Anno Chriſti.

Taco à Montzima vxorem duxit Domicellã Barbarã. filiam Cornelij Schrijuers, Graſiarij curiæ Prouincialis Vltraiectenſis, ex qua habuit proles Serapionem, Cornelium, Popconem, Rintſiam, Barbarã, Elizabetham, Viglium, & Galenum.

Ida, nupta Liuio à Vatnia. nullos liberos reliquit.

Folcardus V.I.D. Decanus & Canonicus ad S. Saluatorem Vltraiecti.

6. Mintſia. ſiue Clementia, nupta Gellio ab Hoytema, reliquit proles 5. Titam, Ietſiam, Mintſiam, Idam, & Gelliam, & tandem perijt ex partu anno. 1549.

Tita, ſiue Theta primo nupta fuit Geroldo dicto Montzima ſiue Geritſma Oldermanno in Dockum. Quo mortuo nupſit clariſſimo viro D. Suffrido Engelemo Doccomienſi Medicinæ Doct. præſtantiſsimo: & nullas proles ſuſcepit.

Ietſia, primo nupſit Franconi de monte Delphenſi, Conſiliario Regio Hollandiæ, & poſtea Mechlinienſi, ex quo multos liberos habuit: poſtea nupſit Iacobo Heſſelio, Conſiliario, & Procuratori generali in Flandria, ex quo habuit vnam filiam Mariam, & vnum filium Folcardum, qui anno 1592. fortiter dimicans Stenvuichienſi obſidione traiectus ſphæra Bombardica occubuit.

Mintſia, ſiue Clementia, nupta clariſſ. viro Do. D. Igramo ab Achelen Regij Senatus in Friſia Præſidi,

Anno Christi.

plures liberos ſuſcepit: Folcardum vtriuſque iuris Licentiati in Curia Mechlinienſum Aduocatum, item Vilhelmum, & Antonium, Clementiam, Aldegundã, & Idam.

Ida, nupta clariſſimo viro ac Domino Vilhelmo, equiti Aurato V.I.D. primum apud Delphenſes pen ſionario & mox Conſiliario Hollandiæ, & deinde Mechlinienſi, ac demum CancellarioGeldriæ ac Zutphaniæ ex quo nullos liberos ſuſcepit.

Gellia, nupta Cornelio Oem I. V. L. Graphiario Feudorum, & Conſiliario in Hollandia. Ex quo ſuſcepit liberos multos: Idam, Folcardum, Clementiã, Mariam, Iethiam, Annam, Hermannum, Viglium, AEgidium, Vilhelmum, Gertrudem, Danielem, & & alios, quorum nomina nondum comperi.

7. *Gerbrandus ſecundus, natus anno 1519. ante feſtum S. Margaritæ, vxorem duxit Thetam filiã Lolcke ab Rhee, ex qua ſuſcepit liberos infraſcriptos. Idã Folcardum, Iaquelinam, Hackiam, Iudocam, & Barbaram, & mortua Theta, ex Catharina Petri filia, reliquit vnum filium Fericum, & mortuus eſt 19 Aprilis anno 1573.*

Ida autem nata 1544. nupſit nobiliſſimo ac prudentiſſimo viro Feiconi à Fritema, Conſiliario Regio & Quæſtori Gruningenſi, ex quo ſuſcepit: Eduardã, Buchonem, Tiardam, Titam, Folcardum, Ieskiam, Viglium, Catharinam, Iuonem: quorum aliqui matrimonia contraxerunt, aliqui adhuc in familia parentum ſunt, aliqui vita defuncti ſunt.

Eduarda nupta eſt Petro Micault Domino de Indevelt.

Tiarda

Tiarda nupta eſt Thomæ Grammaie, Quæſtori de Veluva. Anno Chriſti.

Bucho egregius iuuenis & Rei bellicæ peritia ſpectabilis, dum Coloniã tendit à prædonibus circumuentus, & ſphera Bõbardica traiectus non multo opſt hic diem extremum clauſit, cum magno omniũ luctu 13. die Decembris anno 1591.

Folcardus anno ætatis ſuæ 26. in Hiſpania mortuus eſt anno D. 1571. Sep die 24.

Iaquelma nata anno 1554. nupſit ampliſſimo viro Dom. Petro Buygirs Greetmanno territorij VVijnbritſeradelei filio ſupradicti M. Ioan. Buygirs ex quo ſuſcepit filium Gerbrandum, & proles alias quarum nomina hactenus me latent.

Reliquæ Gerbrandi filiæ Hackia, Iodoca, & Barbara in albis perierunt.

Ex huius proſapiæ Catalogo apparet quam egregium Columen Ayttanæ familiæ ſe Viglius præbuerit: Itaque memini cum Cardinali Granuellano à ſecretis eſſem, me illi nouam dignitatem coram in ædibus ipſius eſſe gratulatum, quod illi Gandenſem Præpoſituram obueniſſe intellexiſſem: Cui tum ille at qui Suffride (inquit) quorſum diuitiæ ſi non conceditur vti? Ego enim iam pedem alterum in Cimbaharen tis habeo, & ad quid mihi vtiles erunt ampliſſimi reditus huius præpoſituræ? Cui ego reſpondens, ampliſſime Domine Præſes (inquam) laudatiſſimus vitæ tuæ curſus præſenti euentu ſatis declarauit, te ijs quæ hactenus largitus eſt Deus, rectè vſum eſſe, dum quicquid ſubducere tuo ipſius genio potuiſti, in vſum propinquorum tuorum conuerteris, vt eorum liberis re-

Anno Chri-ſti.

ctæ inſtitutionis & educationis ſubſidia ſuppeterent, ad ſuſtentationem paternæ familiæ, & auxiliũ Reip. puto nunc ſeneſcenti Deũ Opt. Max. Præpoſituram hanc obtuliſſe, vt ex eius reditibus aliq perpetuũ ſubſidium in tuorum & Reip. vſum fundes, quod etiam te mortuo duret: Quod ſi feceris nemo negauerit te Præpoſitura hac optime fuiſſe vſum: Quo reſponſo meo ille delectatus, mihi aperto pectore retulit ſe tũ temporis ſuis expenſis vltra triginta adoleſcentes in ſtudijs fouere, qui ipſi vel conſanguinitate, vel affinitate iuncti erant, & conſilium ſuum aperuit de reditibus Præpoſituræ in collegij fundationem & alios pios vſus conuertendis, quod & poſtea executus eſt: Fuit ſanè Viglius Zuichemus ſingularis patriæ noſtræ Phœnix, & quem Friſica iuuentus, quæ quidem literis conſecrata eſt, veluti ſplendidiſſimum quendam Philoſophorum, in dirigendis ſtudijs ſuis, omni conatu ſectandum ſibi proponere debet. Vtpote, qui ſingulares tum corporis tum animi dotes quas natura illi contulerat, incomparabili induſtria ſua conſeruarit & auxerit. Fuit autem hic Viglius ſtatura mediocri, membris bene compactis ac decentibus, cute candidiſſima, capillitio infra flauedinem albicante, prolixa ſatis, ſed non denſa, capite rotundo, vultu amabili, fronte lata nullis rugis interpolata: naſo inter aduncum & ſimum medio, quantitate mediocri, Buccis tumidulis ac rotundis, oculis vitreis ad nigredinem tamen inclinantibus, quorum radij notabili celeritate præſentem ingenij vigorem arguebant: Erat autem captu facillimo, memoria tenaciſſima iudicio acutiſſimo, ita vti quæ traderentur facile perci-

Proſopographia Viglij.

perciperet, fideliterq; teneret, & in vſū debitū dexte re applicaret. Quibus quidē facultatibus ſi ppetenti bus ille nō ad nequitiā abuſus eſt, vt illi quorū peruer-ſitas declarat, optimis ingenijs innaſci plerumq; vi-tia peſſima, & tritum penè vulgò prouerbium fecit Iuriſtam bonum eſſe Chriſtianū malum. In his enim quia non ratio affectibus, ſed affectus rationi domi-nantur. fertur equis auriga, nec audit currus habe-nas, vti Poëta dicit, ac tanto etiam grauius in præ-ceps ruunt, quanto magis ab indomita & effreni na-tura propellabantur:: Atqui Viglius qui affectibus re ctam rationem præfecit: Voluntatem bonam naturæ facultatibus ſubiunxit eamq; vitam ab ineunte ætate ingreſſus eſt, vt ad eruditionis ac virtutis ſupremum faſtigium conſcenderet, eo propoſito, vt & ſibi & ſuis & Reipub. prodeſſet: Quod & facilè animaduertet, quiſquis eius veſtigia diligenter obſeruauerit, quæ curſum vitæ, ab eo tranſactæ, ab initio ad finem hic ſu pra dilucide indicant: Itaq; cū talis plerumq; fiat aut ſaltem habeatur vnuſquiſq; quales ij ſunt, quibuſcū familiariter verſatur, ille à prima ſtatim pueritia prauum conſortium cane peius & angui odit ac vita uit, illiſq; condiſcipulis ſuiſſe maxime ſēper applicuit qui ipſum ætate, eruditione ac virtute præcederent, præceptoribus ſuis ſe morigerū ac ſequacē præbuit, in diſcendo prima cura fuit vt animi cogitata proprijs, perſpicuis, ac ſignificantibus verbis explicare poſſet. Deinde vt artiū liberalium Encyclopediā ordine debi to perdiſceret, quo viatico percepto ſine remora ad ſo lidam Iuriſprudentiam porrò contenderet. His fun-damentis iactis vbi ſtudia ipſius maturuiſſent poli-tiſſimis literis ſuis ijſq; cordate ſcriptis ſe præſtantiſſ.

Anno Chri-ſti.

Anno Chriſti-

viris inſinuauit, optimis ac ſtudioſiſsimis adoleſcentibus ſe applicuit, iiſq; ad ſtudia & virtutem exuſcitandis, priuatim publicèq; beneuolentiam apud omnes ſibi conciliauit: Cumq; iam in publicum prodire, & eruditionis ſuæ ſpecimen edere conſtituiſſet, modeſtiæ memor, ab inſtitutionibus Imperialibus iuris profeſsionem auſpicare voluit. Vt ſine arrogantiæ ſuſpicione, (quæ inuidiam parit) magna tandem aggrederetur, qui in minoribus antea feliciter verſatus eſſet. Quantũ igitur ille in re literaria præſtare potuiſſet, ſi perſeueraſſet, ſatis arguunt tot vniuerſitates in Gallia, Italia, & Germania, in quibus eius induſtria ſpectata fuit, arguũt eius lucubrationes in publicum editæ. Arguũt deniq; politiſsimæ & elegantiſsimæ eius epiſtolæ, ad diuerſos amicos ſcriptæ, in quibus ſingularis ac mirabilis quædam eſt concinnitas, quæ mediocritate modeſtiam perſpicuitate iudicium, elegantia eruditionem, candore beneuolentiam, ſynceritate authoritatem, pro re nata ad quos ſcriptæ erant, quaſi peculiari quodam eius genio ſpirabant. Qui quidem genius etiam in aliis eius ſcriptis, & quidem publicatis ſuauiſsime relucet, In quibus cum optimum lumen ordinis in conuenienti rerum diſpoſitione cernitur, tum etiam apparet ſtylus naturalis, minime affectatus, purus & verbis propriis ac ſignificantibus ad rerum propoſitarum explicationem idoneæ comparatus, ſine obſcuritate, ſine defectu, ſine ſuperfluitate, ſine oſtentatione: Nec mihi quidem dubium eſt, quin ille in literaria functione, ad finem vſq; vitæ perſeuerare maluerit, quã extra omne periculum poſitus in otio profundo degere & vitam tranquillam

ducere

ducere potuerit. Cũ tot dotibus tum à natura tum ab arte inſtructus, parum difficultatis, plurimum autem honoris & emolumenti, ex ea porro ſenſurus eſſet: niſi aßiduis Magnatum ac Principum flagitationibus, (quibus operã denegare non plane tutum erat) ad ciuiles functiones traductus eſſet: In quibus quanta prudentia, quanta dexteritate vſus fuerit, inde æſtimari poteſt, quod tot Principibus à Conſilijs fuerit tot Curijs aſſederit, ac præſederit, tot legationes obierit, ex omnibus laudem & honorem authoribus ſuis, ipſi Reipub. ſalutem reportauerit: In quibus omnibus perficiendis ille conſtantiam vigilantiamq́; adhibuit, vt à propoſito ſuo, quod cum iudicio ſuſceperat, nec metu cuiuſquam ſe abſtrahi, neq; laboribus deterreri ſineret, ſed donec perfeciſſet vigilaret ac laboraret: Vt merito ſuo ſymbolum vſurparit, vita vigilia eſt: in quo neq; manui mens, neq; menti manus vnquam defuiſſet. Quamquam autem ille patriæ amicisq; ſuis præmaturè ereptus ſit, ad iuſtam tamen alioqui ætatem, hoc eſt, ſeptuagenariam peruenit, qui cum 19 Octobris anno 1507. natus eſſet 8. Maij anno 1577. vita defunctus ſit. Mortuus eſt Bruxellæ in ædibus ſuis, ſepultus eſt Gandaui ad S. Bauonem in Mauſolæo ab ipſo contracto. Plurimi in eum Epitaphia ſcripſerunt. Louanij & Bruxellæ & Gandaui ex quibus vnum tantummodo ad manus meas hactenus peruenit, quod quia non ſatis dignum Viglij amplitudine iudico, omittendum duxi. Doctißimus Cõſultißimusq; vir ac Dom. D. Cyprianus Vomelius Cameræ Imperialis aſſeſſor illi, hoc poſuit quod ſubijciam. Anno Chriſti.

Anno Chriſti.

Viglius hic Zuichemus habet poſt fata quietem
Præſide quo celebris Belgica tota fuit:
Quippe magiſtratu licet hoc illuſtrior vno
Haud cedat Doctis, Cæſare dante, viris,
Hic tamen illius valdè amplicauit honorem,
Inclyta tam virtus nomen & huius erat:
Tantus in eloquio nitor, atq; ſcientia legum.
Tanta, tibi quondam Scæuola quanta fuit:
Id quod perpetuo monumenta diſerta loquuntur
Quæ iuuenis merita luce frui voluit.
Iamq; ſuæ decies ſeptem numerauerat annos
Quum Lacheſis vitæ fila ſuprema trahit.
Friſia mœſta parens, tibi ne ſolatia deſint,
Heroas tales ade ſubinde nouos.

Eteoſtichon quod ſequitur, nobis Leouardia tranſmiſit V.I. Conſultiſſimus Dom. Doctor Iacobus Bouricius.

Viglius octaua (flet triſtis Friſia) Maij,
Aſcendit læti ſplendida tecta poli:

Scripſit Viglius, vt ſupra diximus, quæ edita ſunt.

Comment in 10. titulos Inſtitut Imp. excuſ. Paſſim

Theophili græcas inſtitut. in lucem eruit & addita doctiſſima præfatione Cal. Quinto dedicauit excuſ. paſſim.

Comment. de rebus creditis & ſi certum petatur poſt obitum eius an. 1585. Col. excud. in 8. Io. Gymn

DECAS

I. Cyprianus Vomelius.

CYPRIANVS Vomelius familia Stapertica perantiqua Ioanne Stapert, & Tietzaogema, pijs ac concordibus per omnem ætatē parentibus anno Domini 1515 vel circiter natus, prima literarum elementa Vomelij, qui Friſiæ Occidentalis pagus eſt in Territorio Hennaerderadeleo, parentum cura in ſchola infantuli didicit: Mox eorundem ſumptibus Goudæ ac Harlemi in Hollandia, item Sneccæ ac Gruningæ in Friſia ſolidiora Grammaticæ præcepta conſectatus, tandem vt vniuerſas dicendi artes plenius deguſtaret, atq; alia Iuris fundamenta attingeret, VVittembergam mittitur: Cæterum lapſo triennio, pater vita defunctus eſt. Et mater ſignificans ſe quatuor adhuc liberis educandis ſuperſtitem, præter Cyprianum & Sabinum, oſtendit ſibi permoleſtum fore, ſi miſſa deinceps pecunia eorum aleret ſtudia: Natus ergo annos plus minus viginti, cepit ipſe ſeſe profeſſorio munere in diuerſis per Germaniam ludis literarijs exhibere. Nimirum Magdeburgæ & Braunſvigæ in Saxonia, & Tremoniæ in Veſphalia, ſtatim vero cum hac ratione nonnihil collegiſſet argēti, ad diuerſas item Academias, videlicet Erphordienſem, Louanienſem, & Colonienſem interpolatim recurrebat: Vt inchoatum Iuris ſtudium, cum non poſſet continuare, ſaltem per interualla recoleret, atque ad aliquam ſi fata non aduerſarentur perduceret maturitatem. Tandem verò cum certorum

ami-

Anno Christi:

amicorum, maximè vero clariſſimi viri Iacobi Cu
rienſis Medicorum ac Mathematicorum eius ætati
facilè principis commendatione Moguntiam euoca
retur, Regentis munere in Contubernio Philoſophi
co per triennium perfunctus, quo etiam tempore pr
curatorem fiſci Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Mo
guntinẽſis generalem aliquandiu agebat, ſacrarun
legum magno præcipuorum ea in facultate proceri
conſenſu, Doctoratum ibidem ſuſcipiebat: Porro au
tem quia ſtatim Iuriſprudentiæ titulo cœperat incl
reſcere, non modo ipſe Reuerendiſſ. Archiepiſcopu
Moguntinẽſis paſſus eſt eum Ius Ciuile ſua in Acade
mia ordinarie profiteri, ſed & ipſe Imperator Caro
lus Diuæ memoriæ Quintus, eum cum tribus fratri
bus germanis, ſcilicet Sabino, I V. Licentiato, Epon
ac Ioanne honorarios per codicillos nobilitauit: Ip
inſuper Cipriano Comite Creato Palatino: & qui
dem in forma ampliore: Cæterum haud multis inte
iectis annis, ab illuſtriſſimo Principe Georgio Comit
Palatino in numerum Conſiliariorum cooptabatu
ac paulo poſt eiuſdem potiſſimum, gratia fauore a
ſtudio in Cameræ Imperialis Iudicij aſſeſſorem pr
ſentatus recipiebatur: Vbi per quindecem annos c
laude aſſeſſorem egit. Vbi in Dominum pie obdorm
iuit, & ad S. Ioannem ſepultus eſt: Multi funus ei
ob ſummum eius deſiderium lugentes, comitati ſun
multiq; Epitaphia illi condita poſuerunt. Ipſe ſibi E
taphium ſcripſerat paulo ante mortem, cum an
maduerteret ſibi fatalem diem imminere, qu
hic ſubijciam.

H

Anno Chriſti

[H]oc Friſius Condor tumulo Cyprianus auita.
Vomelidum à Stapert gente domoq; ſatus:
[I]onia lauri licet arte merebar honorem.
Eſt aſtrææ tamen plus Dea culta mihi:
[T]eſtis erit Mogani præclara Academia, quæ me
Tradentem audiuit Ciuica Iura frequens:
[T]eſtis erit Cameræ ſimul Imperiale Tribunal,
Quod colui Aſſeſſor per tria luſtra Spiræ:
At hic Chriſte tuum ſupremum expecto Tribunal.
Tu mihi non cenſor, ſed pius eſto pater.

Obijt quinta Martij anno poſt natum Chriſtum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo.

Ioannes vero frater eius natu minimus an. 1568. Embricæ in Cliuia vbi licet, iam quadregenarius, cõiugatus ac liberorum parens memorabili exemplo ludum quotidie literarium inter adoleſcentes frequẽtabat, quippe admirabili doctrinarum & virtutum cupiditate ſub id temporis inflammatus, in fata conceſſit. cuius ibidem monumentum cum tali inſcriptione extat,

Vixit Ioannes Friſius cognomine Stapert
Sectator Charitum Pieridumq; ſenex:
Namq; profeſſores quadragenarius audit
Sedulus, hac Sophiam quotquot in vrbe docent:
Quo magis ô iuuenes caſtas adamate camenas
Congruit hic vobis nempe decorus amor:

Alla vero ſoror iam ſexagenaria, quippe inter ſex liberos natu maxima, prid. Calend. Martias an. 1590. placidè in Chriſto obdormiuit, cui idem Cyprianus tale condidit Epitaphium.

Occu-

Anno Chriſti.

Occupat Alla ſoror ſed prole ſuperſtite quina
Atq; adeo felix poſteritate ſua:
Heu ſibi VVitmarſum matronam luget ademptam
Quæ pia pauperibus munera ſæpe dabat:
Pro quibus officijs, & pro bonitate perenni,
Da Deus huic famulæ cœlica regna tua.

Sabinus verò frater Cypriani I. V. Licentiatus vir egregius conſulatum aliquandiu Sneca geſſit, Donec ingruentibus factionum diſsidijs Embricam concederet: Vbi per annos aliquot moratus vita defunctus eſt, hic duas ex interuallo vxores habuit: priorem Idam nomine, qua defuncta, ſecundam duxit vxorem Ebelam Sicconis ab Albada, viri ob virtutem vitæq; ſplendorem inter ſuos haud quaquam incelebris filiã formæ præſtantia, pudicitia, alijſq; matronalibus dotibus nulli ſecundam. Ex qua aliquot ſuſcitauit proles adhuc ſuperſtites. Epo autem paternum poſsidens prædium quod Stapert vocant, agricolam agit, quod genus inter Friſios cũ primis honoratũ eſt, & Eijn ijerde, hoc eſt, proprietarij appellantur, qui Domini ſunt fundi ſui, & differunt à colonis, qui fundum colunt alienum & conductitium: Fuit etiam idem Epo in Hennaerderadeleo Territorio aſſeſſor, ſue vt quidam vocant, Scabinus Iuridico, & Vomelij Sculteius: Vxorem habuit Sibricam filiam Marci Sicconis, celeberrimi per Friſiam Capita. filiã ac ſororẽ Tincke Sakes Prætoris in Schoten, ac vxoris Eiſge Ian VVillenrs Pretoris in Appelſche: ex qua Filium procreauit, Laurentium Vomelium à Stapert, I. V. Doctorẽ & Iudicij Imperialis cameræ Aduocatum & Procuratorem, cuius inſigni diligentia, induſtria ac fide,

multi

multi Principes, multæ prouinciæ ac ciuitates lõge la- Anno Chri-
teq; toto imperio nitũtur. Ietzia ſoror octo ſuperſtitũ ſti.
liberorum, mater vixit cõiunctiſſime cum marito ſuo Ioanne Hoſſeli à Rinſ. qui & ipſe Vomelij agricultu ram exercuit. Fuit autem Cyprianus noſter vt omni literarum genere inſigniter ornatus, ita etiam omni humanitate, comitate, ad miraculum vſq; ſpectabilis, ſine felle, ſine fuco. candidus totus & ingenuus, q nemo nõ de illo, qui eũ cognouit nõ libẽter & cõſtãter prædicauit: Mihi quidem multis literis vltro citroq; datis, cognitus eſt, cum Erphordiæ agerem: quo tempore etiam mihi profeſſorẽ linguæ græcæ nomine vniuerſitatis iſtius obtulit: coram autem mihi nunquam viſus eſt, niſi domi ſuæ pridiè Paraſceues anno 1562. Tunc autem cum ego relicta Erphordia ad Cardinalem Granuellanum iturus in tranſitu officij gratia ſalutaturus eum accederem, ille me nunquam antea viſum, neq; certior aduentus mei antea factus (vt mihi poſtea affirmabat) nominatim compellauit, & porrecta dextera, gratiſſimus eſt (inquit) mi Suffride nobis aduentus tuus, quem multo iam tempore deſideramus: Idem mihi accidit hic Coloniæ mox cum clariſſimo viro Laurentio Surio, & non multo poſt, etiam cum doctiſſimo & venerabili viro Huberto Schoto, Patre priore Regularium in Buſco Iſaac, qui conuentus eſt in ſylua zonia in Brabantia.

Cyprianus autem in literis præſtare potuiſſet, quantum voluiſſet, ſi in his perſeueraſſet, quod quia non licuit, ijs ſe occupauit, quibus officij fidem debuit. Itaque poſtquam ad Rempublicam acceſſit ijs valedixit quibus delectatus erat in iuuentute

ſua:

Anno Chriſti

ſua: Tunc autem ſcripſit quo genius eius maxime delectabatur. & potiſsimum ſe continuit in viridarijs muſarum ac Charitum. Itaq; ſcripſit

Syluarum libros tres, qui ſunt excuſi Erphordiæ apud Melchiorem Saxonem anno. 1540.

Hic acceſsit poſtea ſyluarum liber quartus, ſeparatim ab iſtis excuſus apud Iuonem Schoeffer, anno. 1547.

Oder, ad Deum Optim. Max. pro tranquillando Chriſtiani orbis ſtatu, in qua imitatus eſt ſuum Præceptorem D. Iacobum Hoierum, ſiue Maieſterium celebris gymnaſii Harlemienſis olim moderatorem, virum non minus propter eximiã virtutem & eruditionem, quam vitæ Sanctimoniam ſempiterna dignum memoria: id quod ipſemet fatetur, Cyprianus inſcripto eiuſdem nomini epigrammate quod extat ſyluarum lib. 4.

Scripſit etiam librum miſcellaneorum.

Scripſit etiam librum qui continet celebrium aliquot virorum Epitaphia ciuitatis Madeburgenſis.

Cumq; à Carolo Quin. ornatus eſſet Palatinatu, vt ſupra dictum eſt, in gratiarum actionem illi luculentum ſcripſit Epicedium: Erat autem inter hunc & Vlpium ciſſeum tacita ſed ſine acerbitate diſcenſio nam in ſedanda & compeſcenda factioſorum rebellione, Vlpius Saxonibus fauebat, Cyprianus vero Burgundis, ſed vterq; commodo ſuo. Vlpius à Saxonibus promotus erat, ideoq; Henrico Saxoniæ Duci gratulatorium carmen ſcripſit Cyprianus id huiuſmodi Epigrammate teſtatus eſt quod extat ſyluarum lib. 3. his verbis.

Ae

Ad Vlpium Ciſſæum Franekerenſem.

Anno Chri-ſti.

Quod Friſiæ noſtræ non imperet Aula Georgi
Saxoniæ Domini longa querela tua eſt:
Aſt ego quod Cæſar rerum moderetur habenas,
In patria, ſummo gaudeo iure, méa:
Qui caput eſt mundi, cui paret Veſper & Ortus,
Quo nihil hic totus mitius orbis habet:
Hic Friſiæ noſtræ longum dominetur in æuum:
Haud Dominus Friſiis ille pudendus erit.

2. Georgius Ratallerus.

GEorgius Ratallerus Leouardiæ natus eſt, circa annum Chriſti 1518 Pater illi fuit ampliſsimus vir Dom. Ioannes Ratallerus, primus nomine Caroli Quinti generalis Friſiæ Occidentalis Quæſtor. Georgius ab ineunte pueritia ſtatim literis imbutus ingenij felicitate æqualibus ſuis facilè præeminuit, ſemperque ſe egregium præſtitit: Nos eũ adoleſcentem pueri ſub eodem præceptore M. Antonio Colonienſi Leouardiæ in ſchola publica ad S. Catharinam cognouimus: Qui non multo poſt tamen Vltraiectum ad Georgium Macropedium (cuius fama tum celeberrima erat) amãdatus fuit: Hũc igitur præceptorem nactus ita breui tempore profecit, vt non obſcure appareret, quantus futurus eſſet: valde propenſus illi genius ad Poëſin erat, quod cum animaduerteret,

Sæpe pater dixit ſtudium quid inutile tentas:
Mæonides nullas ipſe reliquit opes:

Cuius monitus Georgius, victus porrò ad eloquiũ Viridi tendebat ab æuo,

Anno Chriſti.

Fortia verboſi ferret vt arma fori:

His igitur liberaliter inſtructus, Louanium primũ, deinde & Gallicas, & Italicas academias adiuit: nõ modo vt exactiorem Iuris cognitionem ſibi compararet, ex collatione celebrium profeſſorum, ſed etiam vt contracta cum his ipſis & alijs viris apud ſuos præcipuis familiaritate, haberet in omnem euentum, quos iure amicitiæ conueniret. Quorumq; recordatione peregrinationem ſuam ſuſtentaret, tum etiam vt popularium linguarum peritia comparata, aptior eſſet ad negotia Reipub, nomine cui à miniſtraturus erat, exequanda, ſi quando legationes ad extraneas gentes forte obeundæ eſſent: Reuerſus igitur in Belgiũ à Carolo Quinto in magnum Senatum Mechliniæ cooptatus ſupplicum libellorum Magiſter ibidem conſtituitur: Non multo poſt à Domina Margarita Parmenſi, Caroli filia, Belgij Gubernatrice Legatus mittitur ad Regem Daniæ nomine rerum Belgicarum: Vbi re feliciter acta reuerſus Vltraiecti ſenatus Regij præſes conſtitutus eſt, vbi & diem ſuũ obijt anno 1581. repentina morte ſublatus in ipſa Curia: Vir adhuc integræ ætatis & corpore vegeto ac robuſto: Erat enim Heroïca corporis proceritate, membris validis, & firmis lateribus, candidiſſima facie, capillitio nigro, barba denſa, non tamen prolixa, oculis nigricantibus ac lætis, naſo ſubadunco, & vt breuiter dicã, qualẽ gratiæ ipſæ muſis adiuuantibus finxiſſe videri poterant. Vox erat virilis, placida tamen & ſine horrore ac ſtridore: Sed hæc ornamenta exteriora ab interioribus in illo longo interuallo ſuperabantur: Celebrat enim in deſcriptione vrbis Leouardienſis Ludoui-

cus

eus Guicciardinius, ſed de ſcriptis eius nullã mentionem facit: Scripta autem eius quæ quidem nos hactenus cognoſcere potuimus hæc ſunt. Anno Chriſti.

Heſiodi opera & dies latino carmine Elegiaco reddidit.

Item Epigrammatum librũ ſcripſit Petrus Brubachius excudit Francofurti anno 1548.

Item Sophoclis fabulas tres Alexandram, Electrã, Antigonem, carmine latino tranſtulit. Gryphius excudit anno. 1550.

Idem poſtea Sophoclis Tragœdias aliquot latino carmine reddidit. Antuerp Gulielmus Syluius excudit anno 1570. in 8.

Euripidis etiam Tragœdias tres, Phœniſſas, Hippolitum coronatum, & Andromacham in latinum tranſtulit, eleganti carmine.

His adiunxit etiam fragenta ex veteribus Græcis Poëtis apud Stobæum extantia eodem verſuum genere latinè reddita, quæ ſimul excuſa ſunt in 16. Ant. apud Plantinum anno 1581.

Scripſit etiam Elegiam in obitum Gulielmi Canteri quæ manu eius deſcripta apud nos extat, & cũ aliis Epitaphiis in eundem Canterum ſcriptis edetur vt in Cantero ſupra diximus.

Scripſit etiam in gratiam noſtram breuem catalogum omnium Præfectorum ſiue Toparcharũ qui Vltraiectinum ditionem ſub Carolo Quinto, & filio eius Philippo Hiſpaniarum Rege gubernarunt: Itemque & Præſidum quoque qui Senatui ſupremo præſiderunt: Quẽ ad id ipſius memoriam in vſum Vltraiectinorum, ne intercidat hic ſubiiciemus ex epi-

Anno Chriſti. ſtola eius Vltraiecto ad nos data. 4. Idus Maij, anno 1574. In quo ſic ſcribit.

Quoad alteram eius epiſtolæ tuæ partem attinet, (inquit) qua cupis tibi ſuppeditari ordine Præſides Curiæ Vltraiectinæ, ab eo tempore, quo in Carolum Quintum Imperatorem, tranſlata fuit Prouincia, & quo quiſq; anno cœperit, & quot præfuerit, ſic habe:

Inſtitutum fuiſſe Senatum Vltraiecti anno Dom. 1530. vndecimo Aprilis.

Gubernatore tum Prouinciæ D. Antonio de Lalainij, Comite Hochſtratano, quo vita defuncto ſurrogatus in ipſius locum fuit Renatus Chalonius: Princeps Aurangiæ, 11. Octob. 1540.

Huic ſucceßit Ludouicus à Flandria D. de Praet. 4. Octob. an. 1544. Ille abdicata conſenſu Cæſaris dignitate ſucceſſorem habuit Maximilianum à Burgundia, Marchionem Veranum. 27. Martij anno. 1546.

In cuius mortui locum ſuffectus eſt Guilielmus Naſſouius Princeps Aurangiacus 18. Auguſt. an. 1559 qui Duce Albano ad excitatos in Belgio motus componendos, miſſo, in ſuperiorem Germaniam cum receßiſſet anno. 1567. Præfectus Hollandiæ atq; Vltraiectinæ prouinciæ deſignatus fuit Maximilianus Comes à Bouſſu.

Primus conſilij Vltraiectini Præſes fuit Iaſpar Leuinus Hoghelandius ex conſilio Hollandiæ aſcitus 11. Aprilis 1530.

Martinus Naerdemus etiam ex conſilio Hollandiæ euocatus locum Hogelandij ſubijt, qui ſponte

eam

eam functionem abdicarat 6. Auguſti. anno Domini. 1538. Anno Chriſti.

Nærdeno deinde Gruningam ablegato, vt ibi Præfectum vrbi ageret, ſucceſſit Hector Hoxverius 21, Nouemb. anno 1541.

Cui vita functo ſucceſſit Adrianus Verburchius Magiſter libellorum ſupplicium, & magni Conſilij Mechlinienſis Conſiliarius 27. Septembris anno. 1547

Qui poſtea allectus in Præſidem Flandriæ & cuſtodem Sigilli Belgiæ ſucceſſorem habuit Hippolitum Perſinum, Regij in Friſia Senatus Præſidem 19. Maij anno 1557.

Perſino ſucceſſit Georgius Ratallerus Magiſter libellorum ſupplicum & magni conſilij Mechlinienſis Conſiliarius 11. Auguſti anno 1569.

Habes mi Suffride catalogum quem petijſti Præſidum Vltraiectinorum, cui ego adieci Gubernatorũ ſeu Præfectorum catalogum, quem, ſi ita videbitur loco appendicis poteris adiungere.

Becani Hiſtoriam quam hic tandem nactus erã vernacula conſcriptam linga deſcribi iuſſi, eo animo vt ad te primo quoquo tempore trãſmitterem: Quia autem heſterno die ex Domino præpoſito D. Ioannis, intellexi, te Hiſtoriam eam propediem editurum, cum appendice tua ad hæc vſq; tempora deductam, collatumq; tuum, cum duobus alijs exemplaribus, ſuperuacaneum duxi meum tibi mittere: eoq; magis quod admodum mendoſum multis in locis, plurimiſque lacunis interſciſſum, haud magno tibi vſui futurum exiſtimem: Huc accedit quod cum hæc ſcribe-

Anno Chriſti.

bam. Interuenit Theodorus Canterus communis amicus, dicens ſe abs te literas habere, quibus petebas vt principium finemq; mei exemplaris conferret, cum ijs, quæ ex tuo excerpſeras: quod fecit. Atq; is ad te de hac re plenius: bene vale optime Suffride, & me tui amantem redama. Vltraiecti 4. Idus Maij anno 1574. Tibi ex animo addictiſſ. G. Ratellerus: Hæc Ratallerus, opus autem Io. Becani Canonici Vltraiectini, de quo hic agit, ego Louanio huc decedēs Typographo excudendam tradideram cuius incuria amiſſum ſed poſtliminio tandem recuperatum hactenus penes me hic eſt, & prodibit in lucem commoda occaſione data.

3. Gerardus Lopperſſum.

MAgiſter Gerardus, qui & Lemonius, & Lopperſius & Lopperſum dictus eſt, in Lopperſum natus fuit, qui pagus eſt in municipio Grunningano: Hic in patria ſua puerilibus literis imbutus, Regnero Prædinio Grunningana ſcholæ Rectori commendatus eſt. Quó Præceptore tum in vtraq; lingua, tum in omni Philoſophia ſic profecit, vt in condiſcipulorum ſuorū cœtu facilè princeps eſſet: Hanc eruditionis exiſtimationem conſecutus magnatum aliquot liberis Præfectus Louaniū miſſus fuit. Vbi & per multos annos ſe continuit, & priuatis lectionibus ſe ſuſtentauit, quibus & multos auditores attraxit, & iuncta vitæ integritate, mirum in modum delectauit. Intra linguarum & reliquæ Philoſophiæ cancellos prælectiones

ſuas

ſuas continuit etiamſi & Iuriſprudentiam & Theologiam ac Medicinam quoque non oſcitanter inſpeiſſet, in patribus Eccleſiæ Græcis ad vnguem verſaſatus erat: Neque iucundius illi quicquam erat, quam Græcas patrum lucrubrationes latinas facere, non modo proſa, ſed etiam carmine, quo multum valebat. Mortuo Regnero prædinio cum Magiſtratui Gruningano pro meritis ita à cordatis eſſet commendatus, vt tali Præceptori, talis diſcipulus merito ſufficiendus videretur. Magiſtratus enim liberali ſtipendio induxit vt Scholæ Gruninganæ gubernacula ſuſciperet. Sed cum vir optimus neque vocem, neque motus Regneri præſtaret, quæ oculos & aures titillarent auditorũ ſolito modo, introduceret, deinde etiam nouã & inſolutã Poëtices doctrinã, quã Regnerus neglexerat, cui nihil niſi carmina deerant, euiluit eius authoritas, & ipſe in exemplum venit ita vt præ animi mœrore pene contabuerit, cum fructum facere non poſſet, & exiſtimationem omnem ſuam amitteret. Itaq; elapſo anno vno, miſſionem à Magiſtratu petiuit, quam illi Magiſtratus quamquam grauatim dedit, & pro amplitudine ſua liberali cum eo egit, cum ipſius culpa incommodum hoc non accidiſſe ſciret: Relicta igitur Gruninga Louanium reuerſus eſt, vnde quorundam magnatum precibus euocatus Traiecti ad moſam Rectoratum Scholæ ſuſcepit vbi & vxorem duxit, &, vt intellexi vita tandem defunctus eſt, circa annum 1582. Interim autem dum Traiecti ageret, aliquando Louanium ad me excurrit, & inter alia me prudentiæ laudabat, quod Domino Regnero proxime noluerim ſuccedere: ſed

Anno Chriſti.

Anno Chriſti- conquereretur ſibi non id in ommodi ſolum ibi obſtitiſſe, ſed illud quoq; quod eſſent illic in ſchola Hypodidaſcali, qui ipſum omnibus modis amoliri cupiebant, ea ſpe, vt ipſi Rectoratum conſequerentur, & horum inſtigatione ipſum fuiſſe exſibilatum ab adoleſcentibus imperitis & improuidis, quod mihi facile perſuaſit eſſe verum, & poſtea ab alijs intellexi eſſe verò verius: Mihi autem non illæ tantum cauſæ fuerunt, cur multis in locis oblata ſcholarum publicarum gubernacula recuſauerim, de quibus hactenus dixi, ſed & illa quoq; vel in primis quòd Rector ſcholæ pub plus negotij ſentiat ex Hypodidaſcalis ſuis, quam ex diſcipulis, Hypodidaſcali enim plerumq; non tam Rectoris, quam ſuum negotium agunt, & non rarò per diſcipulorum conſpirationes Rectorem euertunt, quæ res me maximè deterruit, quo minus Rectoratum vllius ſcholæ ſuſcipere voluerim, cum mihi diuerſis in locis oblatus ſit: Gerardus autem ſcripſit multa Epigrammata ad diuerſos.

Item Epitaphia & Epicedia.

Item D. Gregorij Nazianſeni poëmata latina fecit, quæ omnia mihi coram Louanij exhibuit: an autem hactenus excudi curauerit ignoro. Scripſit etiam multas epiſtolas græcas: de quibus æque nihil conſtat,

4. Boëtius ab Holdingha.

BOëtius ab Holdingha vir antiquæ & primariæ nobilitatis, cum à Forenſi ſtrepitu abhorreret otium literarium ſectatus eſt, & quoniam neq; reditus ampliſſimi neque prædiorum commoditas deeſſet, muſas pro arbitrio ſuo coluit, & comparata Bibliotheca

theca ampla non modo legere multa, ſed colligere multa quoq; & commentari nonnulla voluit ad ornatum & vtilitatem patriæ ſuæ: Itaq; etiam tum cū factiones ſacræ per belgium gliſcerent, ille, quo ſolita tranquillitate philoſophari poſſet, Emdam conceſſit, vbe etiam ni fallor poſt aliquot annos vita defunctus eſt, vir ſane in ſacris linguis, in omni Philoſophia, in tribus deniq; maioribus facultatibus, & præcipue in Hiſtorijs & patriæ antiquitatibus ad miraculum eruditus. filium vnum moriens reliquit, Vilconem Holdigerum ab Eyſingh de quo infra dicemus: Scripſit quæ nos hactenus comperimus. Anno Chriſti.

Inſigne opus de Friſia noſtra.

Item catalogum verborum Friſicorum quæ cum græcis conueniunt, & quædam alia non contemnenda, mortuus eſt circa annum Dom. 1582.

5. Sibrandus Leo.

Sibrādus Leo, Leouardiæ patre Leone naupego natus eſt: Cui ſi fortunæ te inuitas in prima adoleſcētia non obſtitiſſet, nulli ſuorum æqualium ſecundus eſſet. Erat enim in eo ingenium viuidum & ad omnia ſequax. Sed cum & legitime natus non eſſet, nec haberet quo ſtudia ſuſtentaret, per diſpenſationem, vt vocant, (quan quam ſatis difficulter) impetrauit eius mater, vt in conuentum Lideumanum reciperetur, qui prope Franekeram fuit ordinis præmonſtratenſis: In hac igitur Abbatia monaſticam vitam profeſſus Sibrandus alacri ſtudio ad ordines Sacerdotales contendit, quos & gradatim adeptus concionando ſe exercuit, in quibus & paulatim vſu induſtriam adiuuante, eminere cœpit: Itaq; cum iſta Abbatia ali-

Anno Chriſt.

quot pagos haberet, quibus iure patronatus, de paſtoribus proſpiceret, euenit vt vita defungeretur Paſtor qui erat in Menaldemio, qui pagus non multo plus vno miliari Occidentem verſus Leouardia diſtat: In huius igitur locum ſuffectus eſt Sibrandus: Qui poſt aliquot annos hinc Bellocomium ad punguorem eiuſdem ſui conuentus Paſtoratum ſimili euentu & poſtea rurſus in Menaldemium tranſlatus fuit: inde tandem gliſcentibus tota Belgia ſacris factionibus eiectus patria extorris, ad extremum in Cuſemaria ſui ordinis Præpoſitura in terra Gruningana vitam cum morte commutauit, anno poſt natum Chriſti, ni fallor milleſimo quingenteſimo octogeſimo octauo. Miro ſtudio hic nos à teneris annis coluit, non modo Leouardiæ, vbi ſub vno Præceptore Magiſtro Cornelio Coleberto inſtituti ſumus, ſed & Loua. quo aliquando excurrit, & patriam ſubinde nos viſitātes diuerſis in locis humaniſſime excepit, quod agnoſcere diceret noſtra in ipſum neſcio quæ beneficia, quæ tamen ipſe nūlla me contuliſſe in ipſum memini, niſi fortè conſilio ſi quando requireret, noſtro autem hortatu, primum Tabulam geographicam Friſiæ compoſuit: Quam excudit primum Iacobus Dauentrienſis, & deinde locupletatam recudit anno Chriſti 1579. Hoenbergius, & auctario tabulæ Hopperianæ extendit, quæ ſitum Friſiæ repræſentat, qualis ſub Auguſto Cæſare fuit, vt ſupra diximus in Hoppero: deinde verò cum Hiſtoriæ nomine quam in gratiam patriæ meditabamur, omnes amicos fatigaremus, vt nobis antiquitatum monumenta conferrent, datis litteris & hunc etiam hor-

hortati ſumus, vt vndecunque poſſet antiquitates patriæ corrogaret ac nobis tranſmitteret: Quarum acquirendarum ille vt ſi quis alius tunc maximam commoditatem habebat, tum ob conuentus duos Ludlinnenſem & Mariengardenſem ſui Ordinis Abbates & Religioſi compluresvalde diligentes & induſtrij vixerunt, tum etiam propter conſuetudinem antiquiſſimæ & nobiliſſimæ familiæ Hemmemanæ quæ Bellocomi eſt, vbi Sibrandus tum Paſtor erat: Nam cum ipſe nobiliſſimus ampliſſimuſqúe vir ac Dominus, & nobis dum vixit ſingularis patronus Hectoras Hemmena, huius familiæ pater, haud facilè tota Friſiæ tota Friſia patrem in antiquitatum cognitione, quatuor etiam Friſiæ habuit Doconem, Dominicum, Renicum, & Sixtum inſigniter & ſtudioſos & peritos antiquitatum patriæ atque etiam mei amantiſſimos. Anno Chriſti.

Ac præſtitit quidem ſe tum Dominus Sibrandus in hoc negotio diligentem ac ſtrenuum, & collegit ſyluam quandam rerum geſtarum nequaquam contemnendam, quam & mihi Louanium vbi tunc agebam tranſmiſſurum eſſe literis Bellocomo datis 28. Iulij anno 1571 ſpopondit: Eiectus autem in exilium ſecum patria eam exportauit, & præpoſito Cumarienſi moriens commendauit, vt is proxima occaſione Coloniam ad me tranſmitteret: Maximè autē vſus fuit hic Sibrandus in rebus noſtratum tranſmarinis deſcribendis, Oliuero Scholaſtico Colonienſi, qui diligenter verſatus eſt in recenſendis Friſiorum rebus fortiter ad Damiatam & alibi terra S. geſtis & priuilegijs eo nomine ab Imp. & Pont. impetratis.

Quod

Anno Chriſti

Quod mandatum eius exequi inter præpoſitum & me dignatus eſt ampliſſimus vir ac reuerendiſſimus Dom. Gellius Ilſtanus. Ioannitarum in Hoſpitali prope Snecā, & in Vituert commendator, qui ſyluam iſtam Sibrandi ad me huc tranſmiſit 11. Octob. anno 1584. Quæ magnum adiumentum attulit conatibus maxime in fluminibus patriæ, deſcribendis, in originibus familiarum, eccleſiarum, ciuitatum adnotandis. Qua et ſe in ciuitatum deſcriptione magnopere adiutum eſſe, idem commendator ad me datis literis profitetur, vt infra plenius dicemus: ſcripſit hic Sibrandus etiam plura quæ olim in Menaldemio mihi coram oſtendit. Sed an præter tabulam iſtam Geographicam aliquid in lucem emiſerit, equidem nondum comperi: Vtcumq; hoc ſit, nobis hæc Sibrandi memoria conſecranda fuit. Primum vt gratiam eius manibus referamus, per quem profecimus: Deinde vt & Lectori fidem noſtram probemus, cum iudicamus vnde acceperimus, quibus patriam noſtrā illūſtrare conamur.

6. Andreas Mirica

ANdreas Myrica Lemmarienſis, Medicinæ Doctor, quatuor linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ atq; Chaldaicæ peritiſſimus, omni artium genere inſigniter excultus fuit: Vir vt ipſo vultu venerabilis, totoq; corporis habitu reuerendus, ita etiam ſingulari morum probitate, vitæ honeſtate ſuſpiciendus, omnibus amabilis, nulli odioſus extitit: Poſt ſtudiorum ſuorum conſummationem, quorum nomine Germaniam, Galliam, & Italiam peragrauerat, ac diuerſas vniuerſitates coluerat in patriam reuerſus Leonar-

uardiæ honeſtam vxorem duxit, ibidemq; Medicinæ praxin per multos annos feliciter exercuit, & plurimis opem oportunam tulit, quos alioqui mors immatura de medio ſuſtuliſſet: cæterum quam alijs præſtitit ſibi præſtare vir optimus ac peritiſſimus non potuit aduerſus calculum Medicinam, cum aduerſus fatalem neceſſitatem nulla medecina valeat: Itaq; calculo ſublatus eſt ſexto die Decembris anno 1585. quem tota ciuitas magno luctu proſecutus eſt: ſcripſit vt accepimus, non modo in medicina ſed & in ſacris plurima, quorum ſingulari affectu ardebat, ſed hæc omnia, cum ſibi mortem imminere ſenſiſſet, flammis abſumi voluit: in quo an illi prorſus obtemperatum ab amicis ſit, equidem non ſatis comperi, ideoq; ſpero præſto fuiſſe aliquem eius manibus talem vindicem, qualem ſe manibus Virgilij præbuit Cæſar Auguſtus.

Anno Chriſti.

7. Petreius Tiara.

P*Etreius Tiara, Vorcomij honeſto loco natus, cum eſſet ſingulari ingenio, & admirabili memoria præditus, nullam difficultatem in ſtudijs, imo vero in quibuſcumq; rebus percipiendis ſenſit: Vnde & αὐτοδίδακτος in omnibus fuit: nihilq; vnquam repperit quod non ſuopte marte, & ſine Præceptoris opera, pleniſſime perciperet. Quare & Logicis & Mathematicis, & Phyſicis & Ethicis diſciplinis ad miraculum inſtructus fuit: Inſtrumenta Muſica, Aſtron. Geomet. artificioſiſſime fabricare, vt & pingere potuit: Trium linguarum cognitionem exactam habuit, quarum ſubſidijs ad vſum facultatis medicinæ potiſſimum vtebatur. In qua ſupremam Lauream conſecu-*

Anno Christi.

tus induſtriam ſuam Reip potiſſimũ probare voluit: adoleſcens vidit Germaniã, Galliã, Italiã: In Belgium reuerſus vxore in patria ducta ſedes Louanij fixit: Qua amiſſa non multo poſt, ad nouam vniuerſitatem Duacenſem Regio ſtipendio vocatus vtriusq; linguæ profeſſionem ſuſcepit. Defunctà autem vxore ſecunda, quæ & Gall. ling. inſolentiã, & patriæ deſideriũ ferre nõ poterat, profeſſione relicta in Friſiam & Franek. migrauit, vbi vxor nata erat, ſubſtitit, vbi & Conſulatũ vrbis aliquãdiu geſſit: Cũ verò inſanis factionibus Belgium flagrare inciperet, ille maturè ceſſit inuidiæ, & Lugdunum Batauorum ſe contulit, vbi publicam medicinæ profeſſionem aliquandiu habuit, vnde tandem in patriam reuocatus in noua vniuerſitate Franekerenſi Græcas literas aliquandiu publico ſtipendio profeſſus eſt, vbi & mortuus eſt anno Domini 15 6. annum agens ætatis ſuæ (ni fallor) octuageſimum: Contigit ille nobis olim Louanij anno Domini 1553. Hoſpes & iucundus & ſalutaris: Qui cum ſobrietate vitæ, & bonis admonitionibus nos ad virtutem & ſtudia exuſcitaret, ea tamen comitate vbiq; iſta condiebat, vt ſine offenſione quin potius cum ſumma gratia ac voluptate ab illo profecta acciperentur. Ideoque cum eo tempore multi eſſemus in eius ædibus adoleſcentes, quorum alij ad alias dignitates poſtea conſcenderunt neminem equidem hactenus audiui, qui non ſuauiſſimam illi conſuetudinem Petrei fuiſſe prædicaret. Potuiſſet hic vir ad maximas quaſq; dignitates & ad ſplendiſſimas profeſſiones peruenire, ad quas à diuerſis magnatibus, frequenter inuitatus eſt, ſi voluiſſet: Nec enim

inge-

ingenij ſolum, ſed & corporis etiam dotibus natura ipſa eum huc deſtinaſſe videbitur, quæ nihil omiſerat, quod in pleniſſima virilis corporis fabrica requirebatur. Anno Chriſti

Erat enim ſtatura vltra mediocritatem, membris validis & bene compactis, & proinde etiam robuſtis, cute candidiſſima, facie decenti, fronte lata, oculis lætis capillitio rufo, barba denſa ac valde permiſſa. Quæ omnia ille venerabilem quandam reuerentiam & authoritatem apud notos & ignotos conciliabant. Vnum tamen illud natura in eo oblita videri poterat, vt ei facultatum ſuarum fiduciam paulo maiorem ingeneraret: obſtitit enim illi ſemper Dyſopa, & inutilis quædam verecundia. Qua obſtante, idem quod priuatim, inter paucos cum ſumma laude potuit publicè præſtare non potuit, perſtringente mox eius oculos auditorum frequentia, quæ alios magis excitare & erigere ſolet: Scripſit quæ quidem hactenus ad notitiam noſtrã peruenerunt, ea quæ ſequuntur.

Quanquam & alia eum habuiſſe ſub incude, certo ſcimus.

Vertit ex Euripide Medeam, quam Vltraiecti excudit Hermannus Borculous anno Domini. 1543.

Vertit ex Platone Sopiſtã, exuſum Louanij apud Martinum Rotarium anno 1533.

Scripſit paraphaſim in Aphoriſmos Hippocratis quam olim vidimus M.S. in Bibliotheca Cardinalis Granellani. Cardinalis enim accepta huius dedicationis autographo, Petreio liberale munus remi-

ſit

Anno Chriſti. *ſit, & exemplar hoc Bibliothecæ ſuæ conſecrauit, expectans editionem publicam ex alio antigrapho à Petreio faciendam, quam an poſtea fecerit equidem ignoro.*

Poſt obitum eius ex ipſius interpretatione prodierunt Pythagoras Phocylides, Theognis carmine latino expreſſi, quos excudit in vniuerſitate Franekerenſi AEgidius Radæus in 8.

In tranſlationibus eius Proſaïcis eſt quædam Ciceroniani ſermonis puritas, minimè tamen affectata, ſed veluti natiua quæ ſingulari quodam philtro adblandiens aliquando plus voluptatis afferat Lectori quem is ex ipſo fonte græco percepturus erat.

8. Rembertus Dodonæus.

R*Embertus Dodonæus, origine Friſius patria Mechlinienſis fuit, quod negotiorum ſuorum gratia parentes eius Friſii Mechliniæ verſati, filium illic ſuſtulerunt: Proauus huius Remberti noſtri Staurienſis fuit nomine Iarichus à Ióenckema, qui filium habuit Rembertum qui & à Ióenckema, & Iariga dictus fuit Is Leouardianæ ciuitatis Senior diu fuit, vir magni conſilij, ſummæq́; authoritatis, hic moriẽs reliquit filiam vnam, & filium vnum. Filiæ nomen fuit Tita, ſiue Tidea, ex qua nata eſt Rixtia vxor Sedeuardi ſiue Suffridi Hopperi, vt amplius patet in genealogia Hopperi ſupra poſita: Filio Remberti nomẽ fuit Dodo, qui dictus eſt extra patriam Dioniſius Dodonæus: ex hoc natus eſt hic noſter Rembertus Dodonæus. Cuius filij fuerunt Dionyſius, vita defunctus & Rembertus Dodonæus Iunior, filiæ fuerunt tres, Antonia, Vrſula, & Ioãna: Ipſe & fortunis, & muſis*

propitijs

propitijs ad ſummum eruditionis culmen in omni artium genere peruenit, in Medica tamen facultate eminere voluit, cuius gratia multas vniuerſitates in Germania, Gallia, & Italia viſitauit & coluit, medicinæ autem Lauream ſupremam conſecutus, cum ob artis inſignem peritiam & in eius praxin ſummam fœlicitatem longè lateq; celebraretur. Inuictiſſimus Imperator Rodolphus ſecundus eum ſibi medicum ac ciuit, apud quem cum in ſummo honore eſſet, continuis amicorum literis Mechliniam vocatur, quod bonis ſuis, quæ circa Mechliniam & Antuerpiam habebat præſto eum adeſſe oporteret, niſi ea factioſis impune diripiendam concedere, & quaſi pro derelicto habere vellet. Quibus ille tandem permotis impetrata ab imperatore miſſione, ad ſuos rediturus Coloniæ aliquandiu ſubſtitit, quod tum temporis toto Belgio & maxime in Brabantia, omnia ſacris factionibus infeſta eſſent: Quo tempore ob inſignes curationes, has quas in multis ægrotantibus feliciter operatus erat, in ſumma gratia apud omnes fuit: eum quoque chariſſimæ Coniugi noſtræ ægrotanti, medicum adhibuimus, ſed eo euentu, proh dolor, quem ipſe pro ſagacitate ſua ex ſignis medicis facilè præuidit, & mihi etiam prædixit: Octauo enim die ex quo ægrotare cœperat, in fata conceſſit, vltimo Martij, qui pridie Paraſceues erat anno 1580. Hic vir quanquam neq; natus, neq; multum verſatus eſſet in Friſia, ad miraculum tamen peritus erat, rerum Friſicarum, maxime autem in deducendis antiquis familijs, quarũ origines ac ſucceſſiones, ad vnguẽ callebat: quod ego non modo in mea vxoriſq; meæ proſapia, ſed & Anno Chriſti.

Anno chriſti.

in aliorum quoq; multorum genealogijs deprehendi in quibus deducēdis magno mihi adiumēto ſæpe fuit: Amicis demum aßidue flagitantibus ob cauſas ſupra dictas relicta Colonia, Antuerpiam conceßit, indeq; non multo poſt Lugdunū in Batauia ſtipendio luculento inuitatus, medicinæ profeßionem publicam ſuſcepit, qua non admodum diu functus ibidem diem extremum clauſit: Scripſit multa & inſignia ad eam medicinæ potißimum partem ſpectantia, quæ verſatur circa ſimplicia, quæ vocantur: Et ſunt.

Florum & coronariarū odoratarumq; nonnullarū herbarum hiſtoria, apud Plant. Antuer. excuſ. anno 1568. in 8.

Eiuſdem hiſtoria frumentorum, leguminum, paluſtrium & aquatilium herbarum, additæ ſunt imagines viuæ, quarum pleraq; nouæ & hactenus non editæ apud Chriſtop. Plant. Antuerp. anno 1586. in octauo.

Herbarium abſolutißimum, omnium plantarum genera complectens, appoſitis vbiq; artificioſißimis figuris, in fol. Antuer. apud Plant. Mortuus eſt, vt accepi, anno Dom. 1586.

9. Sixtus ab Hemminga.

Sixtus ab Hemmema, ſeu vt ipſe ſe ſcribit, ab Hemminga, natus eſt Ballocomi, oppido Friſiæ Occidētalis, Patre Hectore ab Hemminga, matre Barbara à Gratinga, anno Chriſti 1533. ſexto die Februarij, Pater huius Sixti noſtri nobilißimæ & antiquißimæ familiæ Hemminganæ columen, ſua memoria inter Fri-

Friſiæ proceres in comitijs alijſq; publicis congreſſibus, patriæ nomine inſtitutis authoritate ſua multum potuit: Hic habuit filios quatuor, Doconem, Dominicum, Regnerum, & hunc Sixtum, omnes ſingulari eruditione conſpicuos: Nam vir cordatus pecuniæ nũquam pepercit, quam in filiorum inſtitutionem impenderet. Itaque ab ipſis ſtatim incunabilis illis, præceptores idoneos habuit, & perceptis in patria literarum fundamentis Louanium, & porro ad alias vniuerſitates ablegauit, vt non modo artium peritia, ſed & linguarum ſcientia conſpicui, & poſtulante neceſſitate vſui Reip. eſſe poſſent. Quam diligenti ſtudio quam maturo profectu Doco fuit, Sixti noſtri verbis, quam meis explicare malo, quæ huc ex ipſius Doconis genitura quam Sixtus fratri exemplo 24. poſuit tranſcribam: Nihil autem minus ſuſpicabamur „ (inquit) quam ipſum nobis morte ſubripiendum cum „ rariſſime, imo annorum 22. ſpatio nunquam pericu- „ loſe ægrotaſſet, & eſſet valetudine ſatis firma, ſobri- „ us præterea & temperans admodum, vitæq; in om- „ nibus actionibus moderatiſſimæ. Erat verò ingenio „ tam manſueto ac ſedato, vt non alium viderim eo „ quietiorem: à grauioribus occupationibus & publi- „ cis negotijs prorſus immunis, à domeſticæ quoque rei „ curis liber, nam cœlebs erat. Inimicitias & contro- „ uerſias ita deteſtabatur, vt neminem vnquam cogno- „ rim, quẽ aut odio habuerit, aut cui ipſe odio fuerit. „ Nihil præferens animi tranquillitati, priuatim in otio „ tantum literato, & ingenioſo degebat, à vulgi mori- „ bus alieniſſimus: In ſtudijs primum locum tribue- „ bat lectioni Sacrorum Voluminum : Secundum „

Anno Chriſti

Anno Chriſti.

Hiſtorijs & Chronographiæ, tertium poëſi, ſed ſecretiori ac Doctæ: Artem enim illam verſificatoriam vul
" *garium huius temporis Poëtarum contemnebat, &*
" *in his ſemper aliquid adnotabat & commentabatur:*
" *Horis autem ſubciſiuis ſe conferebat ad Geometriã,*
" *Opticen, Picturam, Plaſticen, Toreuticen, quibus li-*
" *benter ingenium adiuuante natura vacabat, ſeq; ex-*
" *ercebat, imitatione pariter & inuentione feliciſsimus:*
" *Conſcripſit tabulas vniuerſalis Chronographiæ, ſed*
" *morte præuentus non abſoluit poëmata quoq; multa,*
" *quæ tamen nunquam voluit in lucem edere. Exara-*
" *uit tabulam Geographicam totius orbis, cum primis*
" *magnam & elegantem, nec minus artificioſam, plu-*
" *raq; induſtriæ ſuæ monumenta nõ vulgaria reliquit:*
" *Hæc ibi, deinde infra ſubdit. Sequenti (inquit) anno.*
" *1570. Menſe Martio die 19. corripuit ipſum inflam-*
" *matio cerebri, qua indies ingraueſcente, cum neq; ſe*
" *quieti dare poſſet, neq; quicquam ſumeret. fruſtra ac*
" *cerſitis medicis maximo ſuorum mœrore ex hac vita*
" *deceſsit 30. Martij ſub ortum ſolis annos natus. 42.*
" *menſes ſex & dies aliquot: Meo autem dolori acceſsit*
" *id quoq; quod nec ægrotanti aut decumbenti, nec ex-*
" *piranti adfuerim. Hactenus de fratre ſuo Docone*
Sixtus. De Dominico & Renico idem teſtaturus, ſi &
horum Genituram deſcripſiſſet: Ipſe Sixtus vt in medicina excelleret artes Mathematicas ſibi diligenter agnoſcendas eſſe ſtatuit. Ideoq; perceptis Logicis & Ethicis & Phyſicis diſciplinis, & linguis ſacris Mathematicarum gratia ſe Louanij Gemmæ Friſio, & alibi alijs earum peritiſsimis profeſſoribus applicuit quo penitus in earum penetralia tranſiret. Cumq; in

cæteris

Anno Chriſti.

cæteris, quæ Mathematum nomine cenſentur certitudinē eſſe deprahendiſſet, quā docti & indocti pariter prædicant, extra omnem veritatis controuerſiā eſſe poſitam, eas ad vſum ſuum ſectatus eſt. Sed illam quam aſtrologiam vocant, quæ futurorum præſcientiam ex aſtris promittit, quum nullis fundamentis, nullis rationibus certis niti, & proinde vanam & futilem eſſe deprahendiſſet, vir veritatis ſtudioſus & ingenuus, nō modo ipſe eam cane peius & angui odit, ſed etiam alijs etiam pro merito odioſam reddere voluit: Itaq; ſcripſit librum aduerſus eos qui Aſtrologiā profitentur, cui titulum fecit, Aſtrologiæ ratione & experientia refutatæ liber. In quo ille non Aſtronomiam impugnat, quæ inter Mathematicas quartum locum obtinet, & ſyderum ortus & occaſus docet, ex quibus interualla temporum metimur, & proinde vt humanis vſibus, maxime neceſſaria in vniuerſitatibus publicè docetur, & ſuis profeſſoribus priuilegia ab Imperatore meretur: Sed Aſtrologiam vanitatis arguit, quæ ex ſiderum conſtitutione hominibus ineuitabiles inclinationes ingenerari docet, quibus homo pene plus quam fatali neceßitate, vel ad hoc, vel ad illud ita propendeat, vt aliter agere non poßit, quam ex inclinatione ſyderali vrgetur. Hanc enim Aſtrologiam nihil aliud eſſe aſſerit, quam meras impoſturas, ſicut & pediſſequas eius vniuerſas, quæ ſunt Geomantia, Hydromantia, Pyromantia, Aruſpicia, Chiromantia, Metopoſcopia, Goëtiea, Teurgia, Necyomantia, præſtigiæ, & nobilis illa Alchimia cōpluresq; aliæ, quæ diuinatrices generali nomine appellantur, & non modo ab ordine liberaliū artium remouentur

Anno Chriſti. ſed etiam capitali pœna in Cultoribus earum condē-nantur: Neque vero Sixtus dum hoc agit, cum plebeijs & vulgaribus huius Aſtrologiæ Profeſſoribus, ſed cum Cypriano Leouitio, Hieronymo Cardano, Luca Gaurico congreditur, qui huius profeſſionis Coryphæi ſunt: Neque ſolum in generalibus huius profeſſionis Regulis confutandis occupatur, vt Picus Mirandula, & Cornelius Schepperus, ſed & ad indiuidua deſcendit, in quibus experientia ipſa declarat vanas, futiles & inanes eſſe promiſſiones omnes quas Aſtronomi de futuris euentibus faciūt: quod ipſum liquido declarat, in triginta illuſtrium perſonarum Genituris. In quibus nihil eueniſſe declarat eorum, quæ aſtrologi ex doctrina ſua, his quaſi neceſſario euentura prædicunt: Perſonæ autem hæ ſunt: quarum genituræ proponuntur.

1. Caroli Quinti Imperatoris.
2. Caroli à Brimeu Comitis Megani.
3. Ioannis ab Auſtria.
4. Henrici 2. Francorum Regis.
5. Franciſci 2. Francorum Regis.
6. Caroli 9. Francorum Regis.
7. Iſabellæ Valeſiæ.
8. Pauli 3. Pontific. Maximi.
9. Petri Aloiſii.
10. Alexandri Medicis.
11. Henrici 8. Angliæ Regis.
12. Edoardi Sexti Angliæ Regis.
13. Mariæ Angliæ Reginæ.
14. Elizabethæ Angl. Reginæ.

15. Fer-

Anno Chriſti.

15. Ludouici Angliæ Regis.
16. Ferdinandi Imperatoris.
17. Ioannis Frederici Sax. Ducis.
18. Maurici Saxon. Ducis.
19. Philippi Lantgraui Heſſ.
20. Bernardi de Meroden.
21. Henrici Rantzonij.
22. Adriani Iunij.
23. Gemmæ Friſij.
24. Dócconis ab Hemminga.
25. Sixti ab Hemminga.
26. Aſſæ Boitzemanæ.
27. Regneri à Gratinga.
28. Emari Ranconeti.
29. Ioannis Checi Angli.
30 Ioannis Baptiſtæ Cardani.

Quibus genituris ex arte fideliter deductis & ad præſentem euentum diligenter accõmodatis, cũ vanitatem aſtrologiæ deprehenderit ac demonſtrauerit: Hoc præſtare voluit, vt poſteros errore, & fruſtraneo labore liberaret: Illud ſaltem eſt conſecutus. vt nec ingenium nec diligentiam nec ſtudium ſibi defuiſſe demonſtrauerit ad Remp. literariam iuſto tramite gubernandam: Fuit huic Sixto Germana ſoror, nomine Gerlanda: Quæ vxor fuit ampliſſimi nobiliſſimiq́ꝫ viri ac domini Franciſci à Dekema, qui nuper cum omnium bonorum ingenti mœrore hic in fata conceſſit Hunc maritum pia coniunx relicta patria ſtudiorũ gratia in Lotharingiã vſqꝫ ſecuta Muſſ[illegible] diem clauſit extremũ, relictis ſuperſtitibus duabus filia-

Anno Chri ſt. *filiabus,& Filio vno Sixto. Qui Coloniæ bonis arti-
bus diligentem operam nauat, eoq; cunctis viribus
enititur vt & paternæ & maternæ familiæ hæredita
riam laudem induſtria ſua non modo conſeruet, ſed
etiam augeat: De auunculis quidem eius & auo ma-
terno, nos hic diximus, quantum præſentis inſtituti
noſtri ratio patitur: De auo paterno ampliſſimo, nobi
liſſimoq; viro ac Domino Sixto à Dekema Equite Au
rato, & ſuprema Senatus in Friſia Conſiliario De
Iulio eius filio qui Duaci ſtudijs immortuus eſt. De Si
xto iuniori eius filio qui in ſtudijs Myſſopōti occubuit.
Itemq; de ſuperſtitibus adhuc eius filijs Sixto ſenio-
ri V.I.D.& Dacone, viris eruditione prudentia, au-
thoritate conſpicuis, ſuo loco commodius agemus:
Quorum exemplis exuſcitatus veſtigijs gnauiter in-
ſiſtit, vt ad vſum Reip. in literis ac virtute cum illis
paria facere poſſit: Author hic noſter vita defunctus
eſt, circa annum Chriſti 1586. Opus eius de quo hic
egimus excuſum eſt in 4. Antuer. 1583. apud Plant.*

10. Cyprianus à Popma.

*Cyprianus à Popma Sixti Germanus frater de
quo infra: ſingulari eruditione præditus ac virtu-
te, patriæ noſtræ columen inſigne fuit: Coloniæ ac Lo-
uanij ſtudiorum cauſa verſatus inter æquales ſuos in
genio & induſtria longe emicuit. Cum in patria ver-
ſatus eſſet, vxorem duxit, nobiliſſimam & omni vir-
tutum muliebrium genere ornatam Hiſſiam Boythie
manam, ex qua duos liberos ſuſcepit Mariam & Do
minicum, qui ambo patre adhuc ſuperſtite in Albis pe
rierunt: Ipſe mortuus eſt Eloſti, & in monumneto
patris ſepultus Eloſti anno 1582. poſtridie Calend.*

Octo-

Octobris. anno ætatis ſuæ 32. Scripſit Cyprianus. Anno Chriſti.

Hiſtoriam ſuperiorum motuum, qui in Friſia factæ ſunt poſt annum 1570, quam tamen an in lucem edi curauerit hacteuus non comperi, manu ſcriptam ſibi ab authore exhibitam eſſe literis ad me Leouardiæ datis vigeſimo quarto Decembris anno 1583. ſcripſit ampliſſimus vir ac Dom. D. Igramus Achelen Regij Senatus in Friſia Præſes.

C. Criſpi Salluſtij opera emendauit, iiſq; emendationum ſuarum rationes adiecit excuſ. in 18. Louanij anno 1572.

Henrici etiam Mediolanenſis libros de controuerſiis hominis & fortunæ in lucem eruit & commentarijs illuſtrauit excuſi Colon. anno 1570.

Cætera quæ ad hunc authorem pertinent in fratre eius Sixto explicabuntur infra.

DECAS DECIMAQVARTA

I. Dominicus Bendixius.

DOMINICVS Bendixius, Snecæ natus eſt, parentibus honeſtis, patre admodum adoleſcens orbatus vitricum accepit Magiſtrum Gerardum, ſiue Gerconem Leouardienſem, qui & Leouardiæ & Snecæ aliquando docuit: Præceptores Snecæ habuit in Triuialibus M. Ioannem Rodium Drentum: Deinde Vitricum ſuum M. Gerconem, ſub quibus egit vſq; ad ætatis ſuæ annũ 13. Deinde miſſus cum Ioachimo Hoppero & quibuſdam alijs, conciuibus Snecanis eſt Harlemum: Vbi ſcholæ publicæ tum præerat vir do

Anno Chri-
ſti.

ctißimus Dom. M. Cornelius N. Quem audiuit annis quatuor continuis. Inde Louanium profectus, operam Iuriſprudentiæ dare cœpit, ſed anno vix exacto, ob morbum Vitrici reuocatus in patriam Leouardiæ pueris inſtruendis præficitur. Tandemq; Ioanne Noueſio (qui & Snecæ & Leouardiæ ſcholam pub. aliquandiu rexerat) Friſiam relinquente Suollas cum eo profectus eſt, illi futurus ibi hypodidaſcalus, hortante eum ad hoc & modo non cogente Vitrico. Interim vero cum aßiduis Hopperi literis Louanium reuocaretur, tandem relicto apud Suollas Noueſio, recta Louanium contendit. Sed Hoppero paulò ante iam in Galliam profecto ſpe ſubſidij quod Hopperus promiſerat fruſtratus fuit: Itaq; inde in patriam reuerſus diu varia fortuna iactatus eſt. Sed tandem ad Sacerdotium adiecit animũ. Itaq; initiatus diuerſis in pagis Vicarius ac paſtor fuit, tandem etiam Snecæ, ac demum Leouard. Paſtorem egit. Habebat enim ſingularem quandam gratiam & energiam in concionando, & efficacißime monebat populum, ita vt aculeos quoſdam in eorum animis fixos relinqueret. Hic autem anno 1570. ſub Cuniro Petri primo Epiſcopo, primus Archidiaconus Leouardiæ conſtitutus eſt, quã dignitatem, quo dignius adminiſtraret. Louanij Sacrarum legum Licentiatus creatus eſt: Progreſſu tẽporis cum rerum potirentur illi, quibus ante annos aliquot, & in publicis concionibus & priuatis diſputationibus ipſe acrius obſtiterat, in exiliũ actus aliquandiu ſe Coloniæ continuit: Hinc in Ciuitate Ratingenſi paſtoratum conſecutus, per triennium ferè manſit: Inde Duſſeldorpium commigrauit, vbi Canonicatũ aſſecu

tus

ius, antequam tempus ſtrictæ reſidentiæ (quam vocant) compleuiſſet, in D. obdormiuit 14 die Ian. 1586 Offenderat hunc mirum in modum olim Stephanus Syluius, de quo ſupra diximus, qui cum in ipſo oratio nem minus expolitam, & in muſæo eius aliquot opera Lulli animaduertiſſet, Lullianum appellauit & Barbarum: In quo vtroq; tametſi Stephanus non plane falſum diceret, odioſa tamen illi hæc veritas erat, quæ Cynico ſale cōdiretur: Maiori cum dexteritate in hac palæſtra cum eo verſari potuit non modo coram viuis verbis, ſed & abſens, etiā vir doctiſſimus & cordatiſſimus Dom. D. Dominicus à Broerſma Snecanæ Reipub. Secretarius, qui ſæpenumero longè plura illi ingeſſit, quam Stephanus, ſed eo fine, non vt vulneraret, ſed vt ſanaret: Quod idem & nos quoq; frequenter egimus, & ſalua eius gratia ſuaſimus, vt & linguam ſuam excoleret, & Lullium relinqueret: Quod quoniam ipſe à ſe vt faceret impetrare non potuit, minus grata eius ſcripta ſunt: in quibus interdum & diſpoſitio, & elocutio exactior non immerito deſideratur. Scripſit autem quæ quidem nobis aliquādo exhibuit.

Anno Chriſti.

Sermones de vitanda peccati occaſione.

De Humilitate.

De ira, de inuidia, de continentia, contra luxū, & crapulam.

De pura Caſtitate, & quædam alia quorum non ſatis memini, quæ tamen an typis hactenus euulgata ſint, equidem non comperi.

2. Alber-

Anno Christi.

2. Albertus Hero.

ALbertus Hero, Snecæ natus patriæ ſuæ columen inſigne futurus erat, ſi vita diuturnior contigiſſet vtpote qui ab ipſis incunabilis indefatigabili ſtudio ad eruditionem & pietatem contendit: Primis rudimentis in patria imbutus, Coloniam ſe contulit, ibidẽque primum diſcendis, deinde etiam docendis Philoſophicis diſciplinis ſtrennuam operam nauauit: Edicto deinde per Belgium promulgato quo Dux Albanus Regis Hiſpaniarum ſubditos certis vniuerſitatibus circumſcribebat, Louanium ſe contulit: vbi ob inſignem eruditionem, & vitæ integritatẽ apud omnes in ſumma veneratione fuit, à Viglio Zuichemio illi locus honeſtus in collegio eius quod illic eſt, adſignatus fuit. Vbi ſtudij Theologici curſum cũ ſumma tranquillitate compleuit: Studijs deinde ob factionum incrudeſcentes motus collabentibus Coloniam reuerſus eſt, & in collegio Laurentiano, cui tũ Regens præſidebat egregius vir S. Theologiæ Licentiatus Dom. Paulus Cuchouius Philoſophiæ profeſſionem ſuſcepit. Nec multo poſt publica etiam Matheſeos profeſſione ab ampliſſimo huius vrbis Magiſtratu decoratus, tandemq; Theologiæ etiam licentia auctus fuit: Concionibus interim & latinis & popularibus ſe maximo cum auditorum fructu exercuit, quarum nomine lõgè lateq; celebratus, ad munus Paſtorale vocatus fuit in Gerritſheimum, qui vicus eſt inſignis in terra Mõtenſi, propè Duſſeldorpium, vbi populum ſibi commiſſum doctrinæ ſanitate, & vitæ integritate ſedulo formauit: Defunctus eſt ibi integræ adhuc ætatis, vtpote quadragenarior non minor, anno Domini 1589. De-

cimo

cimo die Martij circa horam 12 Habuit ille abſolutam trium ſacrarum linguarum cognitionem ſummus Philoſophus, ſummuſq; Theologus, vt eius ſcripta teſtantur, quæ eſtant. Anno Chriſti.

Scripſit autem Epigrammata diuerſa, Latinè, Græcè, & hebraicè, quæ ſeparatim circumferuntur, diuerſis locis excuſa:

Scripſit etiam quinq; libros de prouidentia Dei, quod Coloniæ excudit in 8. Maternus Cholinus anno. 1582.

Scripſit etiam præfationem, quæ Polianthea apud Maternum excuſæ præmittitur, etſi nomen ſuum non expreſſerit.

Scripſit & alia quoq; nonnulla, quæ tamen videre nobis hactenus non contingit.

3. Cornelius Kempius.

CОrnelius Kempius, (cuius auunculus magnus fuit clariſsimus ille V. I. Conſultus Dom. D. Ioannes Doccomienſis:) Honeſtiſsimo loco Doccomij natus, & in ſupradicti auunculi ſui ædibus & cura, dum bonis literis & Philoſophiæ imbuit, Coloniæ educatus eſt, vbi & in artibus Magiſterium, & in V. I. Baccalaureatum accepit. Auunculo defuncto in patriam reuocatus ob negocia familiæ ſtudia pro voluntate ſua proſequi non potuit: Deinde Ciuilibus etiam & publicis factionibus, primum in patria, ac tandem etiam Gruningæ occupatus Reipub. magis, quam rei literariæ vacauit: Interim tamen cum animus literis natus conquieſcere nequiret, genio ſuo obſecutus eſt, quantum per occupationes potuit: & quicquid otij negotijs diuturnis ſubtrahere valuit, in vniuerſum hi-

ſtoriæ

Anno Christi. ſtorijs patriæ impēdit, vt rebus in ea geſtis poſteritati commendandis officium ſuum viris bonis probaret: Collegit itaq; ſyluam quandam antiquitatum, quam diſtribuit in libros tres, quos inſcripſit de origine, ſitu, qualitate & quantitate Friſiæ, quos Colon. excudit Goſuinus Cholinus. anno 1588. In quibus digerendis ſi tantam curam vir bonus adhibere potuiſſet, quantam diligentiam locupletãdinis adhibuit maiori cum affectu ab eruditis legerentur: Deſideratur enim multis in locis rerum delectus. & diſpoſitionis lumen, & dictionis puritas: Quibus tamen diſsimulatis, ea quæ in his reſtant, grata manu accipienda ſunt cum & multa doceant, & ad plurima inquirenda lectorē exuſcitent.

Reliquit ex honeſtiſsima Coniuge Geſa à Facema filios duos, Cornelium & Abelinum, qui perceptis Gruningæ literarum Rudimentis ad maiorem ſtudiorum profectum, Colon aliquandiu verſati ſunt, & nunc Duaci agunt: indefatigabili ſtudio ad culmen eruditionis anhelantes, vt patriæ ſuæ aliquando ornamento atque ſubſidio eſſe queant: Author hic noſter Gruningæ mortuus eſt circa annum Dom. 1587. Inſtruxit hic vir bonus me cum alijs antiquitatibus, ad hiſtorias meas pertinentibus, tum etiam Codice manuſcripto, in quo ſunt Helmoldi hiſtoria Slauorum.

Item Hiſtoria Ioannis Becani Vltraiectini de vitis Epiſ. Vltraiect. & Comitum Hollandiæ.

1593. Item hiſtoria Friſiæ Idſardi Grauij de quo ſupra diximus.

4. Eilar-

Anno Chriſti.

4. Eilardus Alma.

EIlardus Alma, ſcripſit Bellũ Gigantum, liber prodijt in 4. excuſ. 1587. ex offici. Sanctandreana. De quo authore præterea nihil comperi.

. Franciſcus Aduortenſius.

FRanciſcus Aduertenſius Triumpho, Boſuerdiæ natus eſt: is conſcripſit librum de Mæcenate, quo illud docere nititur, quod illi Horatius perſuadere voluit, qui cecinit.

Sint Mæcenates non deerunt flacce Marones.

Meminisse me vidiſſe librum excuſum in 8. & haud ſatis ſcio an dedicatum, certe exhibitum ſat ſcio Viglio Zuichemo: De authore hactenus præterea nihil compertum habeo, quem adhuc in viuis eſſe puto.

6. Renicus Freſinga.

REnicus Freſinga Franckerenſis ſcripſit populari lingua Belgica memorias ſiue Ephemerides rerum memorabilium, quæ geſtæ ſunt ab anno 1576. vſque ad annum 1584. per Friſiam, Tranſiſulaniam, & finitimas terras Drentram, Gruningiam, Lingã cum finitimis earum terminis: Liber eſt excuſus Dauentr. in 8. per Fridzerdum Campenſem anno 1589. Authorem hunc viuere adhuc audio & de continuanda hiſtoria porro cogitare.

7. Andreas Cornelius.

ANdreas Cornelius Staurienſis Chronicon Friſiæ populari ſermone Belgico conſcripſit libris octo: Quibus ea complexus eſt, quæ Solco à Tortema, & Occo Scharlenſis, & Ioannes Vlieterpius, viciſſim ex antiquioribus ſcriptoribus, & ſui temporis obſer-

uationibus

Anno Chriſti. *uationibus conceſſerant ab initio Friſonicæ gentis, vſque ad annum 1566. quod tandem porrò ad annum 1589. produxit Fuit vir inſigniter eruditus, & otio literato deditus offi ium Harlingæ in templo habuit, vbi organo præfectus fuit. Ibiq; hiſtoriam ſuam conſcripſit, felix ſanè qui reliquias iſtas veterum Hiſtoricorum nactus ſit, de quibus ſingulis ſupra ſuo loco diximus. Felicior & nobis vtilior futurus, ſi integra eorum opera ipſe conſequi, aut ſaltem ea quibus ipſe vſus eſt, ad manus noſtras tranſmittere potuiſſet: Interim tamen ambabus & quidem obuijs vlnis amplectendum eſt, nobis id quod præſtitit, cum multa adferat memorabilia, & quæ in alijs haud facilè recipias nec ego quidem, vel diligentiam vel fidem in illo requiro, quam in quouis abſolutiſſimo Hiſtorico deſideres. Temporum enim iniuriam ille præſtare non potuit. Cui nos debemus, quod tam multa maiorum monumenta lacera ad nos peruenerint, tã multa prorſus interciderint: Itaq; nos illius veſtigijs potiſſimum inſiſtimus, & quæ apud illum deſunt ſupplebimus, quæ perperam poſita ſunt, quantum quidem in nobis erit adhibita diligẽntia & cura emendabimus: Author opus ſuum dedicauit Reuerendo in Chriſto Patri ac Domino D. Paulo AEgidio Coſtero Albati Monialiũ Benedicti ordinis in Bethamia quæ Foſvelt apud nos dicitur: Opus ipſum nondum Typis excuſum eſt, ſed extat manu ſcriptũ apud me & complures noſtrates alios in patria, Author ipſe nuper obijt Harlingæ anno 1589.*

8. Cornelius AEdgerus

Cor-

CORnelius AEdgerus ab Engenhuys, Ciuis Leouardienſis, quamquam alioqui literis latinis aut Græcis non admodum excultus ſit, indefatigabili tamen ſtudio & familiari mathematicorum conſuetudine ſingularem Geometriæ peritiam conſecutus eſt. Qua & patriæ in primis, & vicinis principibus, prouincijs & vrbibus operam vtilem atq; neceſſariam nauauit. Hic cum aliquandiu propter factiones Belgicas tranquillitatis ergo Coloniæ ſubſtitiſſet, ampliſſimo huius vrbis magiſtratui miniſterium in hac arte probauit: ibidemq; tabulam Geographicam edidit Diœceſeos Colonienſis, quæ excuſa eſt Colo. 1583. 1583.
Author vt puto quamquam grandæuus adhuc ſupereſt Leouardiæ.

Anno Chriſti

9. Ioannes Baſius.

IOannes Baſius, Leouardiæ parentibus honeſtis natus, à teneris vnguiculis excellentis ingenij ſpecimen & frequens & certum, de ſe dedit: Primum Leouardiæ, deinde Harlemi Triuiilibus imbutus eſt. Deinde Louanium & poſtea in Galliam ſe contulit, & Iuriſprudentiæ Lauream conſecutus, legendo, diſputando, docendo, commentando exiſtimationem egregiam ſibi comparauit. Qua ſuffragante, quamquã extra patriam ſæpius prouincias haud quaquam pœnitendas conſequi potuiſſet; in patria tamen ſuis adeſſe maluit: Itaq; Leouardiam reuerſus, nomen Curiæ ſupremæ dedit, & in matriculam aduocatorum receptus eſt, vbi etiam ciuilibus cauſis actitandis laudem induſtriæ non vulgarem conſecutus eſt. Ingruentibus tandem ſacris per Belgium factionibus, relicta patria, Delphos in Hollandiã profectus eſt, vbi ducta

Anno Christi. vxore ciuitati à Secretis conſtitutus eſt, & hactenus ibi, ni fallor, agit. Scripſit autem quæ nos hactenus percipere potuimus.

Paradoxarum diſputationum Iuris ciuilis lib. 4. qui ſunt excuſi annô 1575.

10. Michaël ab Iſſelt.

Michaël ab Iſſelt Doccomij in Friſia natus, Patrem habuit clariſſimum virum Dom. D. Ioan. Iſſeltiū medicū, qui cum Docco. vt & Leouar. poſtea medicinæ praxin, publico vrbis ſtipendio exerceret, ducta Doccomij vxore, Michaë. hunc procreauit, qui quod Amorſuordiæ educatus ſit, vnde & pater originem duxit, ideo ab ignaris inter ſcriptores Hollandicos numeratur: Vir & eruditione & virtute incōparabilis. Non modo diuerſarum linguarum, ſed & artium liberalium & Philoſophiæ & Theologiæ, ſcientia fretus concionibus ad populum, & in ſcriptis apud eruditos omne fert punctū, cui Deus Opt. Max. vitam diuturnam concedat, vt ea via qua cœpit, tum calamo tum lingua Reipub. proſit. Scripſit quæ excuſa circunferuntur, Appēdicem Laurentij Surij, qua ſupplementum id quo Surius Ioannem Nauclerū ad ſua vſq; tempora expleuit ipſe porrò ad memoriam ſuam producit.

Scripſit etiam bellum Colonienſe: quod geſtum
1590. *eſt anno.*

Tanſtulit etiam Granatenſis opera ex populari authoris lingua in latinum, quæ omnia potiſſimum Coloniæ excuſa ſunt.

DEGAS

1. Petrus Talpa.

PEtrus Talpa Stellinus, vir vndequaq; doctiſſimus, Medicinæ Doctor abſolutiſſimus, præſidio diuerſarum linguarum & genuinæ Philoſophiæ, primũ Sneeæ, deinde Leouardiæ & tandem etiam alibi medicinam exercuit, magno cum fructu & ſolatio ægrotantium quibus curandis adhibitus fuit. Ductis vbique ex ſolido principijs, & petitis ex materia bene perſpecta medicamentis: ideoq; vulgus midicorum ridere ſolet, qui à circumforaneis iſtis Pharmacopolis nihil differunt, qui non ratione ſed experientia durè medicinam agant, & pharmacorum ſuorum vim ne iurati quidem expedire queant Itaq; & librum aduerſis Heroës iſtas ſcripſit : Cui titulum fecit hunc.

Petri Talpæ Stellini Vicernio Empiricus, ſiue indoctus medicus, per Dialogum.

Item ſcripſit exilium Empiricorũ, breui Elegia Satyrico ſale condita deſcriptum.

Author, ni fellor, adhuc viuit & Reip. operam ſtrennuam in patria nauat. 1590.

2. Ioannes de Leouardia.

IOannes de Leouardia Doctor Theol. ordinis S. Frãciſci de obſeruantia, ſcipſit aliquot tractat. Theol.

De prouidentia Diuina.

In Hexaëmeron.

In Decalogon.

De Synagoga Iudæorum.

Anno Chriſti.

De Eccleſia Chriſti.

Accepi hunc authorem ante aliquot annos à ſuperioribus ſuis miſſum eſſe in Indiam, ad conuertendos infideles, de euentu huius profectionis nihil hactenus cognoui: Vnde puto authorem adhuc ſuperſſe:

3. Boëtius Epo Rordahuſanus.

B*Oëtius Epo in Rordahuſis, parentibus honeſtis natus: Sunt autem Rordahuſæ pagus primarius in Territorio Idarderadeleo, vbi cum prima literarum Rudimeata percepiſſet, ad altiores Triuiales, & deinde porrò ad diuerſas academias viciſſim maioris cultus capiendi gratia ſe contulit. Philoſophiæ curſum Coloniæ abſoluit, & artium lauream ibidem in Burſſa Laurentiana meruit & accepit: Inde Suollis docendi Tirocinium fecit, vnde Louanium profectus, Homerum & Heſiodũ, & alios græcos interpretatus eſt. Vnde & in Sabaudia aliquandiu ſe docendò exercuit in collegio apud Niceam: Viſis deinde aliquot academijs Germanicis atq; Gallicis, & Iuriſprudentiæ ſuprema Laurea Tholoſæ decoratus, Lutetiæ docuit, vnde in Belgium reuerſus eſt. Et quo fructum Reipub. vberiorem faceret, Louanij ſe ad docendum compoſuit: vbi cum ex auditoribus ſuis non mediocrem induſtriæ laudem conſecutus eſſet, Legati Duacenſium, qui Bruxellam nomine Vniuerſitatis nouæ, quam Philippus Hiſpaniarum Rex illic erigebat anno 1562. conuenerant fama illius inflammati, eum inter primos Iuris Profeſſores poſtularunt, & interceſsione amicorum apud Antonium Perrenottum, Cardinalem Granuellanum, Viglium Zuichemium, & Ioachimum Hopperum, quibus à Regiæ*

Maieſtatè

Maieſtate inſtruendæ eius Vniuerſitatis cura commiſſa erat, non difficulter impetrauit: Itaq; Boëtius tunc in recenti iſta academia profeſſionem Iuris conſecutus eſt: Quam ea diligentia & aſsiduitate tuitus eſt, vt ordinaria ſucceſsione pro communi vniuerſitatum conſuetudine gradatim procedens ad primariã Iuris Canonici profeſsionem aſcenderit, in qua hodie non minori cum fructu quam laude verſatur: emeritus nunc miles, & qui virtute ſua obtinuit iura Comitis Palatini, quod paucis hactenus contigit, vt in vna profeſsione viginti annorum circulo perſeuerarent. Viuit adhuc Duaci, & vniuerſitatem ſuam, vt ſolet, non modo viua voce, ſed & ſcriptis ſubinde publicandis ornat: Fuit hic ſæpius non modo ad Vniuerſitates ſed etiam ad Ciuitates ac Prouincias diuerſas, maximis ſtipendiis initiatus, ob ſummam eius in docendo dexteritatem, & in conſulendo prudentiam, ſed opinor eum factionum acerbitate deterritum, quæ noſtra memoria Belgium afflixerunt, ſedem cognitam incognitis, & otium literarium Forenſibus negotijs prætuliſſe: Quantam antiquitatum ſupellectilem, quantam earundem cognitionem ſibi cõparauerit, ex præfatione dedicatoria patet, quam quarto Syntagmati Antiquitat. Eccleſ. præmiſit: Vxorem duxit Inſulenſem, Mariam Cabyllau, honeſtiſsimis parentibus natam ex qua ſuſcepit proles 12. quarum tres immatura morte obierunt, nouem hactenus, ni fallor, ſuperſtites, quatuor filiæ, & filij quinque, quibus omnibus vt bonũ parentem decet, de liberali inſtitutione adhibenda ſollicitus eſt, Scripſit multa præclare quæ extant.

Anno Chriſti

Collegit

Anno Chriſti.

Collegit atq; edidit Homeri ſententias, quas & latinas fecit, excuſ. Louanij. 1555.

Scripſit Iuriſprudentiam Ciceronianam.

Paratitla, ſeu filum pandactarum.

Item antiquitatum Eccleſiaſticarum Syntagmata 4. ad Sacroſanctos Patres patriæ Belgicos. Regē nempe Catholicum ac ordines vel ſtatus vniuerſos Belgij.

Item Antiq. Eccleſ. Syntagmata 5. ad S. D. N. Gregorium 13 Pontif. Max. Excuſ. Duaci in officina Ioannis Bogardi.

Orationem de honorum Academicorum titulis & inſignibus, eorumq; origine, progreſſu, & legitimo vſu, excuſ. Duaci an. 1564. typis Iacobi Boſcardi.

Orationem de Rom. perfectæq; Iuriſprudedtiæ fructibus genuinis excuſ. ibidem, ab eodem, anno eodem.

4. Sixtus à Popma.

SIxtus à Popma, Eloſti nobiliſſima, & antiquiſſima familia Popmana natus. Patrem habuit virum egregium Auſonium à Popma, Matrem Imicā ab Hettinga. fœminam omni virtutum genere, quæ cadere in mulieres poſſunt, ornatiſſimam nomen eius apiculam Friſica lingua ſonat, quod ſi Græcè interpretari placeat, Meliſſam rectè dixeris: Illa certe nomini ſuo non malè reſpondit, quæ in filijs ſuis, patriæ mel dulciſſimum colligere ſtuduit: prudentiſſima fœmina defuncto marito, cū quinq; filios ſuperſtites haberet Sixtū, Titum, Cyprianum, Auſonium & Renicum, ipſa ſe tutricē eorū fideliſſimā fore rebus iſtis declarauit. Primū enim in patria mox filijs erudiendis præceptores optimos

optimos adhibuit: Quorum eruditio paulatim aucta poſtquam ad grauiora capeſcenda vrgere cœpiſſet. Gruningam petijt, vbi tum Scholæ Rector erat Nicolaus Naupegus, vbi ſolidioribus vtriuſq; linguæ, & artium dicendi iactis fundamentis: Coloniam vna cum illis profecta eſt, tum vt filij tranquillius in ſtudijs verſarentur, nullis difficultatibus impediti tum etiam vt ipſa præſens morum curam in illis haberet, & rei familiari interim conſuleret. Ita cum filij morigeri parenti prouidæ non grauatim obſequerentur, res optime ſucceſſit. Studioſe enim in Burſſa Laurentiana doctiſſimos in Philoſophia profeſſores audiuerunt. Do. Magiſtrum Hugonem Tongrenſem & M. Ioannem Bremarum, & in Mathematicis Theodorum Graminęũ, & intra paucos annos ſub his Præceptoribus ibi is factus eſt profectus, vt tres filij ſeniores non modo liberalium artiũ, ſuprema laurea decorarentur, ſed etiam ſcriptis editis inclareſcerent, quartus etiã Baccalaureatum in artibus cõſequeretur, & non obſcurã ſpem optimæ frugis de ſe daret: Publicato deinde Albani edicto, relicta Colonia, Louanium vna cum filijs conceſſit, vbi illi ſe Iuris vtriuſq; ſtudio dedentes celeberrimos profeſſores Dom. Ioannem Vameſium, Petrum Perlium, Ioannem Ramum & cæteros diligenter audierunt: Louanij pia hæc mater vna cum filijs diutius manſura erat, niſi factionum peruerſitas eam flagitantibus amicis, in patriam ſaluandis rebus ſuis reuocaſſet: Itaq; Sixtus, qui & fratrum natu maximus, & familiæ proinde columen futurus erat, vtriuſque Iuris Doctoratum Dolæ ſumpſit, vt & ſibi & ſuis authoritate, maiori vero vſui tum

Anno Chriſti.

Anno Christi. in priuatis tum in publicis negotijs eſſe poſſet. Quo propoſito etiam hactenus, ni fallor, in patria verſatur. Et quanquam politicis occupationibus abunde diſtringatur, rem literariam tamen nihilo minus diligenter tractat: quæ ſcripſiſſe eum hactenus comperi hæc ſunt.

Eruit in lucem & illuſtrauit librum Cornelij Celſi de arte dicendi, qui eſt excuſus Coloniæ anno 1569.

Scripſit etiam comment. in 4. lib. Inſtit. Imp. quæ tamen an hactenus excuſa ſint mihi non conſtat.

5. Titus à Popma.

Titus à Popma, Sixti frater quo curſu ſtudium ſuum compleuerit hic modo iam dictum eſt. Hic in patriam reuerſus hortatu amicorum anno 1586. vxorem duxit Froucam Boythiemanam nobiliſſimi viri Epij Boythiemani filiam, virginem animi corporiſq; dotibus inſignem, quæ, proh dolor, anno vix vno integro elapſo, maritum inexpectata morte reliquit. Obijt Leouardiæ 28. Martij anno 1587. & ſepulta eſt in Huſemo prope Leouardiam an. ætatis ſuæ vigeſimo. Scripſit autem Titus:

In ſphæram & prima Aſtronomicæ elementa, Tabulas, figuris elegantiſſimis illuſtratas, excudit Coloniæ Theod. Gramin. anno 1569. in 4.

Scripſit & caſtigationum ſuarum rationes in M. T. Ciceronis Epiſt. famil. libros 16 quas vna cum ipſis Ciceronis Epiſt. excudit Antuerpiæ anno 1572. Ioannes Bellerus.

Idem etiam Q. Aſconij Pediani opera emendauit, ac notis illuſtrauit, quæ Coloniæ excudit Ludouicus

Ale-

Alectorius, anno 1578. Anno Chriſti.

Hic author niſi fallor in patria adhuc viuit & in vſum Rei literariæ plura meditatur.

6. Auſonius à Popma.

AVſonius à Popma inter fratres Popmanos quarto natus ſingulari ingenio, nec minori induſtria, muſas coluit, quam fratres ipſius, de quibus iam dictum eſt: Quorum emulatione ductus, non patitur ſe minus promptum illius videri ad rem literariam colendam: Et eſt profecto exempli perquam rari, & proinde cedro digni, in vna eademq; familia, quatuor Germanos fratres pariter ad tantum eruditionis culmen peruenisse, vt non modo inter mediocres ſed plane inter corypheos eruditorum merito cenſeri poſſint, quorum ſcripta iuuenili ætate edita ferè poſteritati non modo tempeſtiua atq; matura, ſed etiam frugifera & vtilia videbuntur. Scripſit autem Auſonius cum alia nonnulla, quæ ad notitiam noſtrã nondum peruenerunt, tum etiam fragmenta M. Terentij Varronis in lucem eruit ac recenſuit, & ſua in eadem coniectanea doctiſſima adiecit.

Fragmenta Satſyrarum Menippearum.

Logiſtoricorum.

Περὶ τῶν λοιποῦ φιλοσοφίας *lib. 2.*

De Philoſophia liber 1.

Excuſa ſunt hæc Franekeræ apud AEgidium Radæum anno 1590.

7. Theodorus Canterus.

THeodorus Canterus, qua origine quibus parentibus, quo loco ſit natus, cum ſupra in fratre eius Gulielmo Cantero ſatis dictum ſit, non opus eſt hic

Anno Christi. rurſus inculcare, ſtudiorum curſus vtriq; pene par fuit, nam & hic perceptis in patria literarum principijs, amplioris cultus gratia, exteras academias viſitauit, vt & peregrinarum linguarum notitiam ſibi compararet. In patriam reuerſus vxorem duxit, egregiam domicellam Catharinam de Zuiart, quondam Viduã nobiliſſimi viri Iacobi de Nieurode, qui abſq; liberis deceſſerat, & ob rerum Ciuilium inſignem peritiã, & incomparabilem prudentiam. Reip. gubernaculis poſtulante patria admoueretur, & Vitraiectinæ vrbis Conſul conſtituitur: Et quanquam hoc quidem munus, vt honorificum, ita etiam Ciuilium negotiorum varietate arduum illi ſit, qui non ſua ſed publicã rem agit, tamẽ ille ne nunc quidẽ à literarijs occupationibus abſtinere manũ poteſt. Sed lampadem à fratre p. m. ſibi traditam in familia Canteriana hæreditariam ſua induſtria filijs ſuis viciſſim per manus tradat. Quod vt & facere ſicuti cœpit porro pergat, etiam atq; etiam rogandus eſt: edidit autem cum

1592. annotationibus ſuis Arnobij opus.

Item eundem quam plurimis in locis à ſe reſtitutum & recognitum denuo edere ſtatuit, quam primũ Deus otium largitus erit.

Variorum etiam libros, duobus libris inſuper additis recognouit. In Ammiano etiam Marcellino multa reſtituit. Collegit etiam fragmenta omnia quæcunque potuit reperire, Euripidis, Sophoclis, Aeſchyli, & aliorum Poëtarum, vt Orphei, Muſæi, Empedoclis, Parmenidis & aliorum, quorum ſcripta iniuria temporis perierunt, breui editurus. Collegit etiam Græcorum Comicorum fragmenta omnia, maxima cum

cura,

cūra,nec non & Oracula Græca,imo vt verbo vno dicam,omnium Poëtarum fragmenta. Anno Chriſti.

Habet & alia non pauca egregia præ manibus, vt ſunt Commentaria ad Arnobium, Annotationes ad Clementem Alexandrinum.

Obſeruationum aliquod libros, quibus Græcorum & Latinorū Patrū ſcripta illuſtrãtur & emendãtur.

Hæc de libris eius hactenus cognouimus, liberos autem ex vxore ſuſcepit, & ſuperſtites ſunt ſex, tres filios, & totidem filias, duo filij maiores natu Lambertus & Ioannes Romæ nunc ſunt, & ſemper Iuri literiſq; ſtuduerunt, quorum maior iſte Lambertus intra paucos ab hinc menſes Patauij promotionem, vt vocant, accepit, & Doctoris titulo inſignitus eſt, ad quem & Ioannes etiã ſedulo cõtendit: Digniſſimi tali parenti tales filij, qui mutua æmulatione accenſi aui tum decus familiæ Canterianæ, non modo conſeruare, ſed etiam augere conantur.

8. Gregorius Hopperus.

GRegorius Hopperus, quamquam patria Louanienſis, origine tamen Friſius eſt, & ob gratã Maiorum eius memoriam nobis inter ſcriptores noſtrates, cõmemorandus venit: Eſt enim parentibus Ioachimo Hoppero & Chriſtina Bertolſia natus. Fuit enim auus eius maternus ampliſſimus ille Gregorius Bertolſius, primus Friſiæ noſtræ ſub Carolo Quinto Præſes, de quo ſupra dictum eſt, fuit & pater eius ampliſſimus Ioachimus Hopperrus Friſius, & cuius etiam agnati & cognati in Friſia multi & conſpicui ſuperſunt, vbi & prædia auita & paterna ex ãt, vt ſup. diximus in Ioach. Hop. Greg. autem quã diu parentẽ

habuit

habuit ſuperſtitem illius ductum ſecutus eſt, illo defuncto, eius veſtigia preßit. Itaq; non modo Philoſophiæ V I. & Hiſtoriarum ſed & diuerſarum linguarum Latinæ, Græcæ, Germanicæ, Gallicæ Italicæ, & Hiſpanicæ cognitionem ſibi comparauit, quarum Reip. vſum præſtare poſſet, quod & exemplo patris luculenter eſſe futurum equidem non dubito: Quantum autem in literis valiturus ſit, ſi per grauiores occupationes illi hanc Spartham ornare vacabit, duabus iam doctißimis ſuis præfationibus abunde declarauit, quas paternis lucubrationibus præmiſit, quarum altera eſt in Paraphraſin Pſalmorum, altera eſt in Sedeuardum ſiue Iuriſprudentiam: In quibus declarauit propoſitum & conſilium Patris, tam erudite & ſolide, vt videatur parenti iſta ſcribenti à Conſilijs fuiſſe, & operibus hiſce ſpiritu ſuo genium ingeneraſſe, quo ſuſtentari & vigere in æternum poſſunt: Quod quidem conſequatur rogandus Deus eſt.

9. Gregorius Tegnagel.

Gregorius Tegnagel, cum Gregorij Hopperi Conſobrinus ſit, cognationis & affinitatis ratione ſcriptoribus noſtratibus adnumerãdus eſt. Tũ etiã vt cõmunis eorũ aui Materni Greg. Bertol. deſcriptio, quã ſupra poſuimus, plenius intelligatur: Natus eſt autem hic Gregorius patre amplißimo viro, & clarißimo Iurecõſulto, Dom. D. Regnero Tegnagelio. Qui vt maiorum ſtemmate domi nobilißimus, ita etiam diuturna Iuris profeßione celeberrimus, in vniuerſitate Louanienſi fuit: Matrem habuit Margaritam Præſidis Bertolfii filiam: Quam diu ergo parens in viuis fuit, Gregorius in patria ſua Louanij omnium literarum, & artium

& artium genere feliciſsime inſtitutus eſt: Eo vita de functo vna cum Ioachimo Hoppero in Hiſpaniã profectus eſt, in cuius familia per aliquot annos egit. Interimq; & ciuilium rerum, & linguarum cognitionem vberrimam, & ſupremam V.I. Lauream ſibi cõparauit. Hoppero in Hiſpania mortuo, Gregorius vna cum eius Vidua, matertera ſua, eiuſq; liberis in Germaniam reuerſus eſt: Antequam tamen in Belgium deſcenderet, ſpeciali mandato Regis, à quo & ſtipendium habuit, vna cum amicis Hopperianis aliquandiu Coloniæ ſubſtitit, vbi & publicè in aula conſiſtoriali iudicando, & priuatim conſultando, & cõmentando, in vtrumq; euentum ſe parauit, ſiue ad Ciuiles, ſiue ad literarias functiones ipſum prouidentia diuina deſtinaret: In his occupatum Rex Hiſpaniarum ſuo nomine in ſupremum Cameræ Imperialis Senatum cooptauit: Vbi hactenus aſſeſſor inter collegas ſuos gratiſsimus officium facit: Scripſit autem de quibus nobis quidem hactenus conſtat, Anno Chriſti.

Methodicã totius iuris tractationem, in qua actionum fontes diligentiſsima induſtria aperit & ob oculos ponit.

Authenticas etiam conſtitutiones in commodiorem ordinem reduxit: Quæ tamen an hactenus in lucem editæ ſunt, equidem non comperi: Viuit adhuc aſſeſſor Cameræ Imp. Spiræ.

10. Gellius Ilſtanus.

GEllius Eloſtanus Ilſtæ ſiue Eloſti honeſtis Parentibus natus, à prima pueritia literis humanioribus tribuſq; linguis ſacris fideliter imbutus Theologiæ ſtudium maturè ſuſcepit, & affectu pietatis, quo plus

fructus

Anno Chriſti fructus in Eccleſia faceret, in hoſpitali prope Snecam qui mons S. Ioan. dictus eſt, ordinem Ioannitarũ profeſſus eſt, vbi & ſacris gradatim initiatus, concionando ſe diligentiſsime exercuit: in quo cum vberrimum fructum faceret, animos populi mirum in modum ſibi deuinctos habuit: itaq; iure patronatus cõuentus ſui diuerſis Eccleſiis, vt Oppealiuſanæ Bolſuardianæ, & Snecanæ viciſsim Paſtor requiſitus & præfectus tandemq; in Hoſpitali ſuo Antiſtiti defuncto, commendator omnium Conuentualium communibus ſuffragijs ſuffectus eſt. Vnde cum non multo poſt ingruentibus factionum motibus decederet, Coloniam ſe contulit, inde Grunngam petijt, vnde tandem Paſtor & & Cõmiſſarius in Baſlo conſtitutus eſt, qui pagus eſt non obſcurus in terra Grunngana, inde etiam electus eſt Commendator in VVituert: Scripſit hic tractatus aliquot in Theologia, quorum non ſatis memini, nec ſatis ſcio an editi ſint nec ne. Scripſit etiam qui penes me eſt, ex traditione p.m clariſſimi ac nobiliſsimi viri ac Dom. D. Ioannis à Rherda, tractatum ciuitatum omnium Friſiæ, præterquã Leouardiæ: Quẽ ſcripſit in vſum ampliſs. viri ac Reuerendiſs Do. Georgij Bruni Decani ad S. Mariã ad Gradus Coloniæ, & ibidem Canonici ad S. Georgium: Quo ille Theatrũ ſuum hac in parte locupletaret, quod in omnium prouinciarum perpetuam vtilitatem non dicendis Vigilijs ac ſumptibus componit, fide rerum geſtarum petita ab ijs qui teſtes oculati ſunt, & earum veritatẽ ſolidam ſubminiſtrare queunt.

DECAS

1. Pomponius Ellama.

POmponius Ellama vir omnium virtutum ac literarum genere inſtructiſsimus ſcripſit nõnulla etiã alia vt ex Gulielmo Cantero Louanij olim intellexi, & Felini Sandæi opera omnia in vnum collegit, & in ordinem redegit, & vbi luxata erant, reſtituit atque emendauit, ita vt edita ſunt Baſileæ apud Epiſcopium vbi hic author hodie ſit ſi Baſileæ non ſit, equidẽ nihil habeo certi, vita defunctum hactenus non audiui. 1592.

2. Rembertus Horeus.

REmbertus Horeus Friſius, ſcripſit ad Nicolaum Vigelium literas, quibus indicat ſe fuiſſe occupatum Iure Ciuili in Methodũ redigendo, ſed propter occupationes eam curam omiſiſſe, donec plus otij ſuppetat: Literæ ſcriptæ ſunt Lugduni Batauorũ nona Martij anno 1576 & excuſæ ſunt Francofordiæ ad mœnum, vna cum Forenſi praxi, eiuſdem Vigelij, anno Domini 1579. An igitur interea temporis Horeus ea ediderit, quæ cudit, mihi quidem hactenus incertum eſt. 1562.

3. Fredericus ab Inthiema.

FEICO ſiue Fredericus ab Inthiema in Coudemo Geeſterlandiæ Pago prope Hemelas natus eſt: Patrem habuit Regnerum, cuius pater Tiberius, cuius Pater Theodardus, cuius pater Regnerus ab Inthiema fuit. Maiorum ſedes Vorcomij fuit

fuit, vbi auus Fredericus arcem habuit munitiſsimã
Tophis extructam, quæ Inthi mana vocabatur, &
ſub initium Caroli Quinti, belli viciſsitudine euerſa
eſt. Matrem habuit Sibyllam ab Hancama, cuius pa
ter Scholterus, cuius pater Ioannes ab Han kama
arcem habuit in Scarlis: Et militari manu exerci-
tum quem ea tempeſtate nigrum appellabant, magno
cum patriæ commodo cecidit ac profligauit. His pa-
rentibus natus Fredericus, etiamnum infans litera-
rum ſtudia amauit. Et quia vna cum ætate hic etiam
affectus in illo augebatur, multoties à parẽtibus, qui
rẽ rusticam exercebãt, verberibus contuſus eſt, quod
à ſtiua ſe ad ſcholas ſubduxiſſet: Vicit tamen ad ex-
tremum patientia & conſtantia filij parentum ſuo-
rum propoſitum. Qui quamuis ægrè, ſuppeditarunt
tamen ſumptus tandem ſuſtentandis eius ſtudijs: Itæ
que ſublato metu liber indulſit genio ſuo, & magnã
felicitate in omni literarum genere verſatus eſt, in
quibus & excelluit: Sumpta tandem Louanij V.
Iuris Laurea in patriam reuerſus Vorconij aliquan-
diu, cauſis Ciuilibus in foro patrocinium præſtitit, &
tandem Conſulatum vrbis geſsit. Vnde maioris fru-
ctus gratia Leouardiam ſe contulit, & in matricu-
lam Aduocatorum adſcriptus in ſuprema prouinciæ
Curia Aduocatum aliquandiu egit, vbi & vxorem
duxit Margaritam ab Heſlinga, ex qua iam ſex li-
beros ſuperſtites habet Orto deinde factioſorum diſ-
dio, relicta patria in Hollandiam contendit, indeque
tandem Lyram in Friſiam Occidentalem conceſsit,
ad illuſtriſsimum Ioannem Comitem Emdanum Id-
1592. ſardi fratrem, cui hactenus, ni fallor, à conſilijs eſt:

Scri-

Scripſit hic Fredericus de quibus mihi quidem hactenus conſtare potuit. Anno Chriſti.

Tres libros de malorum Regum gubernatione: ſed an hi ſunt excuſi non comperi.

Scripſit etiam Querelam Batauorum, quam excuſam ſcimus, ſed nundum vidimus.

Scripſit etiam carmen de Natiuitate, Sepultura, & Reſurrectione Chriſti.

Conſiliorum Iuris opus grande iam diu prelo deſtinauit, quod an iam excuſum ſit, nondum percipere potui.

Digniſſimus erat hic Author, cui & vita diuturna, & proſperior fortuna contingeret, ob ſummum & præſtantiſſimum ipſius ingenium, ad omnia accõmodatum, qui in literis cum ſumma laude quiduis potuiſſet, niſi iuſtis impedimentis retardatus eſſet.

4. VVilco Holdingerus ab Eytſyngh.

VVilco Holdingerus ab Eytſyngh vir antiquæ & primariæ nobilitatis, eruditionis & integritatis ſingularis, paternum genus ex Holdingana; maternum ex Eytſingana familia ducit, patrem habuit ampliſſimum virum Dom. Boetium ab Holdinga, de quo ſupra dictum eſt. Matrem habuit egregiam matronam Dom. Hackiam ab Eytſingha, nobiliſſimi viri Feiconis ab Eytſinga filiam: Hic iactis in patria liberalium artium, & vtriuſq; linguæ fundamentis, Louanium à parentibus amplioris cultus ergo miſſus eſt: in qua vniuerſitate cum per aliquot annos verſatus; omni literarum, ac virtutum genere

Anno Chri-
ſti.

inſigniter excultus eſſet, in patriam ad parentes reuocatus eſt, vt his quibus ipſe vnicus hæres erat, dum viuerent ſolatio eſſet. Itaq; ille tum vxorem duxit præſtantiſsimam virginam Harengam à Rhorda nobiliſſimi ampliſsimiq; viri Georgij à Rhorda filiam, ex qua liberos aliquot ſuſcepit. Interim vero quantum publicis priuatiſq; negotijs otij ſupererat id omne ſtudijs impendebat. Cum autem ſacræ factiones quietem in patria turbare inciperent, Emdamq; pater eius tranquillitatis erga concederet, ipſe pietatis gratia parentem cum familia ſua eodem conſecutus eſt. Quo tandem defuncto in patriam reuerſus eſt, vbi, ni fallor, hactenus ſupereſt, & vt antea ita nunc etiam ſtudijs literarum impendit, quicquid priuatis publiciſq; negotijs ſupereſt. Maxime autem ijs ſtudijs delectatur quæ in venatione, aucupio & piſcatione conſiſtunt, & virum nobilem maxime decent: itaq; tantum operæ iam in his poſuit, vt multa ſint in ſcriptis eius, vbi in lucē prodierint eruditi reperturi, quæ apud alios conſimilium rerum ſcriptores, hactenus non inueniuntur. Scripſit autem quæ ad notitiam noſtrā peruenerunt.

Hiſtoriam rapacium auium libris decem: Cuius lectione nos Emdæ aliquando magnopere delectati ſumus.

Item de auibus domeſticis & earum cognatis.

De quadrupedibus, eiuſdem formæ.

De equorum etiam Phyſiognomia, librum vnum.

Item alterum de equini corporis fabrica.

Item

Item librum vnum de venatione & canibus. Anno Chriſti.

Item de auibus aquatilibus maxime Friſiæ familiaribus.

Item de Gallinulis paluſtribus.

In his & alijs perpoliendis vir optimus diligenter verſatur & obnixe rogandus eſt, vt abſoluat quæ cepit, & ad honorem patriæ, & ad communem Reip. vſum benigne in lucem edat.

Liberos aliquot ex vxore ſua ſuſtulit, vt ſupra diximus, inter quos & filium Feionen: qui aui materni nomen referebat, & paternis veſtigijs ita inſiſtebat, vt patriæ noſtræ ſingulare columen eum fuiſſe futurum, ſi ætas ſuppetiſſet, nulli dubium eſſet. Eum igitur dum pater ſuus vtriuſque linguæ & Philoſophiæ cognitione imbutum legalis ſtudij ergo Erphordiam adduxiſſet, optimus adoleſcens cum ſummo totius iſtius Academiæ mœrore vita defunctus eſt: Cui Neniam funebrem cicinit doctiſſimus prudentiſſimuſq; vir M. Antonius Mokerus ibidē vtriuſq; linguæ profeſſor publicus: Quod ob elegantiam & iſtius vniuerſitatis iucundam recordationem in qua & nos etiam vtramq; linguam aliquando profeſſi ſumus, tum etiam ob familiaritatem & veterem amicitiam quæ mihi cum defuncti adoleſcentis patre contigit, ad perpetuam rei memoriam hic ſubijciam.

Tempora Phœbe veni querula redimite cupreſſo
Velatus pulla non ſine veſte veni:
Et vos Pierides Heliconia turba ſorores,
Ac magni proles patris adeſte Iouis.

Anno Chriſti Humectate genas, lachymarum rore cadente.
Plangite luctiſona pectora veſtra manu:
Promite nunc elegos lachrymis & quæſtibus aptos,
Triſtia lugentis fila mouete Lyræ
Hauſit enim veſtris: qui fontibus ore liquores:
Pectus & his pauit, veſter alumnus obit:
Eſt patria Friſius, Feico vocitatur ab Holdingh.
De Eytſinga, Senij mortuus ante dies:
Stemmate nobilium generoſo clarus auorum,
Tam pariter matris, quam ratione patris:
Imberbis iuuenis, qui vix in flore iuuentæ
Annorum vixit tempora quinq; quater:
Eduxit primis hunc vrbs Leouardia ab annis
Totius eſt Friſiæ, quæ quaſi forte caput:
Et patris in pago ſedes huic nobilis, extra
Vrbem doctrinæ ſemina prima dedit:
A patre præfectus quia eum priuatus ibidem.
Præceptor rexit, flexit & arte ſua:
Præterea ſtuduit, Cliuenſis in vrbe Ducatus
Artibus ingenuis moribus atq; bonis:
Lugdunum (celebris Batauorum Academia doctis
Eſt vbi plena viris) poſtea miſſus erat:
Eſt Thuringorum tandem quoq; ductus in vrbem
A Patre, quam lambens Amnis Hiera rigat.
Erfordenſis vbi vetus eſt academia, Iuris
In qua Doctores audijt ipſe frequens:
Ocia, luxuriam vitauit, Palladis hoſtes:
Tranquillè vixit, pacificuſq; fuit:
Ingenioſus erat, Iuris ſtudioſus & omnis
Virtutis pariter ſicut & artis amans:

Mori-

Anno Chriſti

Moribus ornatus pulchris, ſine fraude, modeſtus
Ingenuæ vitæ ſimplicitate probus:
Sumptibus huc miſsis, ſtuduit frugaliter vti:
Eſſe nephas patrias perdere nouit opes:
Clara ſequens ſolidè docti veſtigia patris
Quotidie cupidus diſcere multa fuit:
Vt medicas artes pater atq; Mathemata nouit:
Sic gnato leges diſcere cura fuit.
Vt pater ornauit propria virtute vetuſtum
Stemma, ornaturus ſic quoq; gnatus erat:
Produxiſſet ei Lacheſis ſi ſtamina vitæ,
Nam ſitiens arſit laudis amore bonæ
A qua terreri fortunæ noluit vllis
Caſibus, vt probat hoc ſymbolon eius idem.
Rebus in aduerſis conſtans patientia victrix
Fortunæ metuit non mala, damna, minas.
Ergo quoq; ad Gallos procul hinc Italoſúe remotos,
Ob linguam & ſtudium Iuris iturus erat,
Impedijt curſum ſed ineuitabile fatum,
Quod manus ipſa, regit diſtribuitq; Dei:
Inuida variolis ægrum quia corpore toto.
Suffocauit eum mors, rapuitq; manu:
Non deerant medici non cura, refectio, verum
Tollere vim fati non medicina poteſt:
Eſt hæc perſonis in adultis iuncta periclo
Vitæ, variolos quæ parit atra lues:
Infantes, pueri, iuuenes hoc tempore multi
Hoc morbo multis interiere locis:
Hoc olim morbo fratrem quoq; dixit in ipſo
Flore iuuentutis ſuccubuiſſe ſuum;

Anno Chriſti

Sub manibus ſuperum placide ſuccumbere morte
Præſtat, in humanas quam cecidiſſe manus:
Tergito Phœbe genas, lachrimas & ſiſte cadentes.
Deſine defuncti triſtia fata queri:
Namq; licet meſtis fatis conceſſerit, eius
Semper honeſta tamen fama ſuperſtes erit:
Viuit enim virtus & cunctos durat in annos
Non in eam quicquam mors fera iuris habet:
Vos Muſæ tumulo ſuaues inſpargite flores.
Narciſſum, Violas, Lilia pulchra, Roſas:
Spargite purpureos amaranthos ac hyacinthos
Spargite vim grati quicquid odoris habet.
Suauiter Heſperidum ſic ex fragrantibus hortis
Ipſius cineri dona ſuprema date:
Siſtentes lachimas, ſit alumni dicite noſtri
Pax animæ requies perpetuoq; ſalus:
Adq; ſepulturæ loca Saxea, diſtichon, annum
Mortis habens, ſculptis tale locate notis:
Nobilis hic Friſius Feio requieſcit ab Holdingh
De Eyſingha, cuius leniter oſſa cubent.

5. D. Ioannes Vilhelmus Velſius Medicus.

D. *Ioannes Vilhelmus Velſius, honeſtiſsimis & antiqua propagine ciuibus Leouardiæ natus, vir ſingulari ingenio præditus, induſtria ſua ad ſummum eruditionis culmen peruenit, de quo ſatius eſt tacere, quã pauca dicere. Ille in iuuẽtute ſua diuerſis fortunæ procellis agitatus eſt, quæ tametſi vel fortiſsimũ quẽq; percellere potuiſſent, illum tamen à ſtudijs liberalibus alienare non potuerunt. Itaque & trium lingua-*

rum egregiam cognitionem, & artium liberalium ac Medicinæ peritiam incomparabilem adeptus eſt, nec futilem operam Iuriſprudentiæ ac Theologiæ nauauit. Medicinam profeſſionem ſuam fecit, poſtulante patria Rectoratum ſcholæ pub. Leouardianæ aliquando ſuſcipere grauatus non eſt, quo munere ita functus eſt, vt ex eius ſchola tanquam ex equo Troiano vbertim prodierint iuuenes doctiſſimi, & qui nunc diuerſis locis Reipub. gubernacula tenent, poſtulante itidē patria Conſulatum Vrbis Leouardianæ aliqandiu geſſit, eaq; æquitate atque prudentia Ciuitatem gubernauit, vt inter ſubditos ſumma trāquillitas firmaque pax eſſet. Poſtulante demum ægrotantium frequentia cum omnibus munijs ſimul fungi non poſſet: Medicinæ ſe totum dedidit, quo maiori cum fructu laborantibus ſuccurreret. Scripſit ille quæ cognoui. Anno Chriſti.

In Mathematicis obſeruationes aſtronomicas & Geometricas.

Item Biothanatorum aliquot centurias:

Multa ſcripſit ad Regulam Algebraicam quam cos vocant.

Item lineam Geometricarum noua forma congeſſit: multa etiā poëmata doctiſſima, & alia quæ vt cum poſteritate communicet obnixe rogandus eſt.

6. D. Ioannes Fungerus.

OPtimo doctiſſimoq; præceptori, doctiſſimus, optimuſq; diſcipulus proxime ſubiungendus eſt Dō. D. Ioan. Fungerus V. I. C. & Leouard. ſcholæ Rector vigilantiſſimus, quē ignores maiori fœlicitate in ingenij vigore an in præceptorū excellentia fuiſſe iudicare debeas, nā cū ingeniū propriū & alacre & ad quāuis

Anno Christi. diſciplinam habile contigerit, tum etiam tres viciſſim præceptores nactus eſt, egregiè doctos, & gubernandæ inſtruendæq; iuuentutis, artifices nunquam ſatis laudatos, horum primus ille qui vitæ author, idem & ſtudij formator fuit, pater ſuus Dom. M. Fungerus Ioannes, qui ſcholæ Leouardianæ Rector diu cũ laude ſumma fuit: Eum excepit inſignis formandæ iuuentutis phœnix Dom. M. Vibius, Andras Hellemius: Quẽ ſecutus eſt, ille de quo ſupra locuti ſumus, Dom. Doctor Velſius: His igitur præceptoribus vſus tanquam fertilis ager, induſtrijs cultoribus accedentibus, vberem virtutis & eruditionis fructum protulit, qui nũc in Rempublicam literariam redundat: Poſtquam autem Leouardiæ rudem accepiſſet, Louanium petiuit, ac ſe toto pectore iuris ſtudio applicuit: Rebus autem ob communes Belgij factiones, Louanij labaſcentibus, Coloniam profectus eſt, vbi cum aliquamdiu ſubſtitiſſet, vniuerſitates aliquot Germaniæ ac Galliæ viſitauit, & ſumpta ſuprema iuris Laurea in patriam reuerſus eſt, vbi non multo poſt vxorem duxit, filiam quondam Rectoris ſui M. Vibij ſupradicti, & paulo poſt Bolſuardianæ ſcholæ Rector præfectus eſt, vnde tandem reuocatus Leouard. ſcholæ gubernacula ſuſcepit, quæ hactenus non minori laude, quam rei literariæ fructu tenet, potuit ille (quod mihi abunde conſtat) luculentas prouincias extra patriam conſequi, ſi voluiſſet, potuit etiã officia politica non contemnenda conſequi: ſed ille & politica literarijs, & externa patrijs, ductum genij ſui ſecutus poſtpoſuit, quo ſpartham quam nactus eſt egregie ornet. Itaq; trium linguarũ ſacrarum præſidio, & Philoſophiæ totiuſq; Encyclo-

dia

pædiæ adminiculo commiſſam ſibi iuuentutem fideli- Anno Chriſti.
ter inſtituit & efficaciter, expolit, & ad maiores quas vocant facultates in quibus ille haud oſcitanter verſatus eſt, exuſcitat, prout cuiuſq; ingeniũ, vel huc vel illuc magis propendere videt. Scripta eius quæ ad noſtram notitiam hactenus peruenerunt hæc ſunt.

De puerorum diſciplina & recta inſtitutione liber vnus.

Sylua carminum, in quo varia Epigrammata continentur, liber vnus.

Noua prouerbiorum farrago ex Græcis & Latinis authoribus collecta.

Syllege ſacrorum carminum in qua continentur Meſſiados libri 4.

Hymnus in laudem Trinitatis & Græca paræneſis: Quos libros omnes tum Plantinus, tum Raphelingius typis ſubiecit, Antuerpiæ.

Plura interim cudit, neq; deſinit tum voce tũ ſcripto Rempub. literariam promouere: quod vt & diu facere poſſit ardentibus votis orandus Deus eſt.

7. Doctor Henricus à Bra.

DOctor Henricus à Bra, medicus noſtra ætate nulli ſecundus, Doccomij anno Domĩni 1555 die 25. Septembris natus eſt: Pater illi fuit D. Lubbertus à Bra, qui multos annos in Repub. Doccomienſi Medicinam egit, honeſtiſſimo loco apud Friſios Orientales natus. Mater illi fuit Anna ex nobili & multũ celebri familia à Beſten in Comitatu Benthemenſi prognata. Puer admodum in patria primum ſub Schol-

Anno Chri-ſti. teto Scotenſi,ac deinde Nordæ ſub doctore Nicolao Naupego, & Ludouico Pottero primæ literaturæ fundamenta iecit & abſoluit.Poſtea ad vberiorem ingenij cultum capiendum (deſtinauerat eum pater ſuus literis ac præcipue arti Medicinæ, ad quã & ipſe naturæ quadam inclinatione propendebat:) Coloniam primum ablegatus eſt, Medicinæ tunc tẽporis iſtic Profeſſore Ludouico Caſpæano Hannonio: Bienniũ iſtic cõmoratus,mortuo interea patre Viennã Auſtriæ profectus eſt,vſus in re medica clariſſ. viris Ioan. Aickboltio & Beniamin Lybſcuth præceptoribus.Inde annis tribus elapſis Baſileam ſe contulit:Profitebantur Medecinã iſtic tunc tẽporis clariſſ viri, Theodorus Zuingerus,Felix Platterus, Henric,Pantaleon,& Nicol. Sthephanus omnes celebres viri: Non diu propter priuata quædam negotia ſua & mortem patris potuit iſtic ſubſiſtere,ſed reuocatus in patriã medicinã ibi fecit menſes aliquot:& tandem cũ iam eſſet paulo maturior ætas,in Ital. excurrit,annũ integrũ Romæ magnũ illum medicum Alexandrum Traianum Petronium ad praxin medicã ſecutus eſt,pub.vſus præceptore & profeſſore Petro Criſpo:Roma rediens,cũ propter peſtẽ illam quæ totã fere Italiã an.77.& 78.populabatur,non liceret vlterius Neapolin & in Siciliã progredi Senenſem,Florentinam, Ferrarienſem,nobiles Italiæ academias obiter ſalutauit. Bononiæ aliquandiu ſubſtitit Paduanam academiam propter peſtem videre non licuit: Ex Italia cum fere biennium abſumptum eſſet, redux. Galliæ Academias aliquot Pariſienſem præcipue perluſtrauit.Montiſpeſulanam quam maxime videre cupiebat, quo minus adire potuerit

tuerit obſtiterunt bellici tumultus, qui tunc per Galliam pullulabant, vnde factum eſt, vt Geuenæ per mẽſes aliquot ſubſtiterit, vt ſe nonnihil ex diuturna peregrinatione colligeret, priuſquam Baſileã pergeret ad ſumendum illic doctoratus titulum. Quod & fecit an. 1580 menſe Decembri ætatis ſuæ 25. Teleſta ſeu deſignatore vſus ſummo viro Theodoro Zuingero Philoſophо & Medico celeberrimo ſub Rectoratu magnifici viri Baſilij Amorbachij I.C. & Decurionatu medico Ioannis Bauchini Medici: In Friſiam reuerſus, Leouardiæ primum biennium fere Medicinam fecit. Inde Cãpos celeberrimum Tranſiſulanæ prouinciæ oppidum publico ſtipendio ad faciendam Medicinam euocatus eſt: Elapſo octennio, cum patriæ amore duceretur & crebris amicorum literis inuitaretur, operam ſuam patriæ, Doccomienſi Reipublicæ publico ſtipendio addixit, in qua nunc medicus viuit, annos natus necdum triginta ſeptem. Scripſit autem quæ nos quidem hactenus cognoſcere potuimus. Anno Chriſti

Libellum de Medicinis ſimplicibus & facilè parabilibus excuſ. Franekenæ apud AEgidium Radæũ anno 15[illegible]9.

Libellum de Medicinis ſimplicibus & paratu facilibus ad Icterum & Hydropem excuſ. Lugduni Batauorum anno 1590 apud Parth.

Habet complures eius generis libellos præ manibus ad diuerſi generis morbos Pleuritidem, Colicam, Lumbricos, alui omnis generis profluuia, venena, & ſimilia, qui Deo volente edentur propediem.

Eſt quoq; apud hunc deſcriptio ſtragis Doccomianæ anno 1572 factæ. Itẽ deſcriptio febris popularis, quæ

Anno Chriſti. annis 81. & 82. in Friſia noſtra aliquot hominum milia abſumpſit. Huic adiungentur quæſtiones aliquot medicæ, & earundem reſolutiones de febribus: Quod vt Author vita ſuppetente præſtare queat, Deus rogandus eſt. Hunc authorem relicto Doccomio, Cāpos remigraſſe dum hæc ſcriberem intellexi.

8. D. Hieronymus Verrutius.

D. Hieronymus Verrutius V. I. Conſultus Gruninganus, quantus in literis futurus eſſet in ipſis pene crepundijs declarauit, qui ingenij præſtantia ſuos æquales ſemper longo interuallo ſuperauit: adeo quidem, vt anno ætatis ſuæ vndecimo & duodecimo, de qualibet Theſi pub. ſeu viua voce ſeu ſcripto non ſine admiratione multorū ipſiuſq; adeo Prædinij declamaret. Quoſlibet authores Græcos eadem ætate cum iudicio euolueret, de arte medica, (quod ſtudium illi tum temporis in primis arridebat) ex ipſis medicinæ fontibus nō inepte diſſerere, Hiſtoriarum mediocrem & quidem ſupra illam ætatem cognitionem haberet.
1592. Adeo quidem vt pater illum tū rude in Triuiali ſchola donatū anno ætatis 14 cogitaret peragrè in academiā ablegare: Quare anno ætatis 15. eum Lutetiā miſit, Turnebo, Aurato, Ramo quibuſcum illi magna amicitia interceſſit peculiariter propter infirmam ætatem commendatum: Sed eodem anno qui fuit 1561. ſalutis propter recrudeſcentia bella ciuilia à morte Franciſci 2. Regis Henrici filij excedere coactus ſubſtitit Atrebati primum, tum Tornaci ante erectam Academiam Duacenam, ad Gallicum idioma addiſcendum. Anno 1562. Duacum in nouam academiam ſe contulit. Sub initium anni 63. Patris iuſſu Louaniū venit

viuit. Ibiq; relicto medicinæ ſtudio, prima Iuriſpru- Anno Chriſti.
dentiæ fundamenta iecit, ſub Leonino, Peckio, Tegna gelio, Vanderano, Ramo &c. Ibidemq; luctuoſum nũcium de obitu patris accepit, itaq; cum ibidem duobus annis & dimidio operam Iuris ſtudio nauaſſet, rediјt in Gallias, & Biturigibus ſub doctiſsimis anteceſſoribus Iacobo Cuiaceo, Ant. Contio, Hugone Donello, & Ludouico Ruſſardo, atq; etiam Hotomanno, qui Cuiaceo Taurinum euocato ſucceſsit, ad triennium fere eadem ſtudia continuauit, & primum licentiæ, deinde interiecto ſpatio ſemeſtri ſupremum gradum ibidem poſt publica & ſolemnia certamina accepit. Inde Italiam Romam vſq; peragrata Baſileam primo, tum Spiram venit, ibiq; ad aliquot tempus hæſit vſus Forenſis, praxiſq; Iuridicæ cognoſcendæ gratia. Poſt academias Saxonicas, Roſtochium inprimis, & Hafniam Daniæ inuiſit, vbi illi ſatis ampla conditio (vt res illic ſunt) oblata, diſplicuit ob iuſtas cauſas, & maxime ob longiuſculum à patria interuallum. Anno itaque 1571. tertio in Galliam abiјt, fugiens nimirum pericula & faſtidia ciuilium bellorum per Belgium recrudeſcentium, & Lutetiæ partim extraordinarie ſubceſiuis horis publicè docendo prælegendoq; frequentiſsimo auditorio varios iuris tractatus. Vt titulũ verborũ de ſignificationibus, de acquirenda poſſeſsione, de vſuris, de iure accreſcẽdi &c. partim conſulendo & Theoriæ Iuris praxin applicando ſeſqui annum triuit: Tandem anno 1573. in Friſiam reuerſus vxorem duxit Auguſtam Petreã de qua diximus ſupra in genealogia Petri Aucamani vbi hæc Askuia dicitur, ex qua ſex liberos ſuſcepit,

Anno Chriſti. *pit quorum tres etiamnum ſuperſtites ſunt: Non multo poſt autem D. Verrutius noſter ab ordinibus Friſiæ inter Amyſin & Lauricam fluuios ſitæ, luculento ſtipendio vocatus fuit, in locum Doctoris Petrij Zilij, qui in eodem officio ſucceſſerat D. Aggæo Albadæ: in quo dum verſatur, contentiones illi mox cum potentibus aduerſarijs acciderunt ob priuilegia patriæ, tandemq; etiam cum factioſis ob Religionis diſcrepantiam: Quibus acerbius vrgentibus relicta patria, Leouardiam reuerſus eſt, anno 1580 id quod ipſi tamen magna tũ rei familiaris tum ſtudiorum iactura ſtetit, propter direptam Bibliothecam & alia bona plurima: Annus deinde 1592. illi longè funeſtiſsimus accidit, cum in legatione publica abſens Antuerpiæ nuncium triſtiſſimum de dulciſſimæ vxoris, quam ſaluam ſanamq; reliquerat domi, obitu accepit: Exinde ſeptẽnium totũ in viduitate tranſegit, anno autem 1589. ſecundam vxorem duxit, honeſtiſſimam puellam; & tum corporis tum animi dotibus inſignem, cuius mihi nomen hactenus non innotuit: Toto autem exilij tempore priuatus vixit, ſui ipſius iuris, nemini obſtrictus, niſi quod ad conſilia nonnunquam vocatus patriæ cõmuni, quicquid in ipſo eſt, non deneget ſine vllo quæſtu & ſalario ad ampla munera aliquoties cum in Belgio tum alibi inuitatus, ſe ſemper excuſauit in hiſce rerum ciuilium fluctibus libertatem & quietem lucro atq; rei familiaris incremento anteponens: Scripſit quæ hactenus comperi.*

Lexicon illud iuris quod ſub ipſius nomine vulgatum eſt, ſed per Typographum qui partum immaturum abſente & ignorãte authore publicauit, quem inte-

Anno Christi

integrum conſeruare ad reditum ipſius debuerat, qui extremam manum illi nondum addiderat, ſed habebat quamplurima, imo alterum tantum quod eidem operi ante editionem adijcere decreuerat. Hoc igitur auctario opus locupletabitur, & tũ aliud planè opus cenſebitur, meliuſq́; feret lucem & Doctorum cenſuram atq; iudicia.

Eidem operi adijcere ſtuduit commentarium luculentum in tit. ff. de verborum quę ad ius pertinent ſignificationibus.

Commentatus eſt etiam in tres poſteriores libros Codicis.

Item in tit ff. ad municipalem cum decem titulis ſequentibus.

Notas etiam ad Plinij naturalem Hiſtoriam.

Item ad Pomponium Mel. tanquã ſpecilegia quædam, poſt alios qui doctiſſimè in his expurgandis interpretandiſq; verſati ſunt conſcripſit, quæ cum primum per iniuriam temporum, licebit in vſum rei literariæ publicabit, quod faxit Deus. 1592.

9. Hector à Ielgerſma.

HEctor à Ielgerſma, parente nobili viro & iuridico Territorij Achtcarſperani natus eſt in pago, cui nomen eſt Auguſtinuſga: Hic ab ipſis incunabulis liberaliter educatus & inſtitutus, Louanium adoleſcens mittitur: Vbi ob ſummam ingenij & eruditionis admirationẽ multis magnatibus & præcipue Viglio Zuich. quem & ſanguinis vinculo contingebat, gratiſſimus fuit: In aſtron. & geomet. plurimum operæ collocauit, in quibus etiam induſtriæ ſuæ ſpecimen

tam

Anno Christi. *tam illuſtre edidit, vt inter diſciplinæ Mathematicæ cultores, locum primum facilè obtenturus ſit, modo tempus & otium illi largiatur Deus. Patri defuncto in territorij iuriſdictionem ſuffectus eſt. Sed ob ſacras Belgij factiones, relicta patria ſtudiorum gratia tranquillitatem ſectatur foris.*

Habet inſignem tractatum in manibus, de nouis & hactenus incognitis inſtrumentis ad artem Geometricam, rinæ & Vtoriam neceſſarijs quem vt ſpero
1592. *propediem in lucem dabit.*

10. Antonius Folcardi Borbergius.

ANtonius Folcardi Bornbergius, honeſtiſſimis parentibus in Bornbergo (qui pagus eſt Smallinger landiæ) natus eſt. Patrem habuit Folcardum, qui ibidem longiſſima ſtirpe oriundus eſt, ex familia quæ Olma dicitur. Mater ei fuit ex Prouincia Gruning. oriunda ex pago Zenderũ, & ex progenie proprietariorum (vt vocant) Buyters appellata: Mater huius Antonij noſtri Catharina fuit, filia Gerardi Allardi & immemorabili ſerie Bornbergenſium nata: Fuit autem à parentibus ſuis mature adhibitus ad ſtudia literarum, vtpote qui eſſet vnicus ipſis filius: Itaque in pago Beiſterſuaga ſub M. Quirino Ioannis, tum artium ac etiam fidei fundamenta iecit: Inde Suollam ablegatus, & in ædibus fratrum ibidem habitans ſub Rectore M. Ioanne Telgio: Triuiales artes fideliter didicit, & paulo poſt in Theologiæ principijs inſtitutorem nactus eſt doctiſſimum virum Dom. Cunerum Petri, qui poſtea Epiſcopus Leouardienſis fuit:

Demum

Demum ob iuſtas cauſas mediante diſpenſatione ante legitimam ætatem, hoc eſt anno 20. ætatis factus eſt ſacerdos anno Domini 1562 in Decembri a R. Archiepiſcopo Fredrico a Tautenburgh vltraiecti oridnatus In menſe Februario anni protinus ſequentis legitime electus et canonice inſtitutus eſt paſtor in pago coteno Territorij Achtarſpeleni, vbi vltra quinquennium habitauit, inde coortis factionū diſſidiis; cū Anabapttisis luctam non exiguam pro grege ſibi commiſſo habuit & efficaciter ſuſtinuit: bienio fere elapſo in pago Hiemo Territorij leonardiani paſtor electus. 12 annos integros ibi expleuit quamuis ad paſtoratus magis opimos ſæpius electus. Interea patre ibi mortuo vna cū matre ſua honeſte vixit: duasq; ſorores nuptui maritis honeſtis dedit: duas itidem in Bethania ſiue Foſuerdia benedictini ordinis abbatia moniales fecit: intentus ſimul in doctrinam commiſſi ſibi gregis: donec anno 1580. menſe maio inde in exilium eiectus duobus fere annis incerta ſede iactatus ſit, Coloniæ, oſnabrugæ, Gruningæ & alibi: tandem Vicarius eccleſiæ S. Martini Gruningæ, factus eſt, interimq; & Sacellanus Decani ſui & paſtoris ibidem, vbi concionando, docendoq; magnam gratiam apud ōnes conſecutus eſt adeo quidem vt Magiſtratus inclytæ Vrbis iſtius eum ſeminario ſcholæ fratrum regentem præfecerit quod illic erigendum ſperabatur, niſi obiecta impedimenta fuiſſent Tandem illo relicto paſtor in Harſſens (qui pagus Gruningæ proximus eſt) cōſtitutus, & Vicarius Gruningæ inter ſeniores factus eccleſiæ officiū aſſiduum præſtat: Hic mihi ſtrennuam operam nauauit in conquirendis ac tranſmittendis patriæ antiqui-

tatibus, ipſe quoque ſcripſit quæ aliquando vti ſperô in lucem emiſſurus eſt.

Orationem funebrem nobiliſſimæ Heroinæ Dorotheæi a Manfelt.

vxoris Illuſtriſsimi Franciſci de Vardugo.

Item orationes aliquod ad diuerſos amicos in Holandia conſolatorias. & alia quædam in ſacris non contemnenda.

DECAS. 17.

Martinus Hamconius

M*Artinus Hamconius vir ſingulari ingenio et eruditione præditus, natus eſt in ſollega, qui pagus eſt in Friſia non incelebris paternum genus illi familia Hamkema, maternum ex Bœlema contigit, vxorem duxit Bannam ab Holclema: hic natus ad ſtudia quo minus indulgere genio ſuo poſſet ſacris factionibus impeditus fuit. ter in exilium eiectus induſtia ſua ex neceſſitate quod dici ſolet virtute fecit, & præmij loco ampliora quam amiſerat, conſecutus eſt: Itaq; primo reditu propretor in lemnaria, & quæſtor in ſollega conſtitutus fuit: Secundo antem ſeptemſyluarum Dick grauis ordinatus fuit. Tertio demum præturam in Doengievarſtal conſecutus eſt: Interim tamen vrũq; negotijs bellicis ac politicis occupatiſsimis eſt, nihilo minus tamẽ, et rebus literarijs tribuat otij, quantũ potuit. Itaq; ſcripſit Acroſtrichidẽ de expeditione Io. Caſimiri aduerſus Erneſtum Bauarum Archiepiſcopum Colonienſem, ad præſtantiſſimum virum ac Dn. N. Coquellum exeritus præfectum, in qua omnia verba*

ba incipiunt a C.vt in iſto quod de Carolo caluo factũ eſt.

Carmina clariſonæ caluis cantate camenæ:

Scripſit & calendarium heroico carmine ad morẽ ciſioiani veteris, vbi ita ſtilum temperauit, vt ſalua carminis maieſtate materiæ reſpectum habuerit, & proinde omnibus in hoc genere, quos ego quidem viderim longe præſtet. Scripſit plura, quæ breui publicãda expectamus R. Dn. Commendator Gellius Ilſtanus de quo ſupra dictum locuti ſumus, nuper doctiſſimũ eius carmen ad me tranſmiſit quo illi nouam dignitatẽ in Vtuerdenſi cõmẽdatoria oblatã graturlatur. Cuius priori parte eleganti acroſtichide meum nomẽ expreſſit qua me ad reliquas hiſtoriæ friſonicæ partes exuſcitare voluit, quod vt lector videat & guſtet hic ſubijcere non grauabor.

Martini Hamconij Follegani carmen gratulatorum ad R. Dn. Gellinum Ilſtanũ electum commendatorem in Virute.

Sicut vtrumq; bifrons cum Ianues viderat orbem,
Vxore & pueris ſacrarat e montibus hærens,
Filiolos docuit, reparare nepotibus agros,
Friſo ita Iangenæ ſoboles clariſſima Semi,
Ruricolam patrio quo conderet ordine gentem
Impoſitis Hylla pueris cum coniuge naui,
Diuerſam ſuperis a Gange trahentibus oram.
Venit arenoſos Fleui ſub littore montes.
Spectauitque nouam bifrons quaſi lumine terram.

Protinus incultam (ſueuis cedentibus) ornans
Excluſis furi a latronibus aggere ponto.
Templa Ioui ſtatuit poſuit Gymnaſia Phoebo,
Relliquijs Macedum ludos celebrantibus Indis,
Vinxit amicitiæ populos ſibi fœdere, linquens
Septem caſtra ſuis, iura atq; inſignia natis,
Legibus ac armis Natorum maximus Adel.
Excoluit patrio claram poſt nomine gentem.
Ordine principibus moderataq; Friſia ſeptem
Vt fuit & ducibus, totidem iam condita ſeclis
Arte manuq; potens meruit diadema Richoldus.
Regibus vnde nouem tituluſq; & gloria fulſit:
Donec Radbodus ſuperatus ab hoſte ſecundus,
Imperium Carolo, vitam relinqueret orco:
Et Friſiis animos; & libertatis amorem:
Nomen qui patrium, Magno duce, cæſare Magno
Saxone vi capto, Romam virtute domantes
Imperio Sacrum ſoboli fecere decorum:
Summa reportata eſt cum libertate poteſtas.
Friſia quæ peperit diplomata ſanguine, multis
Regali poſito fouit diademate ſeclis.
Inſigni pietate Vigens, Clariſſima Marte
Sorte fruens propria, nulli foris inuida genti.
Ingenijs famoſa bonis, celeberrima Muſis.
Vtilis hiſtoriæ dextro qua ſydere clarum
Suffridum patriæ genuit Leouardia petrum:
In tres de Friſonum quos ſcripſit origine libros
Et Friſiæ ordinibus miſſam de Friſone Strenam
Verſibus authoris præmiſſo nomine luſit,
Clio, tibi Gelli Friſonis quæ mitto Nepoti:
Vt ſimul & tenui læta mea gaudia mentis,

Ob modo collatos tibi carmine teſtor honores
Et fera magnanimi monſtrem per fata parentis
Omne ſolum forti patriam non limite corpus
Non animum cauea claudi, nihil eſſe remotum
Longius, interpidam ſi virtus ardua mentem
Incolat, & dulci doceat præponere rectum:
Nam ſua cum Regni iuſtis hæredibus orba
Tonſoris ſpurio pareret Freſia *nato,*
Maluit exilio patriæ pater ipſe penates
Et tepidum rigidis Mutare aquilonibus auſtrum
Quam ſufferre trucem deſpectæ ſortis Agrammen
Liberaq; iniuſto ſubmittere colla tyranno:
Non tamen ob regimen Domini tonſoris iniquum
Nec varios ideo perpeſſos æquore caſus
Dulcis honorandum patriæ neglexit amorem.
Sed memor illius, memor & pietatis auitæ.
Appulit Vt Fleui fatis monſtrantibus oram
Numinis & patriæ ſtellis fœlicibus illa.
Impoſuit noſtris aduecta Vocabula terris:
Stauria quæ tantis retinet, quæ Friſia ſeclis.
De quibus hic noſter Friſicis Annalibus author,
Plenius inſignem referens, ab origine gentem
Differit, & magnis proauos heroibus æquat.
Quippe nepos Friſonis tam denſo puluere condi-
Buſta ſepultorum miſerans illuſtria patrum.
Vndiq; diſperſos tenebroſis eruit antris,
Et pius hiſtorica cineres coniungit in Vrna
Vnde ſibi nomen cœli ſublimius Axe
Comparat, & toto mundi laudabile tractu.
Cuius vt es fautor patriæ præconis honorum
Factaq; ſemideûm gaudes inſignia patrum

Hiſtoricis operum ſpeculo, cognoſcere ſcriptis.
Hæc de fortuna Friſonis, Fatiſq; nepotum
Imperio, ſtudijs, & gentis origine noſtræ
Glia nouis voluit tibi nuper honoribus aucto
Iamq; ſui Fratris celebranti nectare feſtum
Ludere gratanti Friſonum doctiſsime plectro:

2. Petrus Pierius Smenga.

Petrus Pierius Smgē a Schotan⁹ honeſto loco natus viuido et acri ingenio, memoria tenaci, ab ineunte ætate muſarū caſtra ſecutus eſt: Triū linguarū præſidio ad omnia artiū penetralia facile peruenit Patrē habuit Henricum a Smenga virum egregium, qui licet ὀψιμαθεῖ, fuerit ſtudijs ac ſtudioſis maxime dedi fuit Præceptore Smegma noſter vſus eſt viro optimo & eruditiſsimo Bernardo à Beyma Leouardienſi: qui nobis in comuni patria condiſcipulus olim ſub, M. Cornelio Colberto fuit. Qui quidem cum ad inſignes dignitates politicas ſæpius euehi potuiſſet in re literaria promouenda ſe continere maluit, & diuerſis in locis publicas ſcholas rexit, & ſcripſit etiam nonnulla quæ in excuſa ſunt hactenus ignoramus ad noſtras certe manus nondum peruenerunt viuat nec & etiam compertum non habemus.

Louanienſis vniuerſi: illuſtre teſtimoniū de eo publice tulit ex quo & vritus eius inſignis & eruditio lector conſtare poteſt: Aſſerit enim vniuerſi eum integris viginti annis contiue louanij ſumma morum ac vitæ integritate eſſe verſatum. lignuā græcam interea & Hebream publico ſtipēdio eſſe profeſſum Regio etiam ſtipen-

ELENCHVS SCRIPTORVM Friſiæ, qui hoc opere continentur.

A

Accas decadis,4 capt.2.
Adalbertus dec 5.cap.4
Adel, dec.1.cap.2.
Adel Adelingus.dec.6. cap.3.
Adelboldus piſc dec.7. cap.6.
AdolphusOcco.dec.8. 6.
S. AEgiſthus.d.2. cap.4.
AEſgo, dec.1.cap.8.
Albertus Hero.dec.14. cap.2.
Albertus Meierus .dec.17 cap. 5.
Aluinus.dec.8. cap.3
Andreas Cornelius dec. 4.cap 7.
Andreas Gryphius. dec. 12.cap. 6.
Andreas Mirica.dec.13. c. 6.
s. Anſcharius. dec.6. ca 7.
Aſinga Aſcon. dec. 2 ca. 2.
Anton. Folcardi.dec .16.c. 10.
Auguſtinns dodo. dec.9 cap.4.
Auſonius A popma.dec 15.cap.6.

B.

Bertrandus Haerſma d. 8.cap.1.
Boëtius Epo. dec.15. cap. 3.
Boethius ab Holdinga d. 13. cap.4.

C

Cappidus ſtaurieſis .d.7. cap.3.
Cornelius AEdgerus d. 14.cap.8.
Cornelius Zempius d.14 cap.3.
Conelius ſnekis dec. 10. ca.7
Cyprianus A Popma.dec 13 cap. 10.
Ciprianus Vomelius d. 13.cap 1.

D

Douuo Forteman dec .5. c 7.
Dominicus Bendixius, d. 14 cap.1.

E

Edo a Iongana.dec 9 ca. 3.
S. Egbertus.dec, 4:cap,3.
Eilardus Alma. dec.14. c. 4.

Eualdi duo. dec. 5 cap, 1.
F
Feico vierra, dec. 12. cap. 7
Feico ſiue Fredericus ab Inthiema. dec. 16. cap. 3
Folckerus Simonis dec. 8. cap. 8
Franciſcus Aduortentius dec. 1. 4. cap. 5,
S. Fredericus dec. 6. cap. 8
Friſo. dec. 1. cap. 1.
Friſo Iunior. dec. 2. cap, 1.
G
Gailo. dec. 1. cap. 7.
Gellius Ilſtanus, dec. 15, 10
Gemma Friſius. dec. 11. cap. 8.
Georgius Ratallecus. dec. 13. cap. 2.
Gerardus Lopperſ.m. dec. 13. cap. 3.
Gerardus Synellius d 10 cap. 10.
Gregorius Bertolfius dec. 11. cap. 1.
Gregorius Hopperus dec. 15. cap. 8.
Gregorius Tegnagel. dec. 15.
Gryns. dec. 1. cap. 10.
Gulielmus Canterus: dec 10 cap 8.
H.
Haio. dec. 1. cap, 5.
Haio fortemã dec. 3 cap. 8.
Haio Hermanus d. 10. c. 5.
Haio Fortemã. dec. 6. cap. 6.
Haringus Syfridi dec. 8. cap. 9.
Haron. dec. 2. cap, 9.
Hector ab Hoxvrer dec. 11 cap 2.
Hector Ielgerſma dec. 11. cap. 9.
Henricus A Bra. dec. 16. cap. 7.
Henricus Friſo dec. 10. cap. 1.
Henricus thaborita dec. 9. cap. 5,
Herco Capitaneus dec. 3. cap. 7.
Herco Sapiens dec. 2. cap. 8.
Hermannus Doccomienſis.
Hetto. de. 1 cap. 4.
Hieronymus Verrutius. dec. 16, cap. 8.
Hildebrandus Goffredus dec. 10. cap. 1.
Hollius. dec. 3 cap. 4:
I
Iarichus. dec. 7. cap. 8,
Idſardus Grauius dec. 9. cap. 7.
Ienco A douma. dec. 9. cap. 8.
Ioachimus Hopperus. dec. 12. cap 9
Ioannes Acronius. dec. 12 cap. 1.
Ioannes de Leouardia. dec 15. cap. 2.

Ioan-

Ioannes Baſius.dec.17,cap 9.
Ioannes carolus:dec.17 cap 3.
Ioannes doccomen dec. 10.cap.9.
Ioan. Fungerus. d.16.c.6.
Ioannes á lemmigo. de 9 cap.4.
Ioannes presbyter.dec.6. cap.2:
Ioannes Saxonius dec.1.2 cap.3.
Ioannes Vlieterpius dec 8,cap.2.
Ioannes Vilhelmi:cap.5. dec.16.

K

Kempo à Martena.dec. 11.cap 3.
S.Koniochus:dec.4.cap.1.

L

Laurentius Friſius.dec.10. cap.6.
S.Lebuinus.dec.4cap.10.
S.Ludgerus, dec.6.cap.5

M

S.Marcellinus d.5. cap.3.
Martinus Hamconius.d. 17.cap.1.
Martinus Ilſtanus dec.10 cap.3.
Meinardus Franekerenſis dec.10.cap. 4.
Michael ab Iſielt.dec.14. Caio.

N

Nanno Philoſopbus.dec. 6.cap.10.

O

Occo ſapiens.dec.6.cap.1
Occo ſcharlenſis.dec.7. cap.4.
Odilbaldus dec 2. cap. 01.
S.Odulphus.dec.6.cap.9.
Onno Funtanellus dec.5: cap.6.

P

Petreus Tiara d.13.c.7.
Petrus Tidricus. d 17.c.4:
Petrns Pierius ſmenga dec.17.cap.2.
Petrus ab Aucama. dec.9. cap.1.
Petrus Poetinus. dec.9. cap.2.
Pet. thaborita.de.11,cap.6
Petrus Talpa,dec.15, cap.1.
Pibo A.Geritſma:d.11.c.4.
Pomponius ellama.dec. 16.cap.1.
Poppo Hardman.dec.3. cap.1.
Poqpo Sapiens dec.3.cap. 10.

R

RRadbodus.d.7.c.2.
S.egnerus Halemius.d.12c 3.
Ragne Prædinius.d.11.c 9.
S.Remqertus dec.7.capı.
Rembertus Dodonæus. dec.13 cap.8.

Rembertus Horæus dec. 16. cap. 2.
Renicus Freſinga. dec. 14. cap. 6.
Richoldus Vffo. d. 3 cap. 6.
Rodolphus Agricola d. 8. c. 5.

S

Saxmũdus ſapiens. d. 7. c. 10
Schalto dec. 1. cap. 6.
S. Sibrandus. d. 7. cap. 9.
Sibrandus leo. d, 13 cap, 5,
Siuardus Sapiens, d. 5. c. 10.
Sixtus ab Hemminga d. 13 cap, 9
Sixtus A Popma, d. 15 c. 4
Solco Forteman: d. 5 c. 16.
Suffridus Rodolphi, d. 9 c. 10
Sinna ſapiens, d. 2. cap. 2.
S. Svitbertus, d. 4. cap. 6.

T

Tabbo. dec, 2. cap. 5.
Taco Hermana. d, 3, cap 9,
Theodricus vlſenius, d. 8. cap, 7,
Theodorus eanterus, d. 15 cap. 7.
Theodorus Euroteles, d, 12 cap, 5,
Titus Boiocalus, d. 2. c. 7.
Titus A Popma, d. 15. c. 5

V.

Vbbo. dec. 1. cap. 9.
Vdolphus Haron. dec. 3 c. 2.
Verenfridus, dec. 5. cap. 2.
Verritus. dec. 2. cap. 3.
Veſselus Grun: dec. 8 ca. 14.
Vffingius dec 7. cap. 5,
Vlpius Ciſſæus dec. 11. c. 5,
S. Vigberrus d. 4, cap, 4,
Viglius Zuichemus dec, 2. c ap, 10,
VicentinusFriſius. d, 8. c, 12
Vilco Holdingerus d. 16. c. 4,
Vilco Iaerſma. d. 7 cap. 7.
S. Vilfridus, 4, cap. 2.
S. Vilibaldaldus d. 4. cap. 8
S. Villibrotdus d, 4. capi, 5.
S. Vnifridus. dec. 5, cap, 8.
S. Viniboldutdec, 4, cap, 9.
Vitho, dec, 1. cap, 8,
vitho ſapiens dec. 4 cap, 5.
S, vitho, dec 6. cap. 4
volcherus Koiter, d, 12, c. 4.
vorperus thaborita, c. 10. c. 8,
S vulfrannus, d, 5, c 5.
vulmarus ſapiens d, 7. c. 10.
vuo Helt d. 11 c. 10.

Y

Yglolaſcon, d. 3. cap. 3.

ſtipendio medicinam publice docuiſſe ita vt ex diſpoſitione Imp. Iuſtiniani ſecundum L.V. cod. de profeſſoribus lib. 10. comes palatinus de iure ſit. Varijs etiã viciſſim honoribus ab vniuerſitate eſſe decoratum, ita vt in preſenti quoq; ſit ex vnus q inqua Dn. Iudicum cauſarum appellationum, & vt plurimum ſemper fuerit vnus ex quinq; Dn. deputatis, qui magnifico Dn. Rectori ſunt à Conſilijs è quorum relatu, ſententia, ac iudicio per magnificum Dn. Rectorem vniuerſitas regitur, omniaq; eius negotia adminiſtrantur: Scripſiſſe eum teſtatur vniuerſitas duo magna volumina (quamquã his extremam manum nondum adhibuerit) per titulos locorum communium & moralium ordine accurato digeſta, & ex omni parte fere ab ipſo conſcripta, in quibus tanquam indicibus locupletiſſimus annotauit loca quæ ipſi in lectione Scriptorũ omnis generis, tam ſacrorum quam prophanorum viſa ſunt præcipue notatu atq; obſeruatu digna. Anno Chriſti.

Teſtatur itidem antiſtites eiuſdem vniuerſitatis ſe vidiſſe & euoluiſſe aliud eiuſdem ſcriptum in folio Palmæ craſſitie quod proprio titulo inſcribitur: Sacroſancti ac gemini Bibliorum textus Hebræi Græci innumeris locis linguarum peritia ſe ſe venditantibus male caſtigando, citando, & interpretando corrupti & in alienum ſenſum detorti Apodeixeis: quod opus opportunitate data abſoluit & in lucem dabit:

Aliud etiam opus præ manibus habet quod inſcribitur Mercurius de Hermonia mundi.

Item in prophetas plerosq; auim illos publice interpretatur, quo ad literam & hiſtoriam commentatus eſt.

Operi etiam Michlol Rabbi David Kimhi quæ ad intellectum Hebraiſmi deſiderabantur ipſe adiecit:

In Græcis etiam ſcriptoribus ſacris & gentilibus historicis, philoſophis, oratoribus ac poetis infinitam habet emendationum & reſtitutionum copiam:

In galenum quoq; annotationum & emendationum chiliadas contulit:

Scripſit etiam notas & emendationẽ in naturalem hiſtoriam C. Plinij:

Conſcripſit etiam priſcæ omnis autiquitatis commentarios.

Hic nobis tranſmiſit vtendum egregium opus Henrici thaboritæ, qui hiſtoriam mixtam patriæ ciuilem et eccleſiaſticam ſcripſit à Chriſto nato vſq; ad ætatẽ ſuam qui vt ſupra adnotauimus vixit circa annum Chriſti 1550. noſter autem Doctor Smenga Louanij hactenus inſtaurator viuit & Regio ſtipendio medicinã publice docet.

3. Ioannes Carolus.

IOannes Carolus Antuerpiæ nobili Brabantiæ emporio natus à teneris annis primum in Louanienſi apud Belgas, mox Aureliana et pictonum poſtremo in patauina et Bonlonien. apud Italos Academijs tũ liberalibus diſciplinis & linguarum cognitioni tum Iuriſprudentiæ diligentem nauauit operam ac poſt multa publica perorando ac diſputando ſuæ indolis data teſtimonia viceſimo quarto ætatis ſuæ anno patauij in vtroq; Iure doctoratus inſignia adeptus eſt Inde cũ in clariſſimo apud Mechlinienſes Senatu per luſtra duo cauſarum patronum egiſſet, & varijs eiuſdem

Senatus

Senatus ſuffragijs ad ſeptenos dignitatis gradus poſtularetur, tandem in Regio apud Friſios Senatu à conſilijs & Fiſci procurator cõſtituitur: Cúq; ea tẽpeſtate qua Caſpar à Robles Friſiæ præfectus eſt, factionum diſſidia maxime flagrarent, ipſe rerum ab illo in Friſia geſtarum libros quatuor conſcripſit, quos & Regi Hiſpaniarum dedicauit: voluit author horum lib rerum legendorum copiam nobis fieri ante quam in Hiſpaniã mitterentur: Sed Viglius Zuichemus per literas à nobis rogatus vt eos nobis Louaniũ trãſmitteret, reſpondit rem non eſſe integram, quod eos iam antea ad Regem tranſmiſiſſet: author poſtea in regnum Senatum Mechlinienſem cooptatus eſt: vbi ni fallor adhuc viuit,

4. Petrus Tidrichus.

PEtrus Tidrichus Paſcanius Gruningæ ludimagiſter fuit; ibi Dialecticam docuit, cuius compendiũ in lucem edidit. Excuſum Argentinæ. anno 1556. de hoc authore plura non comperio: nec ſat ſcio an adhuc in viuis ſit.

5. Albertus Meierus.

ALbertus Meierus Stramfriſius ſcripſit methodũ apodemicam, opuſculum peregrinantibus vtiliſſimum quo docetur, quid ſingulis locis præcipue in peregrinando ſtudioſi ſciſcitari, expiſcari & obſeruare debeant: excuſa eſt alibi ſeparatim in 8. & tandẽ recuſa in 8. ad calcem operis Petri lindebergijde præcipuorum numerorum nobilitate. Typis myliandrinis Roſtcobij anno 1591.

FINIS.

ERRATA, QVAE QVANQVAM nobis hic præſentibus & præſidentibus irrepſerunt, ita corrigito

PAg.2. l.1. Friſica. l.13 lege. 149. pag 3. l. penult. Svéonum. pag.7. l.27 Malorige: p.10 l.9. S nuæ: p.13. l 10. lege. 432. p.16. l.7. tollendis: p.19. l.15 Viniboldo: p.20. l.30. deinde eo: p.26. l.24. ſeptingenteſimũ. p.27. l.22 Gundobaldo. l.29. fotenam: l.29 Vſq; ſuã ſubinuge verbo (declarabimus) & numeros ibidem ex 32. reſtitue. 832. p.44: l.10. aſſeruntur. p 51. l.27. lege. 1491. p60. l.6. ſederet. p.61. l.14. Aus iã: pag. 62. l.4. Reinſkia. p.64. l.4. Bentzma: l.15. Vetroperorum: p 67. l. 11. aſſererent: l. vlt. hic enim. p 74. l.3 lege. 1499. l.25. præſidit fuit. pag.75. l.18. itque quolies patriæ neceſſitas poſtularet, ad fuit, ne. p.79. l.10. thaboritico: p. 92. l.27. emdenſi p.88 lin. 4. ab his (in fallor) examinatum medicæ. p 95. linea. 23 ob morum comitatem gratus omnibus etiam p. 101. linea 22. Vuo: pagena. 103. line. 28. nu pegum. pagena. 94. linea. 27. Louanenſi: l 21. fidos p. 119. l.1. ex equo: p. l.22. Dni. ſui p. 123. l. vlt. poſtridiani p.124. l 27. Septentrionem: p 128 l. Vlt in priuatis colloquijs quanto cãdore: quanta modeſtia fuerit meminerunt: p. 129. l 8 & præter. p. 135. l.23. dele, ex. 138. l.19. proferret. l.24 conceperunt p.143 l.11. Manarmanim p1.44 l.1. Aeſtrachiæ: p 145. l 20 id, qua: p.158. l.2. liberi. l.25. conſecutus: p.159: l.25. arboris p 165. l.9. deinceps ei p169. l.25. dominũ: p. 174. l 14 Burgh. l.22. Gãlenus: p.175. l.3. in. i. p. 176. l.12. patrui: p.177. l.5. Freſionum: p 181. l.9. argumentis l 19. cui libus: l 23: õnia pene l. penult ſt apert: p. 186. l.22: inita. l. 29. dorpius. p. 192. l.21. duci p. 195. l 25. ad ducalem cognitionem l. 26. cum alijs. p.196. l.9. dele annoq;. pag.198. l.1. cæſ. M erga ſe. l.7. Spiram. l:18. M. cæſ. vſa. l. 21. Duci. p.199. l.5. vna 50. l 12. Neuburgum l 15 dele eius l.22. ſe in tranquillitatam. l 29. & Dom Mariam, commiſſioq; pag 200 l 10. ac Vnius. l.15. earum gratulatum affluentibus. l. 22. Principem recipi. l 24. vt conſueta p.201. l.14 coadiutoriam. p.202. l.14 nupotumq; p.207. l.28. innupta p.27. l.24 cõſtructo. p 221 l.9 aſt hic. p. 222. l.8. ode. pag dele. 11. p. 227. l 17. in contemptum. l.22. liberaliter p.234. l.7. pinguiorem: p 237. l.5. Vbl abbares. l.12. Hector ab. l 13. dele. tota Friſiæ & lege parem l.1.14. um quatuor etiam ſi

ſaga-

lios habuit:p 236.l.6.conatibus noſtris p. 238. l.8.in Friſiam migrauit,&. Franekeræ vbi vxor. p. 241. l 23. ſagacitate ſua :p. 242. l. 5. in Bat. p. 244 l.10 cognoſcendas. p. 245. l.10.alij eam. p 252. l Vlt. quadregenario minor : p.259. l. 3. congeſſerant.l. teperiar. l.25. Benedictini.& ibidē Foſvertp.259.l12 duce 17.vernio p.261 l.16.imitat⁹.p.267.l: 9.qui &. p. 268.l.18, vt conſequatur-270-l.7.oppenhuſanæ p. 273. l.26 Feionis p 276. l.7.Feio p. 278:l. placida. p. 285. l 13 Italia l.vlt. Auskia:p.288. l. Geometricam.& vrinatoriam

[illegible]

[illegible]

[illegible] Brig. [illegible]

[illegible]

Z79/4
11.8.
D18
.P48
1590
c.1
B.b.Fict
13053

50568

0036